ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES II
(PRAEPARATORIA)

VOLUMEN III

ACTA COMMISSIONUM ET SECRETARIATUUM PRAEPARATORIORUM CONCILII OECUMENICI VATICANI II

PARS II

COMMISSIONES: DE SACRA LITURGIA, DE STUDIIS ET SEMINARIIS, DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS, DE MISSIONIBUS, DE APOSTOLATU LAICORUM

SECRETARIATUS: DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS, AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIX

/1962

LIBRARY
MT. ST. ALPHONSUS SEMINARY
ESOPUS, NEW YORK 12429

2

COMMISSIO DE SACRA LITURGIA

DE SACRA LITURGIA

Prooemium *

Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; institutiones ecclesiasticas, prout mutationibus obnoxiae sunt, nostrae aetatis necessitatibus melius aptare; quidquid ad unionem fratrum separatorum in Ecclesia quoquo modo conferre possit, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos concurrat, roborare; suum esse ducit peculiari ratione etiam de fovenda atque instauranda Liturgia curare.

Liturgia enim, per quam opus Redemptionis exercetur, summe confert ut fideles vivant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam: cuius proprium est esse simul humanam et divinam, visibilem et invisibilem, Ecclesiam actionis et contemplationis, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[1] Unde, dum Liturgia Ecclesiam cotidie interne aedificat « in templum sanctum in Domino..., in habitaculum Dei in Spiritu » (*Eph.* 2, 21-22), usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[2] miro modo simul vires eius ad praedicandum Christum roborat, eamque iis qui sunt extra ostendit uti signum levatum in nationibus,[3] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum [4] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[5]

Quare Sacrosanctum Concilium, dum declarat se in praesenti Constitutione nihil velle dogmatice definire, de fovenda tamen atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

Et licet inter haec principia et normas multa habeantur quae etiam ad alios ritus, orientales et occidentales, applicari debeant aut possint, tamen ea quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegenda sunt, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

---

* Prooemium et capita I-II discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima et secunda congregatione sessionis quintae, diebus 26-27 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 26-144.

Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat, Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime vigentes aequo iure atque honore habere, in futuro servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi hoc opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

[DECLARATIO]. Prooemium totius Constitutionis de sacra Liturgia haec sibi proponit:

1. In lucem proferre momentum generale sacrae Liturgiae in vita Ecclesiae, in relationibus cum fratribus separatis, et in re missionali. Hinc, inter notas Ecclesiae, quae a fidelibus in Liturgia actu quodam vitali melius penetrantur, et per eam iis qui sunt extra melius manifestantur, hic notatur illa quae in relationibus cum fratribus separatis maximi est momenti, nempe natura eius theandrica, seu humana simul et divina, Fundatoris sui instar, cuius est Corpus Mysticum et continuatio atque manifestatio in hac terra. Apud christianos enim separatos quandoque viget conceptus Ecclesiae in quo eius aspectus spiritualis, invisibilis et eschatologicus ita extollitur, ut eius aspectus visibilis et hierarchicus penitus evanescat. Unde illi, praesertim hodie, saepius exprobant catholicis quasi in Ecclesia solum aspectum externum, iuridicum, hierarchicum, administrativum videant. Genuina vero doctrina catholica de Ecclesia est eam, sicut ipsum Dei Verbum Incarnatum, cuius est Corpus, esse simul et ex essentia sui humanam et divinam, et ita, ut in ea quod humanum est ordinetur et subiciatur ei quod est divinum.

2. Explicite declarare praesentem Constitutionem nullam novam definitionem dogmaticam condere velle. Et ita satisfit desideriis eorum qui nolunt novas definitiones dogmaticas in hoc Concilio fieri; et tamen magnum inconveniens vitatur, ne tota res de Liturgia a Concilio tractanda ad decisiones mere practico-iuridicas restringatur. Ex huiusmodi enim decisionibus, fundamentis doctrinalibus non explicite suffultis, vix profundus, per saecula duraturus, fructus in vita Ecclesiae spirituali, pastorali et apostolica sperari posset. Quid vero in praesenti Constitutione sit de fide tenendum, propter propositiones iam alibi a magisterio Ecclesiae factas, et quid tale non sit, iure consueto labori theologorum determinandum relinquitur.

Proinde mens huius Constitutionis est solum normas generales et veluti summa principia practica proponere. Relinquitur vero Sanctae Sedi et specialibus Commissionibus peritorum, ex universo orbe deligendorum, post Concilium ad hoc instituendis, singula concreta executioni demandare.

3. Proponere ut Concilium sollemnem declarationem faciat de honorandis et fovendis omnibus ritibus in Ecclesia catholica vigentibus. Quamvis enim tales declarationes a Sancta Sede, praesertim inde a Leone XIII crebrae factae sint, tamen apud non paucos catholicos aliis ritibus adscriptos saepe viget persuasio, se, ex hoc ipso facto, practice quasi catholicos secundi ordinis considerari. Unde opportunum est ut Concilium, in quantum fieri potest,

huiusmodi opinionem a catholicis eradicet, declarationibus Sanctae Sedis addens, prima vice uti videtur in historia, etiam sollemnem affirmationem conciliarem.

NOTAE

[1] Cf. *Hebr.* 13, 14.
[2] Cf. *Eph.* 4, 13.
[3] Cf. *Is.* 11, 12.
[4] Cf. *Io.* 11, 52.
[5] Cf. *Io.* 10, 16.

Caput I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD S. LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I - DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

A) De natura sacrae Liturgiae

1. [*Opus salutis a Deo praenuntiatum, in Christo eiusque opere impletur, ...*]. Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*I Tim.* 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (*Hebr.* 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum Verbum carnem factum ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[1] « medicum carnalem et spiritualem »,[2] Mediatorem Dei et hominum. Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit causa nostrae salutis. Quare in eius persona et vita « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[3]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Dei Veteris Testamenti praeluserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis, et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, ex quo Ecclesia nascitur, crescit et nutritur.

2. [*... in Ecclesia perseverat, et in eius Liturgia perficitur, ...*]. Nam, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse, « totius Ecclesiae mirabile sacramentum » [4] instituens, Apostolos eorumque successores misit, non solum ut, praedicantes evangelium omni creaturae,[5] annuntiarent Filium Dei morte sua nos a potestate satanae [6] et a morte liberasse, ac resurrectione sua in regnum Patris transtulisse, sed etiam ut opus salutis, quod annuntiabant, per sacramenta efficerent. Per baptismum enim et cetera sacramenta, circa quae tota vita liturgica ordinatur, homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati; [7] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[8] Quotiescumque demum dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec ve-

niat.[9] Et ideo, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (*Act.* 2, 41-47). Numquam posthac intermisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum, tum legendo « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (*Lc.* 24, 27), tum Eucharistiam celebrando, in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur ».[10]

3. [... *ob praesentiam ipsius Christi in Liturgia*]. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis, ipse qui promisit: « ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20). Ipse est qui loquitur dum verba sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur; qui laudes Deo Patri indesinenter persolvit; qui opus salutis, quod degens in terra patraverat, in Sacramentis pergit; ipse denique nunc in Sacrificio Missae se offert « sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit ».[11]

In hoc opere perfectae Dei glorificationis et hominum sanctificationis perficiendo, Christus Ecclesiam, Sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat.[12]

Merito igitur Liturgia habetur uti Iesu Christi « sacerdotalis muneris exercitatio »,[13] in qua, sub signis sensibilibus, ea quae significant suo cuiusque modo efficientibus, homo sanctificatur et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.[14]

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est « actio sacra praecellenter »,[15] titulo qui eodem gradu nulli alii actioni in Ecclesia factae convenit.

4. [... *quae est caelestis Liturgiae praelibatio*]. In terrena Liturgia caelestem illam praelibamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrinamur, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; [16] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum eis speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparuerit vita nostra, et nos appareamus cum ipso in gloria.[17]

[DECLARATIO]. In praecedentibus nn. 1-4 non universa doctrina de sacra Liturgia, sed ea tantum elementa proponuntur quae ipsius veram naturam illustrent et locum determinent sive in actuositate Ecclesiae sive in vita fidelium. Sunt enim principia e quibus normae generales practicae deducuntur ad sacram Liturgiam instaurandam et fovendam.

Prima sectio huius capitis inculcare vult sacram Liturgiam non esse « divini cultus partem externam solummodo ac sensibus obiectam, vel quasi decorum quendam caeremoniarum apparatum », aut « veluti meram legum praeceptorumque summam, quibus ecclesiastica hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus ».[18]

Ad veram autem indolem Liturgiae intellegendam, recolendum est eam esse exercitium sacerdotii Christi in suo Corpore Mystico, quod est Ecclesia, ut luculenter ostenderunt Litterae Encyclicae *Mediator Dei,* a Pio XII die 20 novembris 1947 datae.

Necesse est etiam eius locum discernere in historia sive oeconomia salutis,[19] quae quattuor velut periodos complectitur: 1) in Veteri Testamento, Deus in figuris praesignavit et praeparavit opus salutis nostrae; 2) postea Christus, Verbum caro factum, hoc opus adimplevit in vita sua, unico Sacrificio in Cruce peracto, passus sub Pontio Pilato, sepultus et resurgens tertia die; 3) in fine denique temporum iterum venturus, corpus suum mysticum glorificabit, ut sit Deus omnia in omnibus; 4) post vero Ascensionem suam et ante adventum, adest in Ecclesia sua, hominibus praebens in Sacramentis consortium suae mortis et suae resurrectionis atque pignus futurae gloriae. Unde sacra Liturgia celebrat praecipue paschale Christi mysterium, id annuntians lumine Veteris Testamenti, eius recolens memoriam Eucharistia Sacramentisque et festis, divina eius praesentia fruens et gratia, exspectans beatam spem.

Praeterea, id historia salutis illustratur, adesse in Liturgia modo lectionem sacrae Scripturae, modo Sacramentorum et Sacramentalium celebrationem: quia tam in Veteri quam in Novo Testamento Deus populum suum non tantum Redemptionis opere sed etiam verbo veritatis liberare et aggregare voluit. Merito igitur fides populi christiani excitanda est erga Deum, qui ei in Liturgia loquitur dum iterum leguntur quae « olim locutus est Patribus in prophetis, novissime vero in Filio ».

B) De sacra Liturgia in tota missione Ecclesiae

5. [*Liturgia in se non amplectitur totum ambitum actionis Ecclesiae*]. Licet sacra Liturgia non amplectatur totum ambitum actionis Ecclesiae, est tamen culmen ad quod omnia tendere debent, et simul fons a quo omnia procedunt.

Nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14-15).

Unde Ecclesia infidelibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, paenitentiam agentes.[20] Fidelibus vero semper fidem et paenitentiam praedicare debet, eos ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[21] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus, quibus manifestum sit eos de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi et Patrem glorificare coram hominibus.

6. [*Est tamen ipsius culmen et fons*]. Labores autem apostolici ad id

tendunt, ut qui receperunt fidem et paenitentiam egerunt filii Dei fiant per Baptismum, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent et cenam dominicam manducent. Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « paschalibus sacramentis » satiati, fiant « pietate concordes »; [22] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »; [23] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia eos in urgentem caritatem Christi trahit. Ex Liturgia ergo, ceu ex primo fonte, gratia nobis derivatur [24] et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera diriguntur.

[DECLARATIO]. In hac sectione determinatur ratio qua Liturgia se habet ad Ecclesiae operositatem extraliturgicam, in specie ad opera magisterii, regiminis, et omnis generis apostolatus.

Sacra enim Liturgia non impedit aut quomodocumque minuit operositatem extraliturgicam magisterii (praedicationem, instructionem, etc.) aut apostolatus in genere. Haec opera omnino necessaria sunt in Ecclesia et integra manere, immo in dies intensiora fieri debent. Nam inter alia, haec necessario omnino praesupponuntur et necessario consequi debent fructuosam sacrae Liturgiae participationem.

Haec explicite et sollemniter affirmare omnino necessarium videtur, ne ex forti commendatione Liturgiae exitiosae practicae consequentiae deducantur aut timeantur in detrimentum operum praedicationis, regiminis, aut apostolatus in genere.

C) DE SACRA LITURGIA IN VITA SPIRITUALI CHRISTIFIDELIUM

7. [*Dispositiones personales requiruntur*]. Ex his necessarium esse apparet ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, suam mentem voci concordent; et supernae gratiae cooperentur, ne eam in vacuum recipiant.[25] Ideo pastoribus advigilandum est, ut in actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles actuose, conscie et fructuose participent.

8. [*Necessitas colendae pietatis in tota vita, etiam extra Liturgiam*]. Multum vero abest ut sacra Liturgia totam vitam spiritualem amplectatur. Etsi enim christianus quandoque ad orandum in communi vocatur, quandoque tamen invitatur ad intrandum cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[26] immo ab Apostolo docetur sine intermissione orare.[27] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[28] Unde Dominum in Missa exoramus ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[29]

9. [*Pia exercitia approbata et commendata*]. Pia populi christiani exercitia, si legibus Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Sanctae Sedis fiunt.

Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exer-

citia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consuetudines aut libros legitime approbatos.

Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, illa ordinentur oportet, ut Liturgiae consentiant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant,[30] utpote illa natura sua longe praecellentem.[31]

[DECLARATIO]. Intentio generalis huius sectionis est sollemniter affirmare doctrinam Litt. Enc. *Mediator Dei* de relationibus inter Liturgiam et vitam spiritualem singulorum: in specie, de perfecta possibilitate, immo de omnimoda necessitate, — omni oppositione exclusa —, ad debitos fructus ex Liturgia percipiendos, unionis inter participationem celebrationum liturgicarum et sinceram pietatem, quae etiam interne singulas personas afficiant. Immo, urgetur conceptus de unitate vitae spiritualis; et ideo dicitur plenam participationem Liturgiae necessario exigere et praerequirere generale exercitium pietatis et christianarum virtutum in tota vita individui, etiam, uti patet, extra Liturgiam.

Ex hoc apparere debet commendationem Liturgiae nihil officere, sed, e contra, vehementer exigere intensam curam vitae spiritualis, etiam extra actiones liturgicas, cum omnibus mediis asceticis consuetis et notis in traditione christiana.

Pia exercitia in genere, uti Via Crucis, Rosarium et alia huiusmodi, valde commendanda sunt, uti explicite inculcavit Pius XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei.* Attamen intentio huius sectionis est de piis exercitiis tractare tantum relate ad Liturgiam, sicut factum est in *Instructione* S. R. C. diei 3 sept. 1958.

Posita tamen possibilitate, immo necessitate, unionis Liturgiam inter et pia exercitia, in praxi harmonica compositio obtineri debet. Hinc fideles docere oportet de praecellentia precationis liturgicae et anni liturgici super ceteras devotionis formas: facile enim adhuc videri potest practica ordinatio pietatis fidelium, quae a cyclo liturgico abstrahit, aut etiam ipsi directe obversatur, ut fit v. gr. in quibusdam festis Sanctorum quae cum festis sollemnioribus anni liturgici occurrunt (ex. gr. processio in honorem S. Antonii in festo Pentecostes), aut in triduanis vel novendialibus supplicationibus quae temporibus liturgicis, etiam principalibus, ita superponuntur, ut eorum temporum memoria amplius non appareat.

Has formas pietatis destruere, ut unice celebrationibus liturgicis locus detur, certe inopportunum esset; sed animarum pastores adlaborare debent ut fideles erudiant de modo colendi imprimis vitam liturgicam Ecclesiae, in mysteriis et temporibus anni liturgici, super ceteras devotionis species. Immo, ulterius progrediendum est in hac actione pastorali, auferendo a mente fidelium quidquid in formis devotionalibus aliqualem sapere posset superstitionem, praesertim quoad numerum dierum in piis supplicationibus insumendorum, quoad formam earundem precationum, etc.: quae omnia difficultatem non parvam in multis gignere solent.[32]

II - DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

Nihil carius habet Mater Ecclesia quam ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur et ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (*I Petr.* 2, 9; cfr. 2, 4-5), ius habet et officium.[33]

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; [34] et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur.[35]

10. [*Magistri in sacra Liturgia formandi*]. Magistri, qui sacrae Liturgiae scientiae in seminariis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

11. [*Liturgica institutio cleri*]. Scientia de sacra Liturgia in seminariis et facultatibus theologicis inter disciplinas principales est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

[DECLARATIO]. Quoad liturgicam institutionem cleri haec desiderantur:

1. Ut scientia sacrae Liturgiae, in ordinatione programmatum quibus universa ratio studiorum in facultatibus theologicis et in seminariis regitur, inter disciplinas principales, et non auxiliares,[36] computetur. Hoc enim consequitur ex natura ipsa sacrae Liturgiae, quatenus, ex supra expositis, apparet uti actus quidam vitalis Christi totiusque mystici eius Corporis et uti fons atque culmen vitae spiritualis et pastoralis Ecclesiae.

Attamen computatio scientiae sacrae Liturgiae inter disciplinas principales secum non fert ut per tot horas in hebdomada doceatur quot docentur v. gr. theologia dogmatica vel sacra Scriptura. Necessarium tamen erit ut ipsi saltem una hora in hebdomada per quattuor annos tribuatur, ita ut totum suum obiectum, in quantum fieri potest, attingere valeat atque exhauriat.

2. Ut disciplina de sacra Liturgia non solum tradatur sub aspectu iuridico seu rubricali, neque unice sub aspectu historico; sed ita ut sibi proponat explicationem scientificam, in quantum possibile, integralem proprii obiecti, illud illustrando sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico.

3. Ut unitas foveatur institutionis sacerdotalis ea ratione qua omnes disciplinae programmatum concipiuntur et docentur. Et talis unitas, imprimis inter theologiam dogmaticam, sacram Scripturam, theologiam spiritualem, pastoralem et sacram Liturgiam, revera exsistit naturalis ex exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti. Nempe: in eo quo omnes hae disciplinae debent suo modo mysterium Christi uti historiam salutis explicare. Sufficit ut singulae ad historiam salutis, secundum exigentias proprii obiecti, attendant, ut statim appareat ita inter se cohaerere ut ad comprehensionem alterius sint necessaria. Omnes enim ultimo idem obiectum explicant sub alio et alio aspectu aut alia et alia proportione.

Ex his autem etiam necessitas specialis praeparationis magistrorum, qui scientiae sacrae Liturgiae docendae praeficiantur, aperte consequitur.

12. [*Vita liturgica in seminariis et institutis religiosis*]. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut tota vitae ratio in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu informetur.[37]

13. [*Vita liturgica sacerdotum*]. Sacerdotes, sive dioecesani sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis [38] iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

14. [*Liturgica institutio et actuosa participatio populi*]. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur,[39] unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed et exemplo ducant.

15. [*Transmissiones radiophonicae et televisificae*]. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, sub ductu ac sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.[40]

III - DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE

A) Normae generales

Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem instaurationem sedulo curare debet. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationibus obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si quae in eas forte irrepserint, quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus apte factae sint.[41]

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut res divinas, quas significant, clarius exprimant, easque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitaria participatione celebrare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit:

16. [*Libri liturgici recognoscendi*]. Libri liturgici ex integro recognoscantur, peritis ex universo orbe adhibitis; et intra paucos annos edantur.

17. [*Partes fidelium praevidendae*]. In libris liturgicis revisendis, sedulo attendatur ut rubricae etiam partes fidelium praevideant.

18. [*Traditio servanda et legitimus progressus admittendus*]. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimo progressui aperiatur,[42] de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experimenta in recentiore generali instauratione liturgica et in singulis indultis passim concessis iam facta. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera utilitas Ecclesiae id exigant, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

[Declaratio]. Generalis librorum liturgicorum recognitio, et quidem non tantum secundum scientifica sed etiam pastoralia principia, unanimi voce ab Episcopis petitur.[43] Haec autem recognitio prae oculis habere debet principium iuxta quod in Liturgia via legitimo progressui aperitur, sicut ab ipsius Liturgiae natura requiritur, ab historia probatur, a recentiore praxi confirmatur, et a Pio XII in specie fortius est inculcatum (cf. documenta in nota 41 allata). Ad hoc utilissima evadent experimenta in generali instauratione liturgica iam facta, v. g. ea quae colligi possunt ex instauratione Hebdomadae sanctae,[44] ex recognitione rubricarum,[45] ex nova lege de ieiunio eucharistico et de Missis vespertinis,[46] ex nova versione latina psalterii, etc.

Etiam singula indulta passim data non parvi momenti sunt pro generali reformatione Liturgiae prosequenda, ut v. g. ritualia bilinguia multis iam regionibus concessa, indulta quoad usum linguae vulgaris in Missa.

19. [*De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda*]. Maximum

est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procuranda sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

[Declaratio]. Non omnis instauratio vel aptatio liturgica commendari potest, sed ea tantum quae mentem sacrorum Bibliorum sapiat. Et non sufficit plures quam antea Scripturae textus legi, sed oportet totam celebrationem liturgicam recta et iucunda verbi Dei meditatione imbui. Unde optandum est ut e liturgicis libris tollantur ii sacrae Scripturae loci, qui interdum indebite usurpantur; ut serventur et colantur preces et cantus ex Scriptura desumpti vel eius instinctu effusi, neque introducantur qui ab ea dissonent. Exempla sunto illa optima carmina, troparia, responsoria, hymni, antiphonae, quae post tot saecula orantes laetificant, quod non aeque dici posset de nonnullis aliis liturgicis officiis.

B) Normae ex principiis de aptatione ad ingenium et traditiones populorum

Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit ac provehit, et quidquid, in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, in quantum potest, sartum tectumque servat.[47] Proinde:

20. [*Aptatio iuxta locorum necessitates*]. In substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

21. [*Limites aptationis*]. Limites servandi in hac aptatione facienda ita a legislatione ecclesiastica statuantur ut, intacta vi editionis typicae librorum liturgicorum a Sancta Sede editorum aut edendorum, Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi, imprimis autem quoad administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes.

22. [*Aptatio Liturgiae praesertim in Missionibus*]. Et quia in quibusdam regionibus, praesertim autem in Missionibus, Liturgiae aptatio difficilior evadit et magis urget:

1) In Conferentiis Episcopalibus et in Commissionibus liturgicis sedulo et prudenter consideretur quid, in hoc negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit.

Aptationes quae utiles vel necessariae existimantur Sanctae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut aptatio cum necessaria circumspectione fiat, quoties necessitas aut utilitas id exigit, Conferentiae Episcopali a Sancta Sede facultas tribuatur ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae speciales difficultates in regionibus Missionum secum ferre solent, Sacrae Rituum Congregationi praesto sint viri simul in re missionali et liturgica periti, qui consulantur quando huiusmodi leges parantur.

[DECLARATIO]. Intentio generalis paragraphi est explicite proclamare vim generalem, etiam in re liturgica, principii aptationis quod a Summis Pontificibus, inde a Benedicto XV, iterum iterumque, quando de quaestione missionali tractaverunt, inculcatum est. Inter multos textus sufficiat sequentem ex Litt. Encycl. *Summi Pontificatus* notare: « Iesu Christi Ecclesia, utpote fidelissima almae divinaeque sapientiae custos, ... ad unitatem contendit, superno illo amore conformatam et altam, quo omnes actuose exerceantur; non vero ad unam assequendam rerum omnium aequabilitatem, externam tantummodo atque adeo insitas vires debilitantem. Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt, — quae quidem ex occultis cuiusvis stirpis latebris oriuntur —, Ecclesia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo communisque destinatio imponant. ... Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur ».[48]

In rebus liturgicis quae fidem tangunt rigidiorem aut etiam absolutam unitatem debere subsistere per se patet.

Sed in Ecclesia sunt alia, quae fidem per se non tangunt, et in quibus tamen bonum commune aliquam plus minusve extensam aut rigidam unitatem exigere potest.

Ideo etiam in aptatione liturgica ad diversos coetus, regiones, populos, nullo modo videtur admittendum esse solum principium de unitate fidei servanda.

Specialis et urgentior necessitas aptationis Liturgiae in regionibus Missionum potest, inter alia, ex sequentibus documentis illustrari: 1) Ex multis affirmationibus Romanorum Pontificum circa urgens principium generale aptationis Ecclesiae in regionibus Missionum et quae implicite etiam necessitatem aptationis in re liturgica continent;[49] 2) Ex multis indultis quae in ista re Sancta Sedes, his ultimis praesertim temporibus, Missionibus concedere debuit;[50] 3) Ex historia missionali Ecclesiae antiquae, maxima ex parte in principio aptationis Liturgiae necessitatibus et ingenio singulorum populorum fundata;[51] 4) Ex recenti historia Missionum, praesertim in Asia et Afri-

ca; [52] 5) Ex rationibus pastoralibus propriis in Missionibus; [53] 6) Ex multis petitionibus nuper ad futurum Concilium hac de re missis.[54]

C) Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae

Etsi sacra Liturgia est praecipue adoratio divinae maiestatis necnon donum gratiae Dei, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[55] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces quae a sacerdote, in persona Christi coetui praeeunte, ad Deum diriguntur, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signo tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt », sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent:

23. [*Structura rituum*]. Ritus modo simplici et claro exstruantur, sint brevitate perspicui et repetitiones ineptas evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim indigeant multis commentariis ut intellegantur.

24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali omnino servandus est.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere » [56] possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

[Declaratio]. Quaestio de maiore parte tribuenda linguae vulgari in Liturgia aperte proponitur a quamplurimis Episcopis in votis ad Concilium apparandum.[57] Canon qui Patrum approbationi proponitur, prae oculis habitis diversis regionum et gentium condicionibus et difficultatibus, disponit ut, in praxi, quaestio de limitibus dandis concessioni linguae vulgaris in Liturgia dirimatur a singulis Conferentiis Episcopalibus nationalibus. Resolutiones vero Conferentiarum Episcopalium ne antea promulgentur, quam a Sancta Sede recognitae fuerint.

25. [*Lectio sacrae Scripturae, praedicatio et catechesis liturgica*]. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi:

1) In celebrationibus sacris abundantior omnino, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adimpleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur,[58] praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus momentis, praescriptis vel similibus verbis, dicendae, praevideantur.

[DECLARATIO]. 1. *Abundantior lectio sacrae Scripturae.* – Recentiora studia exegetica, historica, pastoralia satis superque ostendunt ipsam celebrationem liturgicam esse locum connaturalem et primarium in quo Ecclesia verbum Dei fidelibus annuntiare et fideles illud auscultare debent, et esse simul optimum ambitum ad rectum intellectum christianum Scripturae. Multi nostri aevi christiani de facto verbum Dei audire non possunt nisi in sola actione liturgica.

Accedit ratio desumpta ex relationibus cum christianis separatis. Anglicani et Protestantes exprobare solent catholicis ignorantiam sacrae Scripturae et mirari in Liturgia romana quendam adesse quasi defectum proportionis inter elementum sacramentale et elementum scripturale proclamationis et praedicationis verbi Dei.

2. *Connexio sermonis cum actione liturgica.* – In hoc numero inculcatur: praedicationem, magis quam hodie fieri soleat, considerandam esse uti partem connaturalem praecipuorum rituum liturgicorum.

Tangitur deinde quaestio de obiecto praedicationis, et dicitur illud hauriri debere ex Scriptura et ex Liturgia, et ideo annuntiare praeprimis mysterium Christi sive historiam salutis in Christo ut aliquid semper in actu et ad nos semper spectans. Hoc tamen minime significat praedicationem debere semper tractare directe schema de creatione, elevatione, lapsu, praeparatione Redemptionis in VT, de Christo et Ecclesia et eschatologia, et non posse fieri de aliis quaestionibus dogmaticis et moralibus. Nam praedicatio, pro utilitate et necessitate audientium, potest et debet tangere omnia quae pertinent ad dogma, ad theologiam moralem, ad fideles instruendos, exhortandos, commonendos, ab erroribus periculisque tuendos. Sed dicitur praedicationem numquam oblivisci debere haec omnia ultimo induci ad annuntianda, admiranda, laudanda opera Dei in historia nostrae salutis in Christo semper pro nobis in actu, praeprimis in ipsis celebrationibus liturgicis. Nam in Liturgia praedicatio est pars ritus sacri. Debet ergo disponere ad plenam participationem ipsius ritus; et ideo ad melius conceptualiter et praesertim vitaliter percipiendam ipsam rem sacram, quae ibi continetur, et hoc sub aspectu quo ibi continetur, ad mentem ipsius Liturgiae quae, quoad essentiam rei, a mente Scripturae non differt.

3. *Catechesis directius liturgica.* – Hac expressione intellegitur explica-

tio directa ipsius Liturgiae, quae saepius omnino fieri debet et, hic inde, fieri etiam potest in ipsa praedicatione liturgica.

Generatim vitandum est ut ritus multis explicationibus indigeant ut intellegantur. Tamen in traditione liturgica notae sunt quandoque admonitiones didactico-exhortativae, ipsi ritui insertae, a ministro ad fideles dirigendae.

D) Normae ex natura communitaria et hierarchica Liturgiae

Actiones liturgicae non sunt actiones mere privatae, sed celebrationes totius Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum »,[59] scilicet plebs sancta sub Episcopo adunata et ordinata.[60]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

Quapropter:

26. [*Celebratio communis praeferenda*]. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur, hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorundem singulari et quasi privatae.

27. [*Actuosa participatio fidelium*]. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsa, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur; atque, prout natura singulorum rituum patitur, preces litanicae inserantur.

[Declaratio]. *Preces litanicae* sunt breves invitationes a ministro vel diacono factae et populo directae ad precandum Deum pro hac vel illa intentione, hac vel illa persona vel coetu personarum, et quibus populus respondet cum formula invocationis fixa, uti « Kyrie eleison », « Domine concede », aut aliquid simile.

Est simplex et facilis forma actuosae participationis totius communitatis in oratione communi, qua optime exprimitur et alitur sensus de supernaturali unitate et de mutua singulorum in Mystico Christi Corpore ad invicem dependentia.

In Liturgia eucharistica est certe maximae antiquitatis et etiam nunc fere in omnibus Liturgiis, praeter quam in Romana, frequentatur. Eius instaurationem in Missa romana passim plures petunt.

Sed quaestio extenditur etiam ad multas alias partes Liturgiae, ubi frequens populus participat aut participare deberet: v. g. ad vesperas in paroeciis decantatas; in administratione sacramenti Baptismi vel Confirmationis, Extremae Unctionis, Matrimonii, et praecipuorum Sacramentalium. In ritu byzantino, v. g. passim etiam in his occasionibus preces litanicae habentur et earum adoptio in ritu romano videtur unus ex praecipuis modis quibus actuosa participatio fidelium in sacris ritibus instaurari possit.

Variae formae, etiam breviores, huiusmodi precum, diversis occasioni-

bus aptae, deberent admittere etiam possibilitatem in singulis dioecesibus aut communitatibus, approbante Ordinario, exprimendi unam alteramve intentionem, singulis magis propriam.

28. [*Solius hierarchiae est aliquid in Liturgia mutare*]. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: [61] quae quidem est apud Romanum Pontificem et, ad normam iuris, apud Episcopos. Quapropter nullus omnino alius, etiamsi sit sacerdos, aliquid privato marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.[62]

29. [*Singuli partem suam agant*]. In celebrationibus liturgicis quisque, sive ministrorum sive fidelium, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod sibi ex rei natura spectat.

30. [*... et optime instituantur*]. Non solum ministri, sed etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur.[63] Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit. Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

31. [*In Liturgia nulla sit acceptio personarum*]. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normas legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio, salvis consuetudinibus ab Ordinario loci approbandis.

IV - DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

32. [*Vita liturgica in dioecesi*]. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[64]

33. [*Vita liturgica in paroecia*]. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coetus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam in se perfectius repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominica-

lis, floreat. Quamobrem nonnisi ex causa rationabili Baptismata, Confirmationes, primae Communiones, Matrimonia, funeralia extra propriam paroeciam fieri permittantur.

V - DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur « veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia »;[65] et « vitam » ipsius, « immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit ».[66]

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit:

34. [*Commissiones liturgicae nationales*]. In singulis Conferentiis Episcopalibus nationalibus instituatur Commissio liturgica nationalis, a viris in scientia liturgica, musica, arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda, cui etiam, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius munus erit et actionem pastoralem liturgicam in universa natione moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere quoties agatur de aptationibus Sanctae Sedi proponendis.

35. [*Commissiones liturgicae dioecesanae*]. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.[67]

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam Commissionem constituant.

36. [*Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra*]. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent.[68]

[DECLARATIO]. Commissiones dioecesanae de Musica sacra constituendae sunt ad normam « Motu proprio » s. Pii X, diei 22 nov. 1903; [69] Commissiones de Arte sacra pro Italia, per Litteras Circulares Secretariae Status, diei 1 sept. 1924 (Prot. 34215); Commissiones de sacra Liturgia per Litt. Enc. *Mediator Dei* Pii XII, diei 20 nov. 1947.[70]

Quo expeditius et securius labor perficiatur, *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia,* diei 3 sept. 1958 (n. 118), consulit ut « tres memoratae Commissiones non seorsim, sed una simul conveniant et, collatis consiliis, communia negotia pertractare et solvere satagant ».

Textus definitive approbatus unanimi suffragio in Sessione plenaria, diebus 11 et 13 ianuarii 1962.

NOTAE

[1] Cf. *Is.* 61, 1; *Lc.* 4, 18.
[2] S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Ephesios,* 7, 2.
[3] *Sacramentarium Veronense* (ed. Mohlberg), n. 1265; cf. etiam nn. 1241, 1248.
[4] Oratio post secundam lectionem Sabbato sancto, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.
[5] Cf. *Mc.* 16, 15.
[6] Cf. *Act.* 26, 18.
[7] Cf. *Rom.* 6, 4; *Eph.* 2, 6; *Coloss.* 3, 1; *II Tim.* 2, 11.
[8] Cf. *Io.* 4, 23.
[9] Cf. *I Cor.* 11, 26.
[10] *Conc. Trid.,* Sessio 13, cap. 5.
[11] *Conc. Trid.,* Sessio 22, cap. 2.
[12] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 522, 528, 573.
[13] *Ibidem,* p. 529.
[14] *Ibidem,* pp. 528-529.
[15] PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus*: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 33.
[16] Cf. *Apoc.* 21, 2; *Coloss.* 3, 1; *Hebr.* 8, 2.
[17] Cf. *Philipp.* 3, 20; *Coloss.* 3, 4.
[18] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 532.
[19] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 101, a. 2; III, q. 60, a. 3.
[20] Cf. *Io.* 17, 3; *Lc.* 24, 27; *Act.* 2, 38.
[21] Cf. *Mt.* 28, 20.
[22] Postcommunio dominicae Resurrectionis, in utraque Missa.
[23] Oratio Missae feriae III infra octavam Paschae.
[24] De Eucharistia — et ideo de Liturgia, quae circa Sacrificium Missae tota exstruitur —, fine et fonte vitae Ecclesiae et a qua omnes gratiae derivantur, cf. v. gr. *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Pii V P. M. iussu editus,* pars II, cap. IV, n. 47; S. THOMAS, *In 4 Sent.,* d. 8, q. 1, a. 1; *Summa Theol.,* III, 65, a. 3; 79, a. 1 ad 1; 63, a. 6.
[25] Cf. *II Cor.* 6, 1.
[26] Cf. *Mt.* 6, 6.
[27] Cf. *I Thess.* 5, 17.
[28] Cf. *II Cor.* 4, 10-11.
[29] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.
[30] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), pp. 583-587.
[31] Instructio S. R. C.: *De ordine Hebdomadae sanctae rite peragendo,* diei 16 nov. 1955, n. 23: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 847: « Edoceantur... fideles de summo valore sacrae Liturgiae, quae semper et his praesertim diebus ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».
[32] Cf. plura vota Episcoporum de cultu Sanctorum recte ordinando, in *Acta et Documenta,* pp. 342-349.
[33] Cf. PIUS XI, Const. Apost. *Divini cultus*: *A.A.S.,* 21 (1929), pp. 39-40; PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 552, 555, 559, 560; *Allocutio* diei 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 724.

[34] Cf. S. PIUS X, Motu proprio *Tra le sollecitudini,* n. 3.

[35] Omnia documenta Summorum Pontificum et Sanctae Sedis, quae his ultimis decenniis de Liturgia egerunt, fortiter necessitatem liturgicae institutionis cleri inculcant. Inter alia cf.: anno 1945 Epist. circ. S. C. de Seminariis et Studiorum Univers. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* in *Il Monitore ecclesiastico,* 71 (1946), pp. 157-163; anno 1947 PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 591-592; anno 1954, *Allocutio* diei 2 nov.: *A.A.S.,* 45 (1954), pp. 669-670. Tractatio materiae simul cum quaestione speciali de institutione in Musica sacra: S. PIUS X, *Tra le sollecitudini*: *A.S.S.,* 36 (1903-1904), pp. 329-339; PIUS XII, Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina*: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 17, 23, 24; *Instructio S. R. C .de Musica sacra et sacra Liturgia*: *A.A.S.,* 50 (1958), pp. 659-663.

[36] Cf. *Ordinationes* S. C. de Seminariis et Studiorum Univers., diei 12 iunii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 271.

[37] Cf. can. 1367, 3°; Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* art. 37, § 1: « In novitiatu, necnon per totum subsequens tempus, alumni... sacram Liturgiam addiscant, eaque sese nutriant »; et art. 40, § 2, I: « Dilectio quoque et summa reverentia dignitatis munerumque sacerdotalium in ipsis evolvatur. Cultus publici sacrificalis, sacramentalis et deprecatorii, atque domus Dei decoris studium et praxis apud eos excitanda sunt omnique ope promovenda ».

[38] V. gr. mensilibus collationibus: cf. canones 131, 448 et 591.

[39] Cf. *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 104-108.

[40] Cf. PIUS XII, *Adhortatio ad Italiae Ordinarios de Televisione*: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 22-23; Litt. Enc. *Miranda prorsus*: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 796-800; S. R. C. *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 74-79.

[41] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 541-542; *Allocutio* diei 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 723-724.

[42] *Ibidem.*

[43] Cf. *Acta et Documenta,* pars II, pp. 374-386.

[44] Cf. *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 128-137; 44 (1952), pp. 48-63; 47 (1955), pp. 838-847; 48 (1956), pp. 153-154; 49 (1957), pp. 91-95.

[45] Cf. *Decretum de rubricis ad simpliciorem formam redigendis,* diei 23 martii 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 218-224; et *Codex rubricarum*: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 593-734.

[46] Cf. *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 15-24.

[47] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 429.

[48] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 428-429.

[49] Cf. v. g. PIUS XII, Litt. Enc. *Summi Pontificatus*: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 428-429; *Allocutio* diei 10 febr. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 146; Litt. Enc. *Evangelii praecones*: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 521-522.

[50] V. g. die 22 nov. 1935 S. Officium concedit Ordinario Alahbadensi facultatem permittendi suis missionariis, necessitatis causa, omissionem salivae, salis, insufflationum in baptismate (cf. PAVENTI, *Breviarium iuris missionalis,* p. 147); die 14 ian. 1944 pro tota Ecclesia caerimonia salivae facultativa fit (*A.A.S.,* 36 [1944], pp. 28-29); 1955: S. C. de Propaganda Fide edit ritum breviorem pro baptismo adultorum (plus quam decem) et etiam infantium; 1947, 10 aprilis, Ordinarius Kitegaënsis a S. C. de Propaganda Fide facultatem recipit transferendi

Litanias maiores et minores Missamque Rogationum ad tempus seminum in propria regione; 1961: *Facultates decennales S. C. de Propaganda Fide,* inter alias, pro re liturgica sequentes continent: — Permittendi ut in dominicam immediate praecedentem aut sequentem transferatur sollemnitas festorum quae sec. can. 1247 sunt ferianda, sed legitime abolita (n. 60, cf. *Codex rubricarum,* n. 358); — Pro ipso Ordinario, quando ob penuriam sacerdotum impossibile sit Missae pontificalis litatio, celebrandi Missam sollemnem aut Missam in cantu, sicut ceteri sacerdotes (n. 68).

[51] Cf. v. g. *Missions et liturgie* (Congressus Noviomagi in Hollandia habitus anno 1960), Desclée 1960.

[52] Cf. v. g. J. Hofinger, *Liturgy and the Missions,* New York 1960, pp. 76-88; W. Buehlmann, *The necessity for Liturgical renewal today*: *ibidem,* pp. 103-111. R. Sastre, *Liturgie romaine et négritude,* in *Des Prêtres noirs s'interrogent,* Paris 1956, pp. 153-171.

[53] Cf. *Missions et liturgie,* Desclée 1960.

[54] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 370-372; 638-639.

[55] Cf. *Conc. Trid.,* Sessio 22, cap. 8.

[56] Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 545.

[57] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 391-428.

[58] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947, p. 580.

[59] S. Cyprianus, *De cath. eccl. unitate,* 7.

[60] Cf. S. Cyprianus, *Ep. 66,* n. 8, 3.

[61] Cf. can. 1257; Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 544.

[62] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p 544; *Allocutio* diei 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 45 (1954), p. 670; cf. *Commonitio S. Officii,* diei 14 febr. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 114; cf. can. 1257, 1259-1264.

[63] Cf. *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 93: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 656.

[64] Recolantur verba S. Ignatii Antiocheni: « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterium et apostolos; diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quae sub episcopo est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet episcopus, illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica Ecclesia. Non licitum est sine episcopo baptizare neque agapen facere, sed quod ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod agitur » (*Smyrn.* 8). « Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum neque per apostolos, sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini; ... una oratio, una deprecatio, unus intellectus, una spes in caritate, in gaudio non inquinato, quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. Omnes ut in unum templum concurrite Dei, ut in unum altare, in unum Iesum Christum, ab uno Patre exeuntem et in unum existentem et revertentem » (*Magn.* 7). « Stude igitur una gratiarum actione uti; una enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix in unionem sanguinis ipsius; unum altare et unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut quod facitis, secundum Deum faciatis » (*Philad.* 4).

[65] Cf. Pius XII, *Allocutio* diei 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 712.

[66] *Ibidem,* p. 724.
[67] Cf. Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 562; S. C. R., *Instructio de Musica sacra et de sacra Liturgia,* n. 118.
[68] *Instructio S. R. C. de Musica sacra et de sacra Liturgia,* n. 118.
[69] N. 24: *A.S.S.,* 36 (1903-1904).
[70] *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 561-562.

Caput II
DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

Salvator noster, in cena novissima qua nocte tradebatur, Apostolis paschale convivium in sui memoriam donec veniat iterandum praecepit, ita ut « mortis eius victoria et triumphus » [1] repraesentaretur; et Ecclesiae dilectae Sponsae suae fieret magnum sacramentum pietatis, fons et exemplar unitatis, sacrificium laudis, pignus et figura caelestis convivii.

Itaque curat Ecclesia ut christifideles huic mysterio fidei non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritus et preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent, mensa cum verbi tum corporis Domini reficiantur, immaculatam hostiam una cum sacerdote offerendo seipsos offerre discant, et de die in diem ad perfectiorem unitatem transferantur ut sit Deus omnia in omnibus.

Quapropter Sacrosanctum Concilium, ut Sacrificio Missae restituat, etiam in forma rituali, plenam pastoralem efficacitatem, ea quae sequuntur decernit.

I - DE MISSA

37. [*Ordo Missae instaurandus*]. Ordo Missae ita recognoscatur, sive in generali dispositione sive in singulis partibus, ut clarius percipiatur et actuosam fidelium participationem faciliorem reddat.

[Declaratio]. Hodiernus Ordo Missae, qui decursu saeculorum succrevit, retinendus est. Nonnulla tamen passim recognoscenda et aliquatenus emendanda videntur, ope studiorum quae, nostra praesertim aetate, peracta sunt sive circa originem sive circa evolutionem singulorum rituum Missae, ita ut cuiusque partis natura et significatio in clariore luce ponatur, necnon fidelium participatio actuosa facilior et magis immediata reddatur.

Clarius, ex. gr., distingui possent duae ipsius partes, liturgia nempe verbi et eucharistica: quod obtineretur praesertim cuiusque locum aptius separando.[2]

Partis enim eucharisticae locus proprius est altare, super quod Crucis Sacrificium incruente repraesentatur; et e quo, tamquam e mensa domus paternae, suam quisque partem sumit, communicando Corpori et Sanguini Domini.

Liturgiae vero verbi, saltem in Missis cum populo, locus magis aptus ad

sedes et ad ambones posset assignari, ut fit in Missa pontificali: tali enim ratione natura actionis liturgicae clarius manifestatur, ac gradus et pars cuiusque ministri evidentiore modo exprimitur.

Inter singulas vero partes Ordinis Missae, illae potissimum recognoscendae videntur quae in initio, ad Offertorium, ad Communionem et in fine accesserunt, praesertim cum ritus romanus in Gallia assumptus et ex indole gallico-germanica in formam novam redactus est, quam Ecclesia romana postea adoptavit.

Inter alia, haec aliquomodo recognoscenda proponuntur:

a) Rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes et alia huiusmodi.[3]

b) Preces ad gradus altaris essent aliquatenus minuendae, et forma simpliciore redigendae.[4]

c) Lectiones proclamentur versus populum, cui directe annuntiantur.

d) Ritus Offertorii ita describatur et aptetur, ut populi participatio appareat processione oblationis, quae fieri posset saltem diebus solemnioribus, vel ab ipso populo vel ab ipsius repraesentantibus (ut adhuc fit in Liturgia Ambrosiana). Item orationes quae oblationem comitantur ita recognoscantur ut magis respondeant sensui oblationis donorum postea consecrandorum.[5] Orationi super oblata suum momentum restituatur, clara voce eam proferendo.

e) Praefationum numerus augeatur (ex. gr., pro die dominico, pro tempore Adventus, pro festo Corporis Christi, pro Missa Dedicationis ecclesiae). In Canone praecipuae preces, vel saltem doxologia finalis, elata voce dicantur, ut populus respondere valeat « Amen »; quod in fine tantum exstare deberet. Crucesignationes in doxologia tollantur; et in toto Canone minuantur.[6]

f) Embolismus orationis dominicae clara voce recitetur, ut fit in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, neque fractio ad eius conclusionem fiat.[7]

g) Fractio hostiae et pax melius ordinentur.

h) Aboleantur restrictiones, quibus fideles a recipienda sacra Communione in quibusdam Missis prohibentur.

i) Formula distributionis sacrae Communionis brevior admittatur, ut v. gr. « Corpus Christi. ℟. Amen », ut apud S. Ambrosium et in Liturgia Ambrosiana.[8]

l) Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis: « Ite, missa est ».[9]

Ad hanc revisionem sive totius Ordinis Missae sive eius partium reduci possunt aliae quaestiones characteris potius rubricalis et caeremonialis, saepius a peritis et nunc etiam ab Episcopis pressius propositae. Duas ex his, ad modum exempli, memorari liceat: scilicet reductionem rituum Missae pontificalis in genere,[10] et restitutionem ad praxim ordinariam Missae solemnis cum diacono, uti factum est in Ordine instaurato Hebdomadae sanctae.

38. [*Lectiones in Missa*]. Ut fidelibus cum mensa eucharistica etiam ditior mensa verbi Dei paretur,[11] thesauri biblici largius aperiantur,[12] ita ut, decursu plurium annorum, praestantior pars Scripturarum sanctarum populo praelegatur.

[DECLARATIO]. S. Pius X cunctis fidelibus faciliorem reddidit participationem mensae caelestis et inde valde succrevit pietas eucharistica.[13]

Optatur nunc ut etiam « mensa verbi Dei » ditior, per ampliorem lectionem sanctarum Scripturarum, Missae adstantibus praebeatur.

Pericopae Epistolarum et Evangeliorum, quae per anni circulum fidelibus proclamantur, minimam partem thesaurorum, qui in libris sacris continentur, communicant. Quam rem animarum pastores valde dolent, cum saepe saepius in Missa tantum fidelibus occasio praebeatur audiendi verbum Dei.

Modi, quibus abundantior communicatio divini verbi fieri posset, diversi proponuntur, a Commissione postconciliari sedulo perpendendi. Principium commendarunt, inter alios, Em.mus Card. Schuster, in re liturgica et pastorali apprime versatus, Card. Faulhaber et plures alii dignissimi Pastores, ex quibus haud pauci rem proposuerunt Concilio.[14]

39. [*Homilia*]. Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae, valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

[DECLARATIO]. Iam apud S. Iustinum homilia invenitur tamquam pars Liturgiae in Missa dominicali.[15]

Pius XII in Litt. Enc. *Mediator Dei* inter actiones liturgicas, post lectiones, enumerat: « ac postremo homilia ».[16]

40. [*Oratio communis*]. Oratio communis, seu fidelium, post Evangelium et homiliam, saltem diebus dominicis et festis de praecepto, redintegretur, ita ut, populo participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, « pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ».[17]

[DECLARATIO]. Oratio communis post Evangelium invenitur in omnibus fere Liturgiis,[18] praeterquam in Romana. Sed et ipsi olim minime ignota fuit,[19] immo usque ad saec. V oratio illa cotidiana erat. Textus qui nunc habetur feria VI in passione et Morte Domini refert, iuxta peritos, ampliorem formam primaevae illius orationis communis cotidianae.[20]

Restitutio orationis fidelium commendatur rationibus practicis et pastoralibus.[21] Praestat enim ut conventus fidelium, ad Sacrificium propius accedens, Deo commendet sanctae Ecclesiae totiusque generis humani necessitates. Sublatis orationibus imperatis, possent hic Episcopi aliquas inserere intentiones pro necessitatibus proprii gregis, quae, fidelibus audientibus et respondentibus, aperte patefierent. Tandem haec oratio communis ligamen optimum exstaret inter omnes christianos populos ex Oriente et Occidente, eadem prece in eucharistico Sacrificio prolata.

Formula orationis,[22] sicut modus et termini, statuentur a Commissione postconciliari.

41. [*Lingua*]. Linguae vernaculae in Missis cum populo congruus lo-

cus tribuatur, imprimis autem in lectionibus, oratione communi et nonnullis cantibus, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.[23]

[DECLARATIO]. Linguae vernaculae nomine ea intellegitur, in qua habetur homilia, vel nuntia paroecialia publicantur. Ratio pastoralis postulat ut saltem lectiones, oratio communis et nonnulli cantus lingua materna fiant.

Episcoporum petitiones valde largiores fuerunt: [24] maluit tamen Commissio liturgica his limitibus rem continere et haec tria tantum explicite Patribus Concilii proponere.

Lectionibus omnino congruit ut lingua materna uniuscuiusque populi directe praelegantur. Ecclesia hanc viam, de facto, ingressa est cum concessit dioecesibus Germaniae, Austriae, Helvetiae, Galliae, Iugoslaviae, Belgii, Poloniae et populis in regionibus Missionum degentibus ut, textu latino pericoparum praelecto vel cantato, idem textus lingua materna ab ipso ministro tradatur. Sed lectio bilinguis est onerosa, et haud paucis querelis obnoxia. Insuper aliquando, ex. gr. in casu historiae Passionis Domini per Hebdomadam sanctam, lectio bilinguis practice perdifficilis est.

Oratio communis, si restituatur, proponitur dicenda lingua materna cum enuntiet intentiones communis precis et fideles directe respondere debeant propositionibus sacerdotis vel diaconi.

Ad *cantus* quod attinet, non tangitur quaestio de Ordinario Missae, de quo tamen iam numero conspicua sunt indulta concessa a S. Congregatione S. Officii, sed de cantibus opportune inserendis quibusdam partibus celebrationis Eucharisticae, ex. gr. ad Introitum, inter lectiones, ad offertorium, ad Communionem, quo participatio populi plenior evadat.

Remittitur *Conferentiis Episcopalibus* determinare modum et limites ratione habita de reali et urgente necessitate pastorali proprii gregis.

42. [*Communio sub utraque specie*]. Communio sub utraque specie, sublato fidei periculo, pro certis et bene determinatis casibus, iudicio Episcoporum, tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest.

[DECLARATIO]. Cum nostris temporibus remotius videatur periculum fidei, de quo optime providerat S. Tridentina Synodus, Sess. 21, can. 1-3, plures Episcopi [25] optaverunt ut Communio sub utraque specie concedatur, non certe passim et omnibus, quia adsunt magna practica incommoda, ac difficilis erit fidelium pietatis et mentis aptatio, sed « pro certis et bene determinatis casibus », exempli gratia: sacerdotibus concelebrantibus; ministris sacris in Missa solemni; in collatione sacrorum Ordinum; in professione religiosa; in baptismo adulti et in receptione neoconversi; in celebratione matrimonii, et his similibus. Hac instauratione, etsi raro admissa, ostenderetur caritas Ecclesiae erga desideria fratrum separatorum,[26] unitas Orientalium rituum cum Occidentalibus, foveretur christiana devotio erga pretiosissimum Christi Sanguinem, melius a fidelibus intellegeretur Eucharistiam esse Crucis Sacrificii repraesentationem illiusque regni aeterni nuntium, in quo novum genimen vitis bibetur. Si vero agitur de Communione sacerdo-

tum in Missa concelebrantium, evidentius appareret eos vere cum principali celebrante consecrare et sacrificare.

Ad cautelas quod attinet, serventur rubricae in *Caeremoniale sanctae Romanae Ecclesiae* inscriptae de Communione Sanguinis in Missa papali.

43. [*Praeceptum Missae festivae*]. Liturgia Missae duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica. Hae duae partes tamen ita intrinsece coniunguntur, ut unicum actum cultus efforment. Proinde animarum pastores, in catechesi tradenda, fideles sedulo instruant, ut integrae Missae celebrationi intersint.

[DECLARATIO]. Canon 1248 ait: « Festis de praecepto diebus Missa audienda est ». Absolute dicitur « Missa », seu integer ritus. Nam:

1) Ritus Missae est indivisibilis. Eius finis non est solummodo divinae Maiestatis adoratio, sed etiam hominis sanctificatio, quae fit per auditionem verbi Dei, per eius insertionem in « mysterio » Christi, per eucharisticam Communionem. Haec omnia ita inter se connectuntur, ut si exigentiae verae efficaciorisque participationis considerantur, unum sine altero esse non possit. Perperam enim exigeretur ut conscie fidelis inseratur in mysterio et fructuose Christi Corpus suscipiat, nisi congrua habeatur mentis animique praeparatio per verbum Dei, orationem, catechesim et fidei professionem.

2) Magis magisque pro pluribus fidelibus ritus festivus Missae unicum constituit medium instructionis christianae, quae praesertim in liturgia verbi Dei habetur.

II – DE CONCELEBRATIONE SACRAMENTALI

44. [*Usus amplificetur*]. Concelebratio tam in Ecclesia Orientali quam in Occidentali in usu hucusque remansit. In votis est ut ad plures casus extendatur quam in disciplina vigenti et praesertim:

a) ad Missam chrismatis, feria V in Cena Domini;

b) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis, ubi plures sacerdotes adsunt quam utilitas fidelium requirit, salva semper cuiusque sacerdotis libertate individualiter celebrandi, non tamen in eadem ecclesia, eodem tempore;

c) ad conventus sacerdotum, uti sunt exercitia spiritualia, cursus studiorum, peregrinationes, etc., praesertim ubi singulae Missae sine incommodo celebrari nequeunt;

d) ad extraordinarias celebrationes festivas, exempli gratia occasione Synodi dioecesanae, visitationis pastoralis (concelebratio Episcopi una cum clero illius paroeciae).

[DECLARATIO]. 1. *Usus concelebrationis*. Praecipua documenta Ecclesiae de concelebratione sunt:

Pro tota Ecclesia occidentali can. 803: « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missis ordinationis presbyterorum et in

Missa consecrationis episcoporum secundum Pontificale romanum ». In Pontificali romano vero concelebratio episcoporum inscribitur expresse saltem a fine saeculi XII (M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain,* I, p. 151). Concelebratio presbyterorum describitur iam in Pontificali Curiae tempore Innocentii IV (cf. *ibidem,* II, p. 349).

Pro Ecclesia Lugdunensi: Appendix ad Pontificale a card. de Bonald edita: Benedictio oleorum.

Pro Russis, tam unitis quam separatis: Cinovik, ex editionibus tam anni 1798 quam 1896; et Trebnik Petri Moghila, Kiev 1646.

Pro Ruthenis: Acta et Decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galitiae, habitae Leopoli anno 1891, Romae anno 1895, pp. 150-168; Ordo celebrationis, Romae 1953, pp. 102-114.

Pro Graecis catholicis et Melchitis: Hieraticon, Romae 1950, pp. 265-272; Hieraticon syllіourgon. - BENEDICTUS XIV, *Demandatum,* 24 dec. 1743; et *Allatae sunt,* 27 iul. 1755, apud P. GASPARRI, *Fontes Iuris canonici,* I, p. 799, et II, p. 472.

Pro Maronitis: Synodus Montis Libani 1736, apud MANSI, 38, coll. 125-126.

Pro Coptis catholicis: Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi anno 1898, Romae 1899, p. 107.

2. *Rationes cur optatur extensio*:

a) Unitas Ecclesiae in unitate sacerdotii melius demonstratur: « Quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum vel per multos hoc sacramentum consecraretur: nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari... Eucharistia est sacramentum unitatis Ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc, quod multi sunt unum in Christo » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, Q. 82, a. 2, ad 2 et 3).

b) Pietas magis fovetur, si plures sacerdotes simul litent, quam in diversis altaribus singillatim celebrent, sese invicem et populum molestia afficientes.

c) Vitantur difficultates practicae et incommoda provenientia ex numero sacerdotum sive e penuria altarium et supellectilis, sive ex brevitate temporis.

Placeret concelebrationem habere etiam pro Missa chrismatis, quia presbyteri iam in conficiendis sacris oleis cum Episcopo concelebrant, et melius esset si concelebratio etiam ad Missam extenderetur. Quod fit adhuc hodie in Ecclesia Lugdunensi, et fiebat medio aevo in pluribus aliis Ecclesiis, ex. gr. in Ecclesia Carnutensi, Rhemensi, Senonensi, Parisiensi, Tullensi, Bituricensi, etc.

Etsi « Cena Domini » melius repraesentatur per Missam in qua, iuxta usum vigentem, unus celebrat et ceteri communicant, tamen non excluditur ut etiam hac occasione concelebratio peragi possit.

45. [*Ritus concelebrationis*]. Quoad ritum, servari possunt rubricae Pontificalis romani. Attamen optantur quaedam aptationes, scilicet:

a) ut concelebrantes, oblatione peracta, stent circa altare, vestibus sacerdotalibus, aut saltem alba et stola, induti;

b) ut minuatur numerus precum a concelebrantibus simul dicendarum;

c) ut communicare possint sub utraque specie;

d) ut solus celebrans principalis gestus faciat et benedicat.

[DECLARATIO]. *Ad a*) In Pontificali Romanae Curiae saec. XII, quod diffusum est ubique, rubrica erat sequens: « Oblatione facta, presbyteri vadant ad altare, ad standum a dextera et laeva altaris cum missalibus suis » (M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain,* II, p. 349). Haec rubrica mutata est in Pontificali romano primum excuso anno 1485: « Presbyteri vero ordinati retro Pontificem vel hinc inde ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se... ».

Ad b) In documentis antiquioribus, ex. gr. in Ordine Romano III (M. ANDRIEU, *Ordines romani,* II, p. 131) presbyteri cardinales « canonem dicunt », non alia. Idem servabatur adhuc saec. XII, teste canonico Benedicto (FABRE-DUCHESNE, *Le liber Censuum de l'Eglise romaine,* II, p. 146).

Sed praeter rationes historicas, adest praecipue ratio practica: dicere simul tantam seriem orationum « distincte, morose », praesertim dum celebrans cantat vel gestus facit, est nimis prolixum et populum taedio afficit. In liturgia verbi, melius erit si concelebrantes silentio auscultent lectiones, participent cantum sive Proprii sive Ordinarii, solo celebrante principali dicente *Gloria in excelsis, Pax vobis,* orationes, *Credo, Dominus vobiscum.*

Ad c) Communio sub utraque specie fit semper in Missa consecrationis Episcopi; fit etiam a diacono et subdiacono in Missa papali; fiebat etiam in ordinationibus presbyterorum saec. XIII, teste Pontificali Romanae Curiae (M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain,* II, p. 350). Optatur hodie quia consentaneum est omnes celebrantes semper sub utraque specie communicare.

Ad d) Sic fit hodie in Missa ordinationis presbyterorum, et sic faciebant olim presbyteri cardinales, quando concelebrabant cum Summo Pontifice.

Aptetur eadem disciplina in Missa consecrationis Episcopi et in benedictione Abbatis.

46. [*Opportunitas concelebrationis et numerus concelebrantium*]. De opportunitate concelebrationis et de numero concelebrantium, in singulis casibus, Ordinarii loci erit iudicare.

[DECLARATIO]. In ordinatione sacerdotum limites non ponuntur numero neosacerdotum concelebrantium, neque in documentis, neque in usu. In casibus supradictis, ad quos extendi poterit concelebratio, numerus concelebrantium pendebit potissimum a circumstantiis sive personarum sive locorum. In ecclesia ampliore, ubi supellex sufficiens adest et media technica vocem celebrantis principalis facilius aliis sacerdotibus ferunt, admitti poterit maior numerus concelebrantium quam in parvo aedificio.

47. [*Stipendium*]. Dispositio can. 824 Codicis Iuris Canonici, relate ad stipendium Missae, valet pro unoquoque concelebrante.

[DECLARATIO]. Secundum disciplinam hodie vigentem, singuli celebrantes accipere possunt stipendium pro applicatione.

Nulla videtur adesse ratio impediens, si plures sacerdotes concelebrent. Hoc a Benedicto XIV statutum est, cum supradictam Synodum Maronitarum approbavit. Illustratum est quoque nostra aetate a M. DE LA TAILLE, *Mysterium fidei,* Parisiis 1921, pp. 354-356.

Textus definitive approbatus unanimi suffragio in Sessione plenaria, diebus 12 et 13 ianuarii 1962.

NOTAE

[1] *Conc. Trid.,* Sessio 13, cap. 5.

[2] Cf. *Acta et Documenta,* p. 268, n. 25; pp. 268-269, nn. 33, 35, 36.

[3] *Ibidem,* pp. 273-277. Genuflexiones in Canonem introduci coeperunt solummodo saec. XIV. In Missali Romano primum apparent anno 1570.

[4] *Ibidem,* pp. 262-263.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 270-273.

[6] Doxologia sine ullis crucesignationibus habetur in Ordine Romano I (cf. M. ANDRIEU, *Ordines romani,* II, p. 96).

[7] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 277-278, nn. 23-27.

[8] *Ibidem,* pp. 66-67 et p. 279, n. 37.

[9] *Ibidem,* pp. 279-282.

[10] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 284-288.

[11] Cf. *De imitatione Christi,* IV, 11.

[12] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu*: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 324.

[13] Cf. Decretum *Tridentina Synodus*: *A.S.S.,* 38 (1905-1906), pp. 400-406.

[14] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 264-270.

[15] *I Apol.* c. 67.

[16] *A.A.S.,* 39 (1947), p. 529.

[17] *I Tim.* 2, 1-2.

[18] Pro Liturgiis orientalibus, sufficiat earum consulere libros rituales. Mediolani adhuc dicitur « oratio super sindonem », seu ad tollendum velum calicis, quae olim concludebat orationem communem: cf. P. BORELLA, *L'oratio super sindonem,* in *Ambrosius,* 34 (1958), pp. 173-176.

[19] S. IUSTINUS, *I Apol.* cc. 65, 67; S. CLEMENS, *Epist. I ad Corinthios,* cc. 59-60; S. POLYCARPUS, *Ad Philippenses,* c. 13.

[20] P. ALFONZO, *Oratio fidelium,* Finalpia 1928; M. CAPPUYNS, *Les « Orationes solemnes » du Vendredi Saint,* in *Les questions liturgiques et paroissiales,* 23 (1938), pp. 18 ss.

[21] Cf. *Acta et Documenta,* p. 271, nn. 5, 7, 10, 11. Cf. etiam *Partecipazione attiva alla Liturgia.* Atti del III Convegno internazionale di studi liturgici. Lugano 1953, p. 241; *Missions et Liturgie,* Paris 1959, pp. 12, 17, 120, 125, 134.

[22] Cf. ex. gr. E. Lengeling, *Fürbitten,* in *Lexikon für Theologie und Kirche,* IV, 1960, p. 460 ss.

[23] N. 24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali omnino servandus est.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere » possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

[24] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 397-412; et etiam pp. 387-397.

[25] Cf. *Acta et Documenta,* p. 69, nn. 1-5.

[26] *Conc. Trid.,* Sessio 21: *De Communione sub utraque...,* in fine, post canones; Sessio 22: *Decr. super petitione concessionis calicis.*

Caput III *

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum et ad hominem sanctificandum; [1] utpote vero signa « ad instructionem pertinent ».[2] Unde fidem non solum supponunt, sed « verbis ac rebus » alunt; et ita fideles ad cultum Deo debite reddendum et ad gratiam fructuose recipiendam etiam proxime disponunt. Ideo « sacramenta fidei » dicuntur.

Maxime proinde interest ut qui ad fidem vocantur, Baptismum verum signum fidei inveniant, et fideles, ad propriam vitam christianam alendam, Sacramenta impensissime frequentent. Per liturgiam enim Sacramentorum et Sacramentalium, fidelibus bene dispositis nullus iam fere eventus vitae gratia divina non sanctificatur, ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque etiam rerum materialium usus, per se honestus, ad finem hominem sanctificandi Deumque landandi non dirigitur. Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic exprimant ut a fidelibus possint facile percipi et actuosa atque communitaria participatione celebrari.

Cum autem, decursu temporum, non sine fidelium detrimento, quaedam in ea irrepserint quae praedictae eorum naturae minus bene respondeant, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit.

---

* Capita III-V discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta et quinta congregatione sessionis quintae, diebus 29-30 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 275-368.

I - DE RITUALIBUS REVISENDIS

48. [*Ritualia particularia*]. In nova editione « typica » Ritualis romani paranda, clare indicentur partes, quae, in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt. Super huiusmodi autem Ritualis romani editione, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata, a Conferentiis Episcopalibus quam primum parentur, et, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291), in respectivis regionibus adhibeantur.[3] In his autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones pastorales et rubricales, quae in Rituali romano singulis ritibus praemittuntur.

[DECLARATIO]. Necesse erit ut Ritualia particularia non sint solummodo breviora excerpta e Rituali romano, sicut habitualiter hucusque factum est in conficiendis Ritualibus bilinguibus. Haec enim Ritualia, quamvis pro actione pastorali utilissima, in praxi tamen dualismum quendam genuerunt, periculis haud expertem. Sunt enim sacerdotes qui, Rituali bilingui contenti, Rituale romanum habere minime satagunt, quod tamen repertorium revera ditissimum continet formularum et benedictionum, et praesertim instructionum pastoralium. Rubricae insuper, in Ritualibus bilinguibus, ordinarie abbreviatae habentur, dum earum textum integrum Rituale romanum tantum possidet.

Ut his incommodis obvietur, optatur ut Ritualia particularia semper referant, praeter partes proprias, etiam instructiones pastorales et rubricales, quas Rituale romanum singulis ritibus praemittit. Quod, dum favet unitati, minime obstat congruae varietati.

II - DE SACRAMENTIS INITIATIONIS CHRISTIANAE

A) DE INITIATIONE CHRISTIANA IN GENERE

49. [*Restauratio catechumenatus*]. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, qui ritibus, successivis temporibus celebrandis, signentur, ita ut tempus catechumenatus, instructioni destinatum, sacris quoque ritibus sanctificetur.

[DECLARATIO]. In Ecclesia primaeva catechumenatus intime cum vita liturgica connectebatur, ita ut catechumeni per diversos gradus rituales et institutionis christianae ad Baptismum ducerentur.

Ordo Baptismi in Rituali romano (tit. II, c. IV) descriptus, hanc rerum condicionem adhuc sapit, quamvis, infantium baptismo in dies invalescente, usus catechumenatus gradatim disparuerit.

Nostra aetate, sive in quibusdam regionibus Europae vel Americae, sive maxime in terris Missionum, numerus catechumenorum in dies augescit. Exstant Missiones ubi catechumenorum 50.000 vel 100.000 habentur, et tem-

pus catechumenatus protrahitur per aliquot menses, et etiam ad tres vel quatuor annos.

Plures Episcopi exinde petierunt ut diversae phases institutionis catechisticae signentur per respondentes actus rituales solemnitate externa et communitaria decoratos.[4] Quod possibile et congruum videtur, ac directe respondet sive textui sive spiritui totius Ordinis Baptismi adultorum.

50. [*Elementa initiationis a traditione populorum derivata*]. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admittantur, quae apud unumquemque populum in usu reperiuntur, quatenus ritui christiano aptari possunt.

[DECLARATIO]. Haud raro, inter gentes regionum Missionum, inveniuntur ritus, gestus, cantus ad introducendum iuvenem in vitam socialem sui populi, qui non superstitionem aut paganismum sapiunt, sed ingenium et usum populorum manifestant, familiares aut sociales traditiones in luce ponentes. Quoties ergo hi ritus quavis ambigua significatione exuuntur, ad christianam religionem adhiberi poterunt, ut ita veritas christiana facilius et expeditius inter illas gentes progressum habeat, ipsarum ingenio et usibus insistendo.

Exemplum insigne similis aptationis offert Rituale romanum pro liturgia matrimonii, cum textus typicus expresse agnoscit et admittit varias consuetudines locales.

B) DE BAPTISMO

51. [*Ordo Baptismi adultorum*]. Ritus ad baptizandos adultos recognoscatur, ratione habita catechumenatus instaurati; et Missali romano Missa propria in collatione Baptismi inseratur.

[DECLARATIO]. Ordo Baptismi adultorum, qui a saeculis fere immutatus remansit, exigentiis novae aetatis aptandus est,[5] ita ut non modo sit ritus sacramenti, sed etiam totius christianae initiationis. Quod omnino necessarium est, si institutum catechumenatus instauretur.

Duplex ritus huius initiationis parandus videtur:

1) *Ritus amplior* ad modum catechumenatus priorum saeculorum, diversis gradibus, temporibus successivis celebrandis, distinctus (cf. n. 49).

2) *Ritus brevior,* post sufficientem catechesim adhibendus, in casibus in quibus catechumenatus liturgicus praecedere non potest aut, ex rationabili causa, praecedere non debet, in quo omnes ritus una sessione peraguntur.

Quoad 1) Series caeremoniarum quae, una cum formulis quibusque propriis, ritum ampliorem efformant, variis modis aptari possent, semper tamen prae oculis habito Ordine Ritualis romani pro Baptismo adultorum.

In genere haec proponuntur:

a) Ritus singulorum graduum fieri possint inter liturgiam verbi;

b) aptae lectiones e sacra Scriptura inserantur;

c) series orationum et exorcismorum eo modo sint ordinatae, ut progressus catechumeni ad Baptismum excitetur et clarius in dies appareat;

d) omittantur, iuxta prudens iudicium Conferentiae Episcopalis, illae

caeremoniae, quae, iuxta locorum usus vel personarum indolem, sensum minus rectum habere possent; [6]

e) collatio Baptismi, in quantum fieri potest, fiat in Vigilia paschali, coram omnibus aliis fidelibus (can. 772);

f) sacerdos qui adultum baptizat possit etiam, de mandato Episcopi, neophyto Confirmationem conferre, ut completa initiatio christiana adulti statim habeatur.

Quoad 2) Ritus brevior Baptismi adultorum schema traditionale retineat, nempe tria momenta antiquae praeparationis ad Baptismum: introductionem ad catechumenatum, traditionem et redditionem symboli et orationis dominicae, ablutionem sacramentalem cum caeremoniis immediate praecedentibus et subsequentibus, omissis, ut supra dictum est (littera *d*), omittendis.

Optatur etiam ut sacerdos possit, de mandato Episcopi, sacramentum Confirmationis neophyto conferre.

52. [*Ordo Baptismi parvulorum*]. Ritus ad baptizandos parvulos condicioni reali infantis rationis nondum compotis aptetur; partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur.

[DECLARATIO]. Ordo Baptismi parvulorum in Rituali romano (Tit. II, cap. 2) exhibitus, etsi ut ritus pro parvulis indicatur, talibus formulis et caeremoniis constat, ut revera congruat adulto, qui sit suae intellegentiae et voluntatis plene compos. Hoc non obstante, ritus ille retinendus videtur, cum quibusdam tamen emendationibus,[7] scilicet:

1) Omittantur: *a*) orationes quibus memoratur catechumeni progressus usque ad recipiendum Baptismum (ex. gr. *Preces nostras...*: n. 4 b); *b*) eorundem rituum repetitiones, sicut diversi exorcismi, quorum multiplicitas a prisca eorum distributione per successiva tempora originem ducit; *c*) aliqui ritus minus apti.

2) Restituatur unctio Olei catechumenorum in pristinum locum, ante renuntiationem Satanae: nam, symbolice, unctio praeparat ad extremam luctam contra diabolum, quae fit in renuntiatione.

3) Clarius appareat distinctio inter traditionem et redditionem symboli necnon orationis dominicae. Instauretur quoque aliqua traditio Evangelii per lectionem cuiusdam pericopae evangelicae.

4) Partes parentum et patrinorum melius in luce ponantur. Deest in praesenti Ordine admonitio de eorum gravibus officiis coram Deo et Ecclesia contractis, atque assensus eorum viva voce factus.

5) Forsan opportunum foret inserere brevem et aptam orationem litanicam cui praesentes respondeant.

53. [*Ordo brevior Baptismi*]. Conficiatur Ordo brevior Baptismi, qui, in terris Missionum, a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus, absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit.

[DECLARATIO]. Non infrequenter rerum adiuncta, in regionibus Missionum, exigunt ut Baptismus a Religiosis aut catechistis conferatur, absente sacerdote vel diacono, qui possit integrum ritum Ritualis peragere. Conve-

niens videtur ut, in his circumstantiis, excepto casu urgentioris necessitatis in quo unice formula sacramentalis profertur, aliquis ritus brevis habeatur qui perfici queat etiam a simplici fideli, ut valor sacramenti in mentem sive ipsius baptizandi sive circumstantium melius insinuetur.

Talis ritus brevis constare posset illis elementis praecipuis, quae non indigent potestate Ordinis ex parte baptizantis, ut v. gr. oratione pro baptizando, petitione fidei ex parte ipsius, renuntiatione et professione fidei necnon ablutione baptismali. Proinde excludenda sunt ea elementa, quae potestatem Ordinis supponunt, ut v. gr. exorcismi et unctiones.

Idem ritus, ut patet, adhibendus esset etiam in regionibus christianis, cum Baptismus ex necessitate a laicis confertur, absente sacerdote vel diacono, in casibus a iure praevisis.

54. [*Ordo supplendi omissa in Baptismo*]. Loco « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum », novus ritus conficiatur ad recipiendum infantem in ecclesiam paroecialem, qui ritu brevi fuerit baptizatus. Item similis ritus conficiatur pro neoconversis iam valide baptizatis.

[DECLARATIO]. In « Ordo supplendi omissa in Baptismo » (*Rituale romanum,* tit. II, cap. V et VI) quaedam partes, sicut exorcismi, iam non videntur esse ad rem.[8]

Immo totus ritus supplendi omissa in Baptismo apte substituendus esset per novum « Ordo ad recipiendum neobaptizatum in ecclesiam paroecialem », cuius partes esse possent:

a) receptio infantis a sacerdote ad ianuam ecclesiae;

b) redditio symboli et orationis dominicae a parentibus seu patrinis facta;

c) sponsiones ab ipsis datae de christiana pueri educatione;

d) lectio evangelica (ex. gr. *Matth.* 5, 1-12);

e) unctio chrismatis, nisi iam facta fuerit;

f) traditio vestis albae et candelae accensae;

g) benedictio sacerdotis.

55. [*Benedictio aquae baptismalis*]. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi, formula breviore et apta, benedici potest.

[DECLARATIO]. Omnibus profecto nota est conditio miserrima, immo indecens, aquae baptismalis, saepissime in vasculis Baptisterii putrescentis, praecipue in regionibus calidioribus. Ut hoc incommodum vitetur, proponitur ut aqua baptismalis non reservetur per integrum annum, sed, tempore paschali secluso, benedicatur cum Baptismus administratur.

Insuper, per hanc benedictionem aquae in actu Baptismi, instauratur integritas catecheseos et ritus. Ritus enim Baptismi obscurus aliquomodo evadit, cum numquam, praeterquam in Vigilia paschali, compleatur per splendidam expositionem mysterii aquae, quae legitur in praefatione ad benedicendum fontem. Sic optatur ut, pluries in anno, benedici possit aqua, ex. gr. pro Baptismis collectivis.

Ceterum, mos benedicendi aquam baptismalem una tantum vice quolibet anno non invaluit nisi in fine medii aevi.

56. [*Baptismus in clinicis*]. In clinicis infantes ne baptizentur nisi in casu verae necessitatis.[9] Ideoque erectio fontis baptismalis in eis non permittitur.

C) De Confirmatione

57. [*Ritus Confirmationis*]. Ritus Confirmationis ita recognoscatur,[10] ut clarius eluceat huius Sacramenti intrinseca connexio cum tota initiatione christiana; et ideo, pro opportunitate, Confirmatio etiam intra Missam conferatur;[11] eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi.[12] Ipsa administratio Sacramenti aptioribus liturgicis formulis introducatur.

III – DE PAENITENTIA

58. [*Ordo Paenitentiae*]. Ritus et formulae Paenitentiae ita recognoscantur, ut effectum Sacramenti clarius exprimant.

[Declaratio]. Inter ritus recognoscendos, praecipuus videtur impositio manus, quae, secundum S. Cyprianum,[13] signum erat reconciliationis et communionis cum Ecclesia in paenitentia restitutae, quae necessaria erat, quia per peccatum vinculum vivum cum Ecclesia destructum erat. Significabat reconciliationem per Spiritum Sanctum, sicut hucusque retinet Pontificale romanum in ritu reconciliationis apostatae.[14] Impositio manus praescribitur quidem a Rituali, sed forma alterata: « Deinde dextera versus paenitentem elevata, dicit... », dum Rituale ambrosianum adhuc clare dicit: « manu dextera super caput paenitentis elevata et extenta... ». Instauretur proinde dispositio Ritualis, ita ut cognoscatur ritum esse impositionem manus, etiamsi sine contactu physico.

Inter alia, sunt recognoscenda verba « ab omni vinculo excommunicationis »: sensu enim canonistico explicata, pro absolutione a censuris sufficientia non reputantur, ceterum fere semper sunt superflua. Primitus erant quidem formula sacramentalis, qua paenitens « communioni » Corporis Christi restituebatur, ideo vere absolvebatur.[15]

IV – DE UNCTIONE INFIRMORUM

59. [*Nomen et natura Sacramenti*]. Sacramentum, quod communiter « Extrema Unctio » nuncupatur, deinceps « Unctio infirmorum » vocabitur; nam non est per se Sacramentum morientium, sed graviter aegrotantium,[16] ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum inciderit.

[Declaratio]. Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (xii-xiii) invectum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedi-

ctum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione.[17]

Dilatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere X, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione paenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convaluerat onera gravissima ad dies vitae, imponebantur.

60. [*Collatio Sacramenti*]. Unctio infirmi regulariter locum habeat post Confessionem et ante receptionem Eucharistiae.

[DECLARATIO]. Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (*Iac.* 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet ad paenitentiam. « Consummativum paenitentiae » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum; [18] ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat.[19] Nam Eucharistia est Sacramentum consummativum omnium aliorum Sacramentorum.

61. [*Ritus Sacramenti*]. Unctionum numerus pro opportunitate aptetur (cf. art. 21 huius Constitutionis); [20] et orationes quae ritum Unctionis infirmorum comitantur, ita recognoscantur,[21] ut respondeant diversis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum recipiunt.

[DECLARATIO]. In orationibus, quas exhibet Rituale romanum, petitur unice sanatio infirmi: quod non semper congruit, scilicet quando Sacramentum administratur aut moribundo iam in extremis, aut infirmo gravi absque prudenti spe sanationis. Item formulae magis aptae desiderantur cum Sacramentum confertur homini aetate iam provecto, vel iuveni.

62. [*Iteratio Sacramenti*]. Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest.

[DECLARATIO] Praxis hodierna (can. 940, § 2), post monitum Concilii Tridentini,[22] vetat in eodem vitae discrimine hoc Sacramentum iterare. Sed Unctionis iteratio, etiam in eadem infirmitate, fuit consuetudo Ecclesiarum usque ad saec. XIII. Nam aegrotus, maxime in diuturna infirmitate, saepius indiget solatio spirituali.[23]

V - DE ORDINE

63. [*Ritus Ordinationum recognoscendi*]. Ritus Ordinationum a peritis, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinis, fiant lingua fidelibus nota.

[DECLARATIO]. Suggestiones quamplurimae factae sunt etiam circa aptationem huius Sacramenti, ut eius sensus apertior fiat ad captum et ad sensum diversarum gentium. Aspectibus iuridicis huius quaestionis competentibus Commissionibus relictis, inter quos, v. gr., recognitio numeri Ordinum minorum et restitutio Ordinum minorum aut Diaconatus ad pristina officia, aliqua tantum indicantur naturae stricte liturgicae:

a) Desideratur reductio plurium caeremoniarum, una cum suis formulis, praesertim in ordinatione sacerdotali et in consecratione episcopali.

b) Recognoscatur tota traditio instrumentorum et indumentorum.

c) Allocutiones Episcopi ad Ordinandos revisioni subiciantur, ita ut conceptus qui in ipsis continentur magis respondeant officiis et obligationibus nostra aetate in iure praevisis.

d) Item nonnullae formulae passim in ritibus occurrentes, quae disciplinam aut rerum condicionem obsoletam sapiunt, novis rerum adiunctis accommodentur.

e) Usus linguae fidelibus notae in allocutionibus Episcopi ad Ordinandos necessarius videtur ad fidelium instructionem, ut ita magis directe adducantur ad intellegendam naturam et effectus singulorum Ordinum.

VI – DE MATRIMONIO

64. [*Ritus Matrimonii*]. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia Sacramenti clarius significetur.

« Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[24]

Insuper Conferentiis Episcopalibus relinquitur facultas exarandi ritum proprium, usibus locorum et populorum congruum, firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.[25]

[Declaratio]. Hodiernus ritus celebrationis Matrimonii a Rituali romano praescriptus nimis iuridicus videtur, cum desint partes euchologicae, quae gratiam Sacramenti significent.[26] Inter alia desiderantur:

a) quaedam introductio ad ritum, in mentem sponsorum revocans vim et valorem sacramentalem consensus, quem daturi sunt;

b) brevis oratio litanica, a praesentibus recitanda una cum sacerdote;

c) clara commonitio, in qua declarentur sponsis non tantum officia stricte iuridica, sed et officia moralia, quibus ipsi adstringuntur inter se, necnon erga Deum et futuram prolem.

Omnibus denique patet quam sollemnis semper fuerit omni tempore et apud omnes populos celebratio nuptialis. Merito ergo, in ritu huius Sacramenti recognoscendo, maxime pro fidelibus in terris Missionum exsistentibus,[27] prae oculis habeantur monita Concilii Tridentini supra memorata.

65. [*Celebratio Matrimonii*]. Matrimonium ordinarie infra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam. Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut supra utrumque coniugem recitari valeat, dicatur lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii extra Missam, sed in ecclesia, celebratur, lectiones de Epistola et Evangelio Missae pro Sponsis legantur in initio ritus.[28]

[DECLARATIO]. Ritus, in quantum fieri potest, celebrandus est infra Missam, post homiliam; [29] pericopae enim Missae votivae pro Sponsis, cum Epistola tum Evangelium, sunt quam maxime aptae ad declarandum profundum sensum Sacramenti. Solummodo infra Missam, iuxta antiquissimam traditionem, datur sponsae benedictio nuptialis; quae tamen brevior et menti hodiernae aptior redigenda est, et post embolismum orationis dominicae, non ante, recitanda.

VII - DE SACRAMENTALIBUS

66. [*Recognitio Sacramentalium*]. Sacramentalia funditus recognoscantur, prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum Episcoporum, habeantur.

[DECLARATIO]. Ritualia in hac parte funditus revisenda sunt. Exstant enim aliquando duo vel tria schemata pro eadem re benedicenda, dum benedictiones pro novis inceptis et necessitatibus omnino desiderantur; quaedam benedictiones, ut ad Scapularia imponenda, et in genere benedictiones Religiosis reservatae, ritu prolixiore praeditae sunt, quaedam vero potioris momenti nimis simplices evadunt, ita ut fere ictu oculi perficiantur, nec tempus adsit sufficientes ut sensum benedictionis adstantes percipiant.

67. [*Ritus vestitionis et professionis religiosae*]. Conficiatur ritus vestitionis et professionis religiosae et renovationis votorum, qui valde optatam unitatem,[30] sobrietatem et dignitatem inducat, ita tamen ut quidem ritus particulares non excludantur.

Professio religiosa infra Missam fiat.

[DECLARATIO]. Inter Communitates religiosas, praesertim mulierum, exstat varietas fere immensa quoad caeremoniale vestitionis et professionis religiosae. Fere cotidie perveniunt ad S. Rituum Congregationem nova caeremonialia religiosorum approbanda. Ex his autem, nonnulla commune schema sequuntur, quod aliquando sapit ritum Consecrationis Virginum in Pontificali romano exstantem; alia vero, quavis similitudine cum ritibus liturgicis neglecta, proprium sequuntur iter a sensu liturgico omnino aberrans, et unice super elementis devotionalibus fundatum.

Plurimi vota prompserunt ut tandem ordo quidam ponatur in hac congerie caeremonialium et eorum dignitati atque unitati provideatur.[31] Optimum videretur consilium si schema commune conficeretur, cui, in singulis casibus, addi possent elementa particularia, quae indolem propriam cuiusque Instituti in luce ponat.

Optatur pariter ut professio religiosa infra Missam fiat, sicuti Consecratio Virginum, et sicut fere omnes alii ritus consecratorii personarum.

VIII – DE EXSEQUIIS

68. [*Ordo exsequiarum*]. Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat, et condicionibus ac traditionibus singularum regionum melius aptetur.

69. [*Exsequiae parvulorum*]. Ex integro recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

[DECLARATIO]. Exsequiae, quae ritus funerarii partem notabilem efformant, et quibus populus numerosior adest, indigent revisione.[32]

In ritu hodierno, hi defectus notantur:

a) conceptus mortis, qui ex formulariis eruitur, non exhibet doctrinam spe plenam, quam Ecclesia tenet de morte christiana;

b) quaedam, praesertim responsoria et lectiones Officii defunctorum, sunt nimis tetra et angustiis referta;

c) adstantes fideles quasi absentes sunt ab oratione Ecclesiae pro defunctis.

Haec proinde *desiderata* proponuntur:

a) locum ampliorem in ritu funerario obtineant textus qui sensum paschalem mortis christianae exprimunt (ex. gr. pss. 113 et 117), ut efficacius proclametur fides Ecclesiae in resurrectione;

b) ad incrementum pietatis, maior varietas habeatur in formulariis Missarum, praesertim in lectionibus;

c) foveatur actuosa participatio fidelium mediis aptioribus;

d) usus funerarii gentium, praesertim in terris Missionum, dummodo nihil superstitionis prae se ferant, agnoscantur et in ritum christianum admitti possint.

Textus definitive approbatus unanimi suffragio in Sessione plenaria, die 12 ianuarii 1962.

NOTAE

[1] S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, 62, a. 5 et 63, a. 6.
[2] S. THOMAS, *De veritate,* 27, a. 4.
[3] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 384-385, nn. 10-12.
[4] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 12-13, nn. 1-9.
[5] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 12-15.
[6] *Ibidem,* pp. 19-21, nn. 37-54.
[7] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 16-17, nn. 9-18.
[8] Cf. *Acta et Documenta,* p. 19, nn. 35-36 et p. 22, n. 6.
[9] Cf. *Acta et Documenta,* p. 22, nn. 2-3.
[10] *Ibidem,* pp. 25-27.
[11] *Ibidem,* p. 27, nn. 15-18.
[12] *Ibidem,* p. 26, nn. 12-14.
[13] S. CYPRIANUS, *Epistola 16,* 2 et passim.

[14] *Pontificale romanum,* pars III. Ordo ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel haereticum. Continet manus impositionem cum invocatione septiformis Spiritus Sancti.

[15] Cf. J. A. JUNGMANN, *Die lateinischen Bussriten,* Inssbruck 1932, p. 257.

[16] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 96-97, nn. 7-13.

[17] *Ibidem,* p. 95, nn. 1-6.

[18] *Conc. Trid.,* Sessio 14, *Doctrina de Sacram. Extremae Unctionis.* Prooemium.

[19] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 98-99, nn. 26-28.

[20] N. 21. [*Limites aptationis*]. Limites servandi in hac aptatione facienda ita a legislatione ecclesiastica statuantur ut, intacta vi editionis « typicae » librorum liturgicorum a Sancta Sede editorum aut edendorum, Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi, in primis autem quoad administrationem sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes.

[21] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 99-101, nn. 29-46.

[22] Sessio 14, *Doctrina de Sacram. Extr. Unct.,* c. 3.

[23] Cf. *Acta et Documenta,* p. 97, nn. 14-17.

[24] *Conc. Trid.,* Sessio 24, *De reformatione,* 1: MANSI, 33, col. 153. Cf. *Rituale romanum,* tit. VIII, cap. 2, n. 6.

[25] Can. 1095, § 1, 3°.

[26] Cf. *Acta et Documenta,* p. 175, nn. 2-4.

[27] *Ibidem,* p. 177, n. 19.

[28] *Ibidem,* p. 175, n. 8.

[29] *Ibidem,* nn. 5-7.

[30] Cf. *Acta et Documenta,* p. 369, nn. 1-3.

[31] Cf. *Acta et Documenta,* p. 369, nn. 1-3.

[32] *Ibidem,* pp. 366-367, nn. 1-4.

CAPUT IV

DE OFFICIO DIVINO

Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, « humanam naturam assumens, terrestri huic exilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat ».[1]

Ecclesia autem, sacerdotio mirabili in suo Capite insignita, et divinam ipsius missionem in terris pergens, « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »,[2] ut Deum sine intermissione laudet et pro singulis interpellet. Quod munus absolvit non solum per celebrationem Eucharistiae, sed etiam per mirabile illud laudis canticum, in Officio divino exstans, quod « christianorum omnium nomine eorumque in beneficium adhibetur Deo, cum a sacerdotibus aliisque Ecclesiae ministris et a religiosis sodalibus fiat,

in hanc rem ipsius Ecclesiae instituto delegatis ».[3] Omnes proinde hoc munere onerati tum gravem Ecclesiae obligationem, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia unusquisque in Officio divino orando ante thronum Dei stat nomine Matris Ecclesiae.

Huiusmodi Ecclesiae precatio ex antiqua traditione ita est constituta, ut totus cursus diei ac noctis per sacrificium laudis, a labiis confitentium Deo oblatum, consecretur.

Quo vero divinum Officium a sacerdotibus aliisque Ecclesiae membris, in fragilitate humana atque difficillimis temporum adiunctis constitutis, « tamquam sanctificatio diversarum horarum diei »[4] facilius et perfectius peragatur, Sacrosancto Concilio quae sequuntur placuit decernere:

70. [*Cursus Horarum*]. Cum sanctificatio diei naturalis sit finis Officii divini, cursus Horarum ita instauretur ut « Horis » veritas, in quantum fieri potest, reddatur, ratione tamen habita diversarum condicionum vitae hodiernae in determinatione iuridica temporis ad satisfaciendum obligationi Officii divini recitandi.

Ut autem cursus traditionalis Officii divini servetur ac simul hodiernae vitae necessitatibus cleri congruenter aptetur, hae normae prae oculis habeantur:

a) *Laudes* ac *Vesperae,* ex venerabili traditione Ecclesiae universalis duplex cardo Officii divini cotidiani, ubique tamquam Horae praecipuae celebrandae sunt.

b) *Completorium* ita instruatur, ut aperte appareat ipsius natura ultimae precationis in fine diei.

c) Hora quae *Matutinum* vocatur, quamvis indolem nocturnae laudis retinens, ita aptetur ut qualibet diei hora recitari valeat.

d) *Horae minores* ita instruantur ut tempore competenti recitari possint, ad sanctificandum laborem cotidianum.

[DECLARATIO]. Ecclesia numquam admisit formam Breviarii, quae recitationem communitariam excludat. Officium divinum semper pro pluribus simul voluit: nam sic melius repraesentatur Ecclesia orans. Quare desiderandum non videtur duplex Breviarium, communitarium unum, privatum alterum.[5] E contra, Breviarium eius qui a solo recitat semper apertum sit fratribus, sacerdotibus sociis et plebi fideli.

Condicione tamen vitae clericalis funditus mutata, desideratur legislatio ecclesiastica qua Officium cotidianum sapienter aptetur et Horis veritas reddatur, ne deinceps sacerdotes adsint qui Laudes matutinas vespere, Vesperas autem mane, vel totam seriem « Horarum » quasi uno tractu absolvant.

Inter ea quae magis a Commissionibus postconciliaribus perpendenda erunt, haec duo adnumerari possent:

a) Ad *Matutinum* quod attinet, omnibus mature perpensis, ratio adesse non videtur mutandi ipsius compositionem traditam. Commendandum videtur, sicut est in votis plurium Antistitum,[6] ut generatim uno tantum

Nocturno constet. Officia vero perpulchra et antiquissimae traditionis, tribus « Nocturnis » insignita, ne destruantur, immo instaurentur, si opus sit.

b) Pro *Horis minoribus* non videntur acceptandae solutiones « extremae », quae sunt aut eas totaliter abolere, aut eas sicut nunc servare. Totaliter enim eas abolere esset contra saecularem traditionem liturgicam; cum eas asservare sicut nunc sunt esset neglectus circumstantiarum vitae clericalis hodiernae, si obligatoriae manerent, aut solutio simulata, si earum obligatio tolleretur: nam esset practica earum abolitio. Solutio quae desideratur intendere debet harum Horarum aptationem, quae earum absolutionem in praxi possibilem, immo desiderabilem, reddat homini qui vitam orationis aestimare debet.

71. [*Psalmi*]. Ut cursus Horarum, in articulo praecedenti propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.[7]

Opus revisionis psalterii, feliciter inchoatum, perducatur ad finem, respectu habito latinitatis et usus liturgici.

[DECLARATIO]. Apparet necessitas psalterii unitatem in Liturgia latina restituendi. Ad versionem definitivam parandam, iam suppeditant subsidia haud parvi momenti. Ex. gr. habetur nova psalmorum interpretatio, cura professorum Pontificii Instituti Biblici, iussu Pii Papae XII edita et ab eodem Summo Pontifice in usum liturgicum inducta. Habentur quoque studia monachorum Abbatiae Pontificiae sancti Hieronymi de Urbe, inter quae Psalterii nova recensio, cura et studio Roberti Weber edita; et ita porro.

Haec studia necessitatem manifestarunt rationem habendam esse, in hac nova versione conficienda, tum indolis peculiaris latinitatis christianorum, tum usus psalmorum in Liturgia, praesertim in officiis sollemnioribus et antiquioribus, ne v. gr. textus et sensus antiphonarum et psalmorum discrepent, tum condicionum rhythmi quae pro cantu psalmorum requiruntur.

72. [*Hymni*]. Hymni, in quantum fieri potest, ad pristinam formam restituantur, iis mutatis quae mythologiam sapiunt aut christianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii, qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

73. [*Lectiones*]. In revisendis lectionibus,[8] haec serventur:

a) Lectiones *Sacrae Scripturae* ita distribuantur, ut thesauri Verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint.

b) Doctrina Patrum debitum suum locum et modum, iuxta Ecclesiae traditionem, obtineat; proinde *lectio ex Patribus* et sublimioribus theologiae spiritualis Magistris, dummodo agatur de textibus a structura et mente Liturgiae non discrepantibus, mensura largiore instauranda est et simul revisenda.

c) Passiones seu *vitae Sanctorum* ad fidem historicam reddantur.

74. [*Orationes*]. *a*) In Laudibus ac Vesperis feriarum per annum dicantur *Orationes matutinales ac vespertinales,* quae praesto sunt in Sacramentariis.

b) Vesperis cotidie *Preces* inserantur pro variis necessitatibus mundi et Ecclesiae.

c) In fine Horarum minorum, loco orationis diei, dicatur oratio dominica seu *Pater noster*.

[DECLARATIO]. *a*) In Officio feriali per hebdomadam, nunc semper repetitur oratio dominicae praecedentis; petitur ut rursus restituantur orationes quae pro Laudibus et Vesperis dierum infra hebdomadam olim dicebantur, quae continentur in thesauro librorum liturgicorum Romanae Ecclesiae,[9] quod dum favet pietati consulit varietati.

b) Preces dictae « feriales » (falso « paenitentiales » aestimatae) pro necessitatibus mundi et Ecclesiae, in Vesperis instaurari desideratur. Melius enim videtur illas coniungere Vesperis quam Laudibus, duplici ratione: ne, scilicet, Preces quae, iuxta votum Commissionis, etiam Missae essent addendae (oratio fidelium) mane duplicentur; et propter spem Vesperas Horam popularem evasuras esse, quod difficilius est pro Laudibus.

c) Usus complendi Horas minores oratione dominica constans fuit in traditione liturgica per plura saecula, usque dum consuetudo monastica, conformandi unica ratione initium et finem omnium Horarum, etiam in Horas minores induxit orationem diei.

75. [*Obligatio*]. Cum infirmitas humanae naturae postulet ut quid minimum orationis praescribatur, et aliunde totum pensum divini Officii servandum sit, hae normae erunt observandae:

a) *Communitates choro obligatae* tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare, et quidem:

— *totum Officium,* Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium;

— saltem *Laudes aut Vesperas,* Capitula residentialia;

— *totum Officium aut partem illius,* ceteri Ordines et Congregationes religiosae, secundum proprias Constitutiones.

Omnes autem illarum Communitatum clerici, si sunt in Ordinibus maioribus, et omnes sollemniter professi, exceptis conversis, tenentur ad recitationem totius Officii, etiam a solo factam, si totum aut partem in choro non absolvunt.

b) *Clerici choro non obligati,* si sunt in Ordinibus maioribus, cotidie, sive in communi, sive a solo, tenentur totum Officium persolvere.

c) Fratres, Sorores, ac laici cuiusvis *Instituti status perfectionis* observent Constitutiones proprias. Ipsis autem enixe commendatur ut, in quantum fieri potest, Laudes ac Vesperas celebrent sicut in Breviario.

76. [*Sodales religiosi*]. Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitutionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt. Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si aliquod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

[DECLARATIO]. Nostris diebus apud Instituta religiosa et saecularia lau-

dabiliter crescit consuetudo recitandi Officium divinum aut partem ipsius. Opportunum proinde videtur huiusmodi recitationem tamquam publicam Ecclesiae orationem agnoscere, in bonum totius Mystici Corporis.

Sunt et Instituta quae « parva Officia » recitant. Pro iis Institutis exsistunt plures editiones, aut horum Officiorum aut parvorum Breviariorum specialium, lingua latina aut lingua vulgari exaratae,[10] quae tamen multum inter se discrepant. Editio unica officialis, si conficeretur a peritis in scientia liturgica, valde utilis esse posset. Sed melius videtur Officia edere singulis Institutis accommodata, quae tamen servent formam Officii divini, cum psalmis, lectionibus, hymnis et orationibus; servent insuper anni circulum, ut opus Redemptionis plena luce effulgeat: quod etiam pro Officiis B. Mariae Virginis fieri deberet.

77. [*Fidelium participatio in Officio divino*]. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, vel ad minus Vesperae,[11] potissimum diebus dominicis et festis sollemnioribus in ecclesiis et oratoriis celebrentur communes. Commendatur ut et ipsi laici celebrent Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, vel immo unusquisque solus.

78. [*Tempus recitandi Officium divinum*]. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

[DECLARATIO]. Horae divini Officii, olim sanctificationi totius diei destinatae, praesertim in recitatione a solo, saepius a competenti suo loco in cursu diei removentur, ideoque veritate sua privantur, ut fit, v. gr., cum Completorium mane vel Laudes ante cubitum recitantur. Insuper saepissime omnes Horae in unum ita cumulantur, ut totum diem amplius non sanctificent et necessario orantibus taedio fiant.

Propterea Codex rubricarum (n. 142) iam enixe commendat ut in absolvendo divino Officio tempus competens servetur, idest « tempus quod proxime accedit ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae », scilicet:

a) pro Laudibus, « mane »;

b) pro Vesperis, « vespere »;

c) pro Horis minoribus, illud quod ad veritatem uniuscuiusque Horae proxime accedit, inter Laudes et Vesperas;

d) pro Completorio, paulo ante cubitum;

e) pro Hora, quae Matutinum vocatur, inter Vesperas diei praecedentis et Laudes ipsius diei.

79. [*Lingua adhibenda in recitatione Officii divini*]. *a*) Iuxta saecularem traditionem occidentalis Ecclesiae, in Officio divino lingua latina clericis servanda est.

Ubi tamen cognitio linguae latinae valde insufficiens est, neque adest spes legitima rem funditus mutatum iri, Conferentiarum Episcopalium erit in singulis regionibus normas statuere circa usum alterius linguae, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.[12]

b) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, tam in choro aut in communi quam a solo celebrando, a proprio Ordinario, annuente Sancta Sede, concedi potest ut lingua vulgari utantur.

c) Quivis Officio divino adstrictus, si Officium divinum una cum fidelibus laicis, vel cum iis qui sub *a*) et *b*) nominantur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit legitime approbatus.

[DECLARATIO]. In Officio divino a clericis recitando lingua latina retinenda est. Nam saltem inter clericos Ecclesiae occidentalis linguam latinam vinculum unitatis esse, omnes plane admittunt.

Nemo tamen nescit quod studium latinitatis in universo orbe revera in dies minuitur atque vires ecclesiasticorum, contra torrentem rapidissimum pugnantium, victoriam adipisci non possunt, etsi omnis contentio, saltem inter Ecclesiae occidentalis iuvenes sacerdotium adpetentes, studium latinitatis innovandi, non tantum laudanda, sed etiam omnino iuvanda est. Quidquid est de hac re, sinceriter admittendum est hodie amplius non esse in potestate Ecclesiae, neque in potestate Universitatum, agere contra hanc evolutionem deplorabilem, quia ratio studiorum fere ubique in completa independentia ab Ecclesia fit a guberniis profanis, quae consiliis peritorum culturae humanae etiam obsecundare non possunt aut volunt.

Rebus sic stantibus, non solum in terris Missionum, sed in omnibus fere mundi regionibus non desunt clerici Breviarium latine persolventes, qui vix intellegunt quod pronuntiant. Neque adest spes rationabilis rem funditus mutatum iri. Verba autem sacra cotidie in ore orantis habita, quae non intelleguntur, fructum suum plenum afferre nequeunt, potius evanescunt. Huic rei Ecclesia consulat oportet.

Plurima Episcoporum vota circa usum linguae vulgaris in recitatione Officii divini videri possunt in *Acta et Documenta,* pp. 412-417.

Nota de editionibus. – Omnes Breviarii editiones contineant plenum textum latinum. Versiones a Conferentiis Episcoporum regionalibus approbatae, textui latino iuxtaponi possunt. Officia in usum laicorum, necnon Fratrum ac Sororum cuiusvis Instituti status perfectionis, habeant Horas cardinales sive lingua latina sive lingua vulgari dispositas; ceterae vero Officii partes lingua vernacula tantum edi possunt.

80. [*Officium divinum in choro vel in communi*]. Cum officium divinum sit vox Ecclesiae Deum publice laudantis, choro obligati et omnes in communi celebrantes munus sibi concreditum quam perfectissime, sive interna animi devotione, sive externa agendi ratione, peragant.

Praestat insuper ut Officium divinum in choro et in communi, pro opportunitate, cantetur.

NOTAE

[1] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 573.

[2] *Hebr.* 5, 1.

[3] PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 573.

[4] *Codex rubricarum,* n. 142.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 303-305, ubi plures favent huic duplici formae Officii divini.

[6] *Ibidem,* pp. 316-318.

[7] Quaedam desideria circa distributionem Psalterii per spatium temporis maius quam unam hebdomadam et circa aliqualem selectionem psalmorum faciendam, videri possunt in *Acta et Documenta,* pp. 314-316.

[8] Plura desideria circa lectiones s. Scripturae vide in *Acta et Documenta,* pp. 318-322, nn. 1-32; quoad lectiones historicas, *ibidem,* pp. 322-325, nn. 33-50; quoad lectiones Ss. Patrum, *ibidem,* pp. 325-326, nn. 52-59.

[9] Vide, v. gr., *Sacramentarium Gregorianum* (ed. Lietzmann) n. 203, in quo habentur 8 orationes matutinales, et n. 204, qui continet 37 orationes vespertinales seu matutinales.

[10] Vide, v. gr., A. BUGNINI, *Parva Breviaria fidelium,* in *Ephem. lit.* 68 (1954), pp. 171-179; H. SCHMIDT, *Introductio in Liturgiam occidentalem,* Romae 1960, pp. 469-483.

[11] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 575; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 45.

[12] N. 24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali omnino servandus est.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere » possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

CAPUT V

DE ANNO LITURGICO

Sponsi divini opera salutifera, statutis diebus in anni decursu pia Mater Ecclesia sacra semper recordatione celebrare contendit. Primo hebdomadae die, quem « dominicum » vocavit, memoriam habuit Resurrectionis Domini, quam etiam semel in anno, solemnitate magna Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentavit. Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicavit, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini. Recolendo taliter mysteria Redemptionis, aperuit fidelibus divitias virtutum atque meritorum Domini sui, ita ut omni tempore quodammodo praesentia fiant, et ipsi illa attingant et gratia salutis repleantur.

Memorias etiam Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam et perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant, circulo anni inseruit Ecclesia. Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum praesentat, omnes per Christum ad Patrem trahentia.

In exercitationibus denique, diversis anni temporibus, iuxta traditas disciplinas aggrediendis, fidelium formationem perficit, per illas animi et corporis actuositates, quae in precatione, in ieiunio et instructione vim suam attingunt.

Praestat igitur ut fideles virtutem mysteriorum Christi impensius hauriant, Sanctorum exempla devote imitentur, atque exercitationibus sacris ad sanctitatem contendant. Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

I - DE ANNO LITURGICO INSTAURANDO

81. [*Annus liturgicus in genere*]. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur, ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali, quod est totius anni liturgici veluti centrum et culmen.

[DECLARATIO]. Munus erit generalis instaurationis liturgicae etiam totius anni ecclesiastici ordinationem ita considerare, ut singula ipsius tempora revera respondeant menti et traditioni Ecclesiae necnon fidelium utilitati pastorali. Nonnulla enim tempora liturgica hodie a primaeva sua natura deciderunt; nonnulla autem melius ordinari possunt, quo vitam spiritualem fidelium profundius alant.

Commissionibus postconciliaribus, proinde, inter alia, haec commendari possent:

a) Tempori sacri *Adventus* ordinationem tribuere, quae illud fidelibus apertius significet inter potiora anni tempora, et eos quasi per gradus ducat ad mysterium Incarnationis Filii Dei celebrandum eiusque perfectam revelationem fideliter exspectandam.

Opportunum enim videtur ut, simul cum instauratione temporis quadragesimalis, aeque provideatur ut etiam tempus sacri Adventus characterem suum apertius exprimat, praeparationis scilicet ad celebrandum mysterium Incarnationis et exspectationis gloriosi adventus Domini. Elementa quamplurima supersunt in antiquis codicibus, quibus restitutis, tempus Adventus ditius efficeretur. Inter alia, memorari possunt praefationes propriae in Missa, et restitutio lectionum sacrae Scripturae feriis IV et VI cuiusque hebdomadae.[1] Insuper hodierna disciplina liturgica, quae dies a 17 ad 23 decembris

numerat inter ferias II classis, requireret, pro iisdem diebus, non tantum lectiones proprias sed integram Missam propriam.[2]

b) Tempori *Septuagesimae,* charactere valde indefinito hodie praedito, naturam magis concretam tribuere, quae fidelium pietati et eruditioni rectius respondere possit.

c) Studere num et quomodo, iuxta regionum et populorum condicionem, *Quatuor anni Tempora* restitui possint.

82. [*Dies dominicus*]. Peculiaris natura diei dominici pietati fidelium quam maxime proponatur et inculcetur, quatenus est « dies Domini » et hebdomadalis commemoratio mysterii paschalis et christianae fidelium regenerationis. Aliae proinde celebrationes, nisi revera sint magni momenti, ipsi ne praeponantur.

[DECLARATIO]. Nisus actionis pastoralis hodiernae ut diei dominico sanctitas nativa servetur, vim suam habebit, si ipsius natura « diei Domini » pressius inculcetur et clare indicetur connexio quodammodo necessaria diei dominici cum Resurrectione Domini, immo cum mysterio paschali in omni sua parte. Dominico enim die, idest die Christi gloriose resurgentis, Ecclesia in unum convenire solet inde a suis incunabulis, ad mysterium paschale celebrandum, tum legendo « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (*Lc.* 24, 27), tum Eucharistiam conficiendo, in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur ».[3] Aliud elementum in traditione Ecclesiae perseverans est directa connexio commemorationis Baptismi cum commemoratione Resurrectionis dominicae, eodem prorsus modo quo eadem duo elementa inter se connectuntur in nocte paschali.

Periculum vero quod diei dominico imminet in actione pastorali est eius deviatio ad alias celebrationes in honorem Sanctorum efficiendas. Disciplina liturgica admittit quidem ut aliqua festa et aliquae solemnitates, quae infra hebdomadam occurrunt, in dominica celebrentur cum sua solemnitate externa, in bonum fidelium.[4] Sed haec concessio ansam praebere non intendit praxi indebitae celebrationum in die dominico. Dies enim dominicus remanere debet « dies Domini » per excellentiam, dicatus pietati et occursui fidelium cum ipsorum Salvatore.

83. [*Proprium de Tempore*]. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, qui mysteria salutis in anno celebrant. Proinde « Proprium de Tempore » aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum,[5] ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

84. [*Tempus quadragesimale*]. Duplex character temporis quadragesimalis, praeparatio nempe vel saltem memoria Baptismi et actio paenitentialis, tam in Liturgia quam in catechesi liturgica plenius in luce ponatur. Proinde:

a) ad profundiorem fidelium eruditionem, eorumque ad celebrandum mysterium paschale praeparationem, elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate, restituantur;

b) idem autem fiat de elementis paenitentialibus. Quoad catechesim

autem imprimis inculcentur animis fidelium socialis peccati indoles perniciosa, et partes Ecclesiae in actione paenitentiali; atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

[DECLARATIO]. Elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis magni facienda sunt, et quidem primo lectiones sacrae Scripturae, orationes et alia huiusmodi, quae iam in textibus liturgicis inveniuntur. Sed munus quoque sit futurae instaurationis liturgicae aggrediendae ut cursus integrae Quadragesimae gradibus catechumenatus magis accommodetur, praesertim restituendo tria evangelia fundamentalia didascaliae Baptismi (mulier samaritana, caecus natus, Lazarus) dominicis Quadragesimae, ea a feriis infra hebdomadam auferendo, ut ita catechesi totius communitatis, die dominico, inservire possint. Insuper, orationi fidelium restitutae, tempore quadragesimali, precatio pro catechumenis modo speciali inseratur. Haec elementa omnibus fidelibus, iam dono Baptismi auctis, optimum medium catecheseos praebere valent.

85. [*Praxis paenitentialis Quadragesimae opportune restituenda*]. Indoles paenitentialis temporis quadragesimalis non tantum spiritualiter colatur, sed in vita quoque practica fidelium suam partem externam habeat. Instauretur, proinde, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, opportuna praxis paenitentialis.

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte Domini, ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

[DECLARATIO]. Textus liturgici Quadragesimae semper ieiunium memorant et commendant ob ipsius vim redemptivam et sanctificantem. Sunt ergo qui, discrepantia ducti inter textus liturgicos et hodiernam disciplinam ecclesiasticam, volunt textus ita aptare ut amplius de ieiunio non loquantur. Certe aliqualis aptatio fieri etiam posset, alios textus ex antiquis Sacramentariis eligendo, qui non directe et unice de ieiunio loquantur. Sed contendendum quoque erit ut praxis paenitentialis in Ecclesia restituatur. Studendum erit formae actuum paenitentialium, quae nostri aevi condicionibus melius respondeat, sed res ipsa manere, immo restituenda videtur.[6]

E contra, praxis perantiqua ieiunii feriae VI in Passione et Morte Domini omnino erit retinenda, immo sanctius servanda. Est ieiunium paschale, quod culmen constituit praeparationis ad mysterium paschale, et quodammodo consummatio totius purificationis quadragesimalis. Restituta insuper natura diei paenitentialis integro Sabbato sancto, usque ad mediam noctem ipsius,[7] consentaneum esset ut ieiunium paschale etiam per ipsum Sabbatum sanctum protrahatur, absque tamen impositione, ut ita clarius significetur praeparatio ad celebrationem mysterii Paschatis christiani. Quod respondet antiquae traditioni Ecclesiae de ieiunio producendo per dies quibus ablatus est Sponsus.[8]

86. [*Festa Sanctorum*]. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in

servis eius praedicant, et fidelibus opportuna praebent virtutum exempla imitanda: attamen festis ipsa mysteria salutis recolentibus ne praevaleant. Immo plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda,[9] iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

II - DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO

87. [*Festum Paschatis certae dominicae assignandum*]. Ut festum Paschatis certae dominicae in calendario gregoriano assignetur,[10] assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus separatis, Sacrosanctum Concilium commendat.

88. [*Calendarium fixum inducendum*]. Sacrosanctum Concilium declarat se non obstare mediis et inceptis, quibus tenditur ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum excogitata sunt, illis tantum non obstat, quae hebdomadam septem dierum servant et tutantur.[11]

Textus definitive approbatus unanimi suffragio in Sessione plenaria, die 12 ianuarii 1962.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta,* p. 434, n. 32.

[2] Cf. *Acta et Documenta,* p. 434, n. 34.

[3] *Conc. Trid.,* Sessio 13, cap. 5.

[4] *Codex rubricarum,* nn. 356-361.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* sub titulo *De calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.

[6] Cf. *Acta et Documenta,* pp. 232-234: *De ieiunio quadragesimali;* et pp. 219-230: *De reformatione ieiunii et abstinentiae.*

[7] Cf. Decretum S. R. C. *Maxima Redemptionis nostrae mysteria,* diei 16 nov. 1955.

[8] Cf. Tertullianus, *De ieiunio,* cap. 2, 14.

[9] Cf. *Acta et Documenta,* sub titulo *De calendarii reformatione* (pp. 430-441) passim.

[10] *Ibidem,* pp. 442-443, nn. 2-12.

[11] V. gr. *Calendarium Orbis,* seu Calendarium a « World Calendar Association » propositum. Fuit etiam votum Congressus Unionis Astronomicae, Romae anno 1922 habiti (cf. *Ephemerides liturgicae,* 37 [1923], p. 39).

CAPUT VI *

DE SACRA SUPELLECTILE

Quantam Ecclesia adhibuerit curam ad decorem, ornatum et pretiositatem sacrae supellectilis in cultu sacro augenda, testatur traditio liturgica. Omnia enim pretiosa, quae aut natura ipsa protulerit aut humanum ingenium comparaverit, ea Ecclesia in cultum suum assumpsit, ut ita mirabilis laudis concentus Deo tribuendus plenior et perfectior efficeretur.

At ipsa quoque historia testatur temporum decursu nonnullos hac in re irrepsisse abusus. In externis enim cultus ornamentis amplificandis, non unice laus divina quaesita est, sed quandoque etiam humana vanitas irrepsit; ratio insuper et inclinatio temporum nonnunquam mutationes non parvas sive in formam sive in ornatum sacrae supellectilis invexit; dum, e contra, artis technicae progressus nova cotidie elementa producunt, quae elementis naturalibus usu traditis optime sociari possunt ad cultus decorem augendum.

Hinc profluit necessitas valde curandi materiam, formam et ornatum sacrae supellectilis et fideliter observandi leges artis sacrae, iuxta liturgicam traditionem.

Placuit ergo Patribus ea quae sequuntur principia affirmare et statuere.

89. [*Materia sacrae supellectilis*]. Leges generales circa materiam paramentorum et sacrae supellectilis in suo robore manent. Conferentiis tamen Episcopalibus facultas tribuitur materiis ex lege et traditione Ecclesiae acceptis alias admiscere aut sufficere, praesertim ex usibus et cultura populi sui traditis, dummodo vestis aut supellex exinde resultans decori, cultus reverentiae et usui liturgico respondeat, communi populi aestimatione magni habeatur atque persistens sit et duratura.

90. [*Forma sacrae supellectilis*]. Sacrae supellectilis, vestium et vasorum sacrorum forma sanctitati divini cultus studiose respondeat, congruenter usui consulat, reverentiam conciliet, ministrorum gradibus conveniat.[1]

Sanctae Sedis, vel Episcoporum in singulis regionibus, ad normam iuris, erit perpendere an in eorum forma, usu et ornatu aliquid sit mutandum vel tollendum, iuxta articulum 21 huius Constitutionis.[2]

91. [*Usus pontificalium*]. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

[DECLARATIO]. Quo efficaciore modo honori et dignitati Episcopalis Ordinis consulatur, immo in dies reverentia eidem debita foveatur atque ponti-

---

* Capita VI-VIII discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta et septima congregatione sessionis quintae, diebus 31 mart.-2 apr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 460-492.

ficalium insignium sensus liturgicus iuxta traditionem restauretur, usus pontificalium, maxime autem baculi et mitrae, reservandus esset Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus de regimine et Praelatis speciali mandato Sanctae Sedis vel peculiari iurisdictione insignitis.

NOTAE

[1] *Acta et Documenta,* pp. 449-451; quoad vestes pontificales, pp. 451-453.

[2] 21. [*Limites aptationis*]. Limites servandi in hac aptatione facienda ita a legislatione ecclesiastica statuantur ut, intacta vi editionis « typicae » librorum liturgicorum a Sancta Sede editorum aut edendorum, Ordinariis singularum provinciarum vel regionum, vel etiam Conferentiae Episcopali nationali, maior concedatur facultas divinum cultum ordinandi, imprimis autem quoad administrationem sacramentorum et sacramentalium, processiones, linguam liturgicam, musicam sacram et artes.

Caput VII

DE MUSICA SACRA

Musica traditio sanctae Ecclesiae thesaurum constituit inaestimabile, maxime excellens inter ceteras artis expressiones, cum Musica sacra efformet necessariam Liturgiae sollemnis partem et directe sacram Actionem comitetur. Efficaciam spiritualem sacri concentus in cultu divino laudibus extulerunt sancti Patres atque Romani Pontifices, qui hac nostra praesertim aetate, praeeunte sancto Pio X, Musicam sacram « ad fontes » revocantes, ipsius characterem ministerialem dominici servitii pressius ostenderunt. Etsi relationes statuantur, limites tamen in generibus musicis haud ponuntur, cum Ecclesia omnes verae artis expressiones, debitis praeditas dotibus, amplectatur et in cultum admittat.

Normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae secutum, prae oculis habens finem ultimum Musicae sacrae, qui « gloria Dei est, sanctificatio exemplumque fidelium »,[1] Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuit.

92. [*Natura Musicae sacrae*]. Musica sacra tam nobilem in Liturgia locum ex Patrum traditione habet, ut ei velut ancilla seu administra famuletur, modo orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, modo ritus sacros maiore sollemnitate comitans. Tanto ergo pulchrior et sanctior erit, quanto actioni liturgicae arctius connectetur.

[Declaratio]. Ex tota traditione eruitur Musicam sacram in Ecclesia non adhiberi propter seipsam, quatenus artis operam, sed ad divinum cultum decore exercendum. Quod Urbanus VIII in decreto S. C. Rituum diei 21 februarii 1643 enuntiavit his verbis: Musica sacrae Scripturae, non haec illi inservire debet; Musica Missae, non Missa Musicae famuletur.[2] Eundem Musicae sacrae characterem ministerialem dominici servitii, nostra aetate pres-

sius ostenderunt Romani Pontifices. Sanctus Pius X eam vocat humilem ancillam Liturgiae,[3] Pius XI ancillam nobilissimam,[4] Pius XII: Liturgiae quasi administram.[5]

Hic locus eminentior Liturgiae pressius nunc imponitur ex vitalitate actionis pastoralis liturgicae, magis actuosam fidelium partem in sacra Liturgia vindicantis.

93. [*Liturgia sollemnis principem locum tenet*]. Forma nobilior celebrationis liturgicae est Liturgia sollemnis, lingua latina celebrata, cum participatione populi.

Ut autem fideles et scholae cantorum ad Liturgiam sollemniter celebrandam progressive ducantur, gradus ipsorum captui et condicioni accommodati statuantur.

Proinde sit Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus statuere ut nonnulli cantus lingua vernacula peragi possint, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.[6]

[Declaratio]. Haec praestantia celebrata est a Pio XII, cum scripsit: Missa sollemnis, « etiamsi adstantibus solummodo sacris administris fiat..., peculiari fruitur dignitate sua, cuius tamen splendor et amplitudo, si frequens pietateque praestans populus adsit, ut Ecclesiae in votis est, summopere adaugetur ».[7]

Sed haec forma sollemnior celebrationis eucharisticae, initio communis, rarior decursu temporis devenit; quod in damnum vertit pietatis christianae et sacrae Ecclesiae Liturgiae.

Propterea proponitur statuendas esse diversas celebrationis formas, a simpliciore ad perfectissimam, ita ut fideles et scholae quasi manuducantur ad celebrationem sollemnem. Hoc non requirit sensibiles mutationes. Sufficit ut leviter amplientur formae iam existentes, ita ut fideles, ab una ad aliam progredientes, ad nobilissimam pervenire possint.

94. [*Participatio fidelium numquam excludenda*]. Quamvis thesaurus artisticus Musicae sacrae summa cura servandus et fovendus sit, et scholae cantorum assidue provehendae, Episcopi ceterique animarum pastores sedulo provideant ut in qualibet sacra actione, vel sollemnissima, universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam in cantu praestare possit.

[Declaratio]. Thesaurus artisticus Musicae sacrae est patrimonium pretiosissimum Ecclesiae, accurate et studiose servandum, immo pro viribus augendum sive per novas compositiones, sive in apertum proferendo melodias et opera quae in codicibus adhuc servantur.[8]

Consequenter etiam scholae cantorum, praesertim ecclesiarum maiorum, vel seminariorum et institutorum religiosorum, sunt omnino fovendae, cum istae praecipue uti possint patrimonio illo ditissimo. Potiores sollemnitates anni circuli, cantibus gregorianis polyphonicisque condecoratae, maiestatem decoremque quam maxime acquirunt.

Caveatur tamen ne fidelium turmae, quae sacrarum aedium naves stipa-

tim implent, in desolatissima oblivione relinquantur. Ac proinde quaeritur ut etiam in functionibus sollemnissimis, immo praecipue in illis, fideles non numerentur tamquam « spectatores muti et inertes », sed seipsos actionis sacrae auctores exhibeant per cantum, per gestum, per precum prolationem. Ex. gr. etiam in Missis pontificalibus saltem Symbolum et « Sanctus » semper a populo cani deberent: quod omnino congrueret et cum tota christiana traditione et cum pastorali exigentia condicionis hodiernae.

95. [*Institutio musica*]. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, necnon in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam institutionem obtinendam, magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo praeparentur.[9]

Cantores vero et musicae artifices, praeter musicam, solida formatione liturgica donentur, iuxta Ecclesiae traditionem et pastoralem populi utilitatem, quibus eorum servitium spiritu ac mente perficiantur.[10]

Fideles quoque, iuxta ipsorum condicionem, et in sacra Liturgia et in cantu sacro opportune edoceantur, « ut vocem suam sacerdotis vel scholae vocibus, ad praescriptas normas, alternent ».[11]

96. [*Cantus gregorianus et polyphonicus fovendus*]. Ecclesia Romana cantum gregorianum agnoscit tamquam suae Liturgiae proprium: ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.[12]

Alia tamen genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo fidelium actuosam participationem ne impediant, neque dignitati, gravitati et sanctitati Liturgiae repugnent.

Eximii autem artis musicae viri incitentur non tantum ad modos conscribendos qui a maioribus scholis cantorum cani possint, sed praesertim ad modos etiam componendos qui parvis quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius communitatis fidelium foveant.

97. [*Editio typica librorum cantus gregoriani compleatur*]. Compleatur editio typica librorum cantus liturgici; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem s. Pii X.

Pariter, altera paretur editio simpliciores modulos continens, in usum minorum ecclesiarum.

[DECLARATIO]. Opus instaurationis cantus sacri a s. Pio X sexaginta ante annos incoeptum, adhuc imperfectum manet. Hucusque edita sunt Kyriale (1905), Graduale (1907), Officium defunctorum (1909), Cantorinus seu « Toni communes » (1912), Antiphonale diurnum romanum (1912), Officium Hebdomadae sanctae (1922 et 1955), Officium Nativitatis Domini (1926), Pontificale romanum (1961). Adhuc desideratur Liber responsorialis seu Matutinarium.

Insuper, editio Vaticana a s. Pio X pro usu liturgico quam citius expetita, nunc, praestante progressu scientiarum palaeographicarum, in pluribus mendosa invenitur, et ope criticae editionis, quae pro Graduali iam a decennio et

amplius Solesmis in promptu est, Vaticanam illam in futuro emendatam fore periti omnes auspicantur.

Tandem votum promitur ut simplicior paretur editio pro parvis ecclesiis. Praesens editio Kyrialis, anno 1905 forma hodierna concinnata, continet 18 schemata completa Ordinarii Missae et quaedam alia schemata pro singulis cantibus, scilicet: Kyrie, Gloria, etc. Plura ex his schematibus aptiora sunt pro scholis cantorum bene paratis, potius quam pro fidelium turmis vel pro parvis scholis paroeciarum, cum ditioribus ornatisque melodiis praedita sint. Quod dicitur de Kyriali, petitur etiam pro cantu Proprii Missarum; parari deberent scilicet schemata faciliora quoad melodiam et quoad textum, quae cani et aptari possint diversis circumstantiis, ita ut etiam scholae cantorum minores, uti sunt paroeciales, illa cantare valeant. Quid simile pro ritibus iam fecit Benedictus XIII libello « Memoriale Rituum » parvis ecclesiis destinato.

98. [*Cantus popularis religiosus*]. Cantus popularis religiosus sollerter inculcetur, ita ut in piis exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.[13]

Cantus ad catholicae fidei doctrinam plene sint conformes, breves et faciles, lingua utantur plana et modulatione simplici. Verba autem a tumida et inani profluentia sint immunia [14] ac deriventur potissimum ex sacra Scriptura, specialiter ex psalmis et canticis biblicis, et ex fontibus liturgicis, sive orientalibus sive occidentalibus.

99. [*Musica sacra in Missionibus*]. Cum in regionibus Missionum gentes inveniantur quae propria polleant traditione musica, magnam partem in earum vita religiosa ac sociali habente, huic musicae respectus debitus necnon locus congruus praebeatur, tam in efformando earum sensu religioso, quam in cultu earum indoli adaptando. Quapropter magnae curae sit in apostolatu missionario hanc musicam christianam tam in scholis quam in officiis sacris promovere. Commendatur, insuper, etiam instrumentorum indigenorum ad usum liturgicum adaptatio, in quantum indoli cultus christiani respondent.[15]

100. [*Organum et instrumenta musica*]. Organum est instrumentum musicum traditionale Ecclesiae occidentalis, ad sacros ritus maiore sollemnitate donandos.

Cetera vero musica instrumenta in cultum divinum admittuntur quatenus usui sacro aptari possunt, templi dignitati congruunt, atque communi fidelium actuosae participationi favent.

Nova technicae artis inventa ad sonos producendos vel transmittendos, in sacris celebrationibus Ecclesia haud respuit, dummodo sonitum omnino decorum gratumque edant et talia instrumenta, non modo mere mechanico seu automatico, sed directa et personali artificis actione tractentur.[16]

[DECLARATIO]. Constitutio Apostolica *Divini cultus* Pii XI (1928) longe lateque extollit organi dignitatem; [17] altius denique eius excellentiam illustrant Litterae Encyclicae *Musicae sacrae* Pii XII (1955) [18] et *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia* (n. 61). Omnino ergo retinendum ac fovendum est atque, in quantum possibile, eius genuinitas defendenda.

Cetera instrumenta admittuntur in cultum tribus positis conditionibus: [19] prima, quod aptari possint usui sacro, et sic naturae sacrae actionis liturgicae providetur; secunda, ut dignitati templi seu loci consulatur; tertia, personarum actioni liturgicae participantium iura defenduntur. Aedificatio enim spiritualis populi Dei semper servanda et imprimis fovenda est. Maximus honor tribuitur Deo non a « cymbalis crepitantibus », sed a consertis populorum vocibus, qui Deum orant, Deum laudant, Deo canunt.

Numquam Ecclesia templi ianuas clausit novis artis inventis, servata tamen prioritate et excellentia personalis actionis artificis. Liturgia enim, cui omnes artes inservire vocantur, est cultus vivens, animae et cordis et corporis, exhibitus ab homine, qui intellectu et voluntate Deum cantibus, precibus actionibusque honorat. Instrumenta quae modo mere mechanico sonum edunt, puta grammophonia, dictaphonia, auto-organa, et cetera huiusmodi, possunt ad usum catecheticum adhiberi, minime vero ad usum liturgicum. Esset enim tunc cultus Dei mechanicus et simulatus, non spiritu et veritate redditus.

NOTAE

[1] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n .1.

[2] *Decreta authentica S. R. C.,* n. 823.

[3] Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 23.

[4] Const. Apost. *Divini cultus*: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 35.

[5] Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 12.

[6] N. 24. [*Lingua liturgica*]. Latinae linguae usus in Liturgia occidentali omnino servandus est.

Cum tamen « in non paucis ritibus vulgati sermonis usurpatio valde utilis apud populum exsistere » possit, amplior locus ipsi in Liturgia tribuatur, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus.

Sit vero Conferentiae Episcopalis in singulis regionibus, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, limites et modum linguae vernaculae in Liturgiam admittendae statuere, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291).

[7] Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 561.

[8] Pius XII, Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 18-20; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, nn. 48-49: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 646.

[9] Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* n. IX: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 40).

[10] Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 25; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus*: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 39; Pius XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 589; Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 23-24; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* nn. 115-117; cf. etiam Epistolam S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *De Musicae sacrae studio in seminariis fovendo,* diei 15 augusti 1959: *A.A.S.,* 41 (1949), pp. 618-619.

[11] Cf. Pius X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 27; Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* V-VI: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 38; Pius XII, Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 23; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 98.

[12] Cf. PIUS X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* n. 3; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 16.

[13] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 590; Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 20-21; *Ordo Hebdomadae sanctae instauratus,* dom. II Passionis, n. 20; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 15.

[14] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 20.

[15] Quaedam Missae cum melodiis localibus iam conscriptae sunt in Africa, in Sinis, in India, instrumentis quoque indigenis comitantibus.

[16] Cf. *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia,* n. 60 s.

[17] N. VIII: *A.A.S.,* 21 (1929), p. 39.

[18] *A.A.S.,* 48 (1956), p. 19.

[19] PIUS XII, Litt. Enc. *Musicae sacrae*: *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 19-20.

CAPUT VIII

DE ARTE SACRA

Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes, artes pulchrae pleno iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra, quippe quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam spectent, humanis operibus aliquomodo exprimendam, et Deo eiusdemque laudi ac gloriae provehendae eo magis addicantur, quo nihil aliud eis propositum sit, nisi ut operibus suis ad hominum mentes pie ad Deum convertendas plurimum conferant.

Alma Mater Ecclesia proinde semper fuit pulchrarum, seu ingenuarum, artium amica, earumque liberum servitium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes vere sint dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, perenniter quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati, legibusque religiose traditis congruant, atque ad usum sacrum idonea habeantur.[1]

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

101. [*Omnem stilum artis Ecclesia admittit*]. Ecclesia catholica nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed omnium temporum modos semper admisit. Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia campum habet, quae sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita quidem ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per revoluta iam saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem.[2]

102. [*Opera artis fidei et pietati contraria arceantur*]. Curent locorum Ordinarii ut artis opera quaecumque, quae fidei et moribus ac christianae pietati aperte repugnant sensumque vere religiosum, vel ob insanam formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatem ac simulationem, offendunt, ab aedibus sacris arceantur ac prorsus expellantur.[3]

103. [*In diiudicandis artis operibus, periti adhibeantur*]. In diiudicandis artis operibus, Ordinarii tenentur audire Commissionem dioecesanam de Arte sacra et, si casus ferat, alios viros valde peritos.[4] In causis autem quae, undique spectatae, difficiliores evenerint, adeant consilia ceterorum provinciae vel regionis Episcoporum eorumque peritorum. Si etiam horum consultu iudicium tutum non invenitur, rem Sanctae Sedi proponant.

104. [*Commissiones de Arte sacra*]. Commissiones de Arte sacra tum dioecesanae, tum provinciales vel regionales vel nationales vel etiam internationales, congregentur, in quantum possibile, ex utroque clero et laicis peritis.

105. [*Artificum institutio*]. Episcopi, vel per se ipsos vel per sacerdotes qui peculiari facultate et amore praediti sunt, artificum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.[5]

Artifices autem omnes, qui, ingenio suo vocati, gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper prae oculis habeant agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, Ecclesiae aedificationi necnon fidelium religiosae instructioni destinatis.

106. [*Disciplina ecclesiastica de Arte sacra opportune revisenda*]. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et utilem aedificationem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem et securitatem, baptisterii aptitudinem et honorem, necnon sacrarum imaginum, decorationis et ornatus convenientiam, moderationem et ordinem, recognoscantur: quae Liturgiae instauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur; quae vero ipsi favent, nova et vetera, retineantur vel introducantur.

[DECLARATIO]. In toto rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatu recognoscendo, speciali animadversione digna videntur quae sequuntur:

1. *De ecclesia ad sacram synaxim bene ordinanda.* – Ecclesiae aedes ita instruatur, ut rerum omnium locorumque ordo iam sit signum planum et veluti repercussio fidelis sacrae synaxeos, quae est congregatio populi Dei, hierarchice ex « servis » Dei et « plebe sancta » (cf. Canonem Missae) constituti et rite coadunati. Sedula ergo cura non solum altare erigatur, sed disponatur etiam secundum Liturgiae instauratae exigentias, — praecipue in ecclesiis noviter aedificandis —, sedes praesidentiales Episcopi (si opus sit) et sacerdotum, sellae quoque vel scamna ministrorum, ambones vel legilia ad sacras lectiones proclamandas, locus scholae vel coetui cantorum necnon organo congruus, atque loci fidelibus proprii, quibus « ipsi meliore visu animoque divina Officia participare queant ».[6]

2. *De sedibus praesidentialibus.* – In ecclesiis cathedralibus, cathedrae Episcopi, quatenus ipse tamquam synaxeos praeses atque antistes plane appareat, decet ut locus servetur in medio absidis, quod est in capite ecclesiae seu synaxeos. Cathedram decet ad latera habere canonicorum seu presbyterorum consessum. In ceteris ecclesiis, ubi non adest cathedra Episcopi, praesertim

in paroecialibus, etiam sella simplex parochi vel sacerdotis celebrantis, quia nomine Episcopi, cuius est collaborator, synaxi praesidet, hunc honorificum locum obtinere licet; evitetur tamen omnis aspectus troni quoad eos, quibus usus troni non competit.[7]

3. *De altari maiore.* – Altare maius, quod iam ea ratione a pariete seiunctum sit, ut facile circumiri queat, congruenter erigatur loco intermedio inter presbyterium et plebem, idest: in medio synaxeos (notione idealiter non mathematice sumpta). Altare tale, in quantum aedis condicio id suadet, ciborio seu baldachino laudabiliter cooperiatur, ut eius sanctitas manifestetur. Meminerint ecclesiarum rectores altare esse Eucharistici Sacrificii locum atque Convivii sacri venerabilem mensam, quae ornatur nobili formarum simplicitate et omnia quae non pertinent ad cultum eucharisticum stricte vetat. Crux et candelabra, quae iuxta qualitatem Missae requiruntur, vel super altare, vel etiam, secundum antiquissimum Ecclesiae usum, apud, seu quasi circum altare, ponantur.

4. *De altaribus minoribus.* – Altaria minora ita disponantur, ne sacrae synaxi circum altare maius detrimento fiant; deinde, in quantum aedificii structura et circumstantiae permittant, melius in sacellis peculiaribus quam in ecclesiae aede principali locum habeant.

5. *De altarium consecratione.* – Praeter altare maius, quod semper fixum esse debet, etiam minora convenit esse lapidea ac fixa, nisi condicio locorum, veluti in oratoriis, id excludit. In eorum consecratione, si commode fieri potest, illi romani Pontificalis modi praeferendi sunt, qui sepulcrum Reliquiarum sacrarum in stipite, vel etiam, iuxta antiquissimum usum, revera « sub altare » praevident, ne tabula sacra sine necessitate laedatur, sepulcro ab eius parte superiore excavato; mensam enim sacram pura integritas crucibus consecrationis ornatam, valde decet. Etsi haud opportunus habetur plenus ad priscam Romanae Ecclesiae legem reditus: « Nemo Martyrem distrahat » (*Cd. Theod.* 1, 9, tit. 17 et 7; BRAUN, *Altar,* I, 614), tamen optandum videtur ut reliquiae Sanctorum, altarium sepulcris condendae, ne sint nimis parvae. Omni insuper benevola consideratione digna videtur quaestio, an instaurari possit usus, saltem in quibusdam casibus, praesertim quoad altaria minora, immo portatilia, consecrandi altaria sine reliquiis. Usus exponendi corpora Sanctorum ficticia, etiam aliqua parva sed vera reliquia inclusa, abrogandus videtur.

6. *De SS. Eucharistia asservanda.* – Sanctissima Eucharistia habitualiter asservetur in tabernaculo solidissimo ac inviolabili in medio altaris maioris vel minoris sed vere praecellentis, aut in alio ecclesiae loco pernobili et debite exornato, secundum locorum vel regionum consuetudines. Liceat Sacrificium Missae celebrare versus populum in altari apto, etiam si in eius medio exsistat tabernaculum parvum, pretiosum tamen et omnino dignum, cum SS. Eucharistia asservata.[8]

Saepius, praesertim in ecclesiis maioribus, vel propter antiquitatem vel artis perfectionem insignibus, venerationi et cultui tanti Sacramenti opportunius videtur, si sacellum SS. Eucharistiae proprium adsit quam maxime

ornatum, mere spectantibus quasi vetitum, adoratoribus autem plane apertum; quod sacellum etiam contra violationis pericula melius protegi possit.

7. *De ambone seu de legilibus.* – In ecclesiis aedificandis, ambones seu legilia ad sacras lectiones proclamandas, regulariter ita disponantur, ut sacrarum Scripturarum, immo ipsius verbi divini proclamati dignitas et honor plane appareat.

8. *De loco scholae seu coetus cantorum.* – Locus scholae seu coetus cantorum ita disponatur, ut clare appareat illos qui officio scholae cantorum fungantur, revera munus in Ecclesia exercere. In loco disponendo, semper providendum erit ut singuli cantores, si velint, ad S. Communionem facile accedere possint.

9. *De loco fidelium.* – Optandum est, ut in ecclesiis ponantur regulariter scamna vel sedilia in usum fidelium. Reprobatur consuetudo personis quibusdam privatis reservandi sedilia, quia acceptio personarum vitanda est.[9]

10. *De Baptisterio.* – Baptisterium in ecclesiis tam cathedralibus quam paroecialibus maximo gaudeat honore. Optandum est ut fons baptismalis ita accommodetur ut super ipsum baptizari queat. Si commode fieri potest, nihil impedit quin Baptisterium largum sit, et veluti ad modum aulae fidelibus instruendis digne disponatur, ut his adiumento sint initiationis locus sacer eiusque ornamenta.

11. *De sedibus confessionalibus.* – Sedes confessionales decorum obtineant locum, patentem et conspicuum;[10] sint ecclesiae architecturae convenientes, et ad sacramenti Paenitentiae administrationem dignae.

Sedes temporarias vel ad modum simplicis scamni, in quantum fieri potest, ne ponantur. Sedes tamen ad modum cellae, prope secretarium, viris destinatas, conservari oportet.

12. *De imaginibus sacris.* – Ab antiquissimis temporibus Ecclesia catholica imaginibus sacris, imprimis Domini nostri Iesu Christi, deinde Dei Genetricis Beatae Mariae Virginis, Sanctorum Apostolorum omniumque Sanctorum, honorificentissimos locos parat in aedibus suis, illisque in imaginibus eorum venerationem praebet, et per istos pietatem fidelium excitat atque fovet.[11] In imaginibus autem per ecclesias et oratoria disponendis ordo sacer strenue servandus videtur. Imaginem Christi incarnati, passi, crucifixi, resurgentis, in caelum ascendentis, gloriose triumphantis, ad dexteram Patris sedentis, cum gloria iterum venientis, perhonorabilem decet locum in summo ecclesiae capite, ea lege ut, etsi retro post altare maius imago titularis ecclesiae seu altaris adesse liceat, imago tamen Christi principaliorem semper teneat locum. Eorundem Sanctorum imagines in eadem aede sacra sine gravissimis rationibus ne multiplicentur; retro post idem altare eorum multiplicatio omnino reprobetur.

13. *De ordine decorationis.* – Cum duplex sit in aedibus sacris exornandis artis pictoricae vel sculptoricae munus, iconographicum nempe et ornativum, aequilibrium inter ambo, necnon inter elementa figurativa et sic dicta abstracta, semper quaerendum esse oportet, ut in omnibus splendor

ordinis effulgeat. In ornandis aedibus sacris, partes principaliores in genere gaudeant ornatu praecellentiore.

14. *De arte funeraria.* – Suadeatur fidelibus ut in funeribus et in monumentis funeraticiis apparandis adhaerescant conceptibus mortis christianae et vitae aeternae, quavis reiecta specie mythologiae vel alterius signi profani.

107. [*Cleri institutio in Arte sacra*]. Clerici, dum sacrae Liturgiae studio incumbunt, instruantur etiam de mutuis relationibus inter Artis sacrae historiam et christianae fidei ac disciplinae evolutionem, quatenus Ecclesiae venerabilia quaecumque monumenta aestiment et servent, necnon artificibus, in novis Artis sacrae operibus efficiendis, illuminata consilia praebere queant.

Ad hoc obtinendum, in Universitatibus omnibus catholicis, sacrae Theologiae scholis necnon Facultatibus, principia et historia Artis sacrae doceantur.[12]

Textus definitive approbatus unanimi suffragio in Sessione plenaria, diebus 12 et 13 ianuarii 1962.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 591; Litt. Enc. *Musicae sacrae disciplina*: *A.A.S.*, 48 (1956), p. 11.

[2] Cf. PIUS XII, *Epist. ad Exc. D. Jos. Freudhörfer*: *A.A.S.*, 47 (1955), p. 596: « Die katholische Kirche ist nicht eins mit der abendlaendischen Kultur; wohl aber ist sie bereit, mit jeder Kultur einen Bund zu schliessen »; *Allocutio Conventui X internationali de Scientiis historicis*, diei 7 sept. 1955 (*l. c.*, p. 680): « L'Eglise a conscience d'avoir reçu sa mission et sa tâche pour tous les temps à venir et pour tous les hommes, et par conséquent de ne pas être liée à aucune culture déterminée... L'Eglise catholique ne s'identifie avec aucune culture; son essence le lui interdit. Elle est prête cependant à entretenir des rapports avec toutes les cultures ». Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 590; *Instructio S. O. de Arte sacra*: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 544.

[3] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 591; *Instructio S. O. de Arte sacra*: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 544.

[4] Cf. Can. 1164 § 1; Litt. circulares Secretariae Status, diei 1 sept. 1924 (Prot. 34215); *Instructio S. O. de Arte sacra*: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 545; *Instructio S. R. C. de Musica sacra et sacra Liturgia*, n. 118.

[5] Cf. PIUS XII, Litt. Enc. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 591.

[6] *Instructio S. O. de Arte sacra*: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 544.

[7] Cf. cann. 139 § 1, n. 15; 240 § 3; 274 n. 6; 349 § 2, n. 3; cf. etiam 325; 337 § 3; 435 § 2.

[8] Cf. *Acta et Documenta*, series I, vol. II, pars I (Europa; Conferentia Episc. Fuldensis), p. 760.

[9] Cf. can. 1263.

[10] Cf. *Rituale romanum*, tit. IV, cap. 1, n. 8.

[11] Cf. Conc. Nicaenum II, *Definitio de sacris imaginibus et traditione*: DENZINGER, nn. 302-304, et 306.

[12] Cf. *Instructio S. O. de Arte sacra*: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 545.

COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS

I

DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS FOVENDIS *

1. [*Urgens vocationum necessitas*].[1] Sancta Mater Ecclesia gravissimum agnoscit sibi commissum munus, Christi Regnum in universo terrarum orbe propagandi ac solidandi. Quae Mystici Corporis aedificatio cum ex ipsius Christi voluntate, a sacerdotum ministerio praecipue pendeat,[2] eorum autem numerus magis in dies tanto muneri impar evadat, omni studio sacerdotales vocationes fovere vehementer exoptat Ecclesia, illud Domini Nostri Iesu Christi discipulis dictum memorans: « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 37-38).

2. [*Invitatio ad ipsos vocatos directa*]. Quare haec Sancta Synodus, sicut gravissime monet ne quis sine vocatione ad sacerdotium accedere audeat secundum illud « nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo » (*Hebr.* 5, 4), ita materna sollicitudine quotquot supernum illud donum acceperunt, ardenter hortatur ut vocem Dei libere ac magno animo sequantur, sibi persuasum habentes, se hoc modo, gloriae Dei dilatandae eminenter inservire et ad totius Ecclesiae bonum magnopere conferre.[3]

3. [*Totius Ecclesiae impensa cooperatio*]. Universi autem Ecclesiae Pastores ac fideles, sicut omne datum optimum desursum esse (cf. *Iac.* 1, 17) religiose agnoscunt, ita ab ipsorum quoque adiutrice opera pendere plane meminerint ut Pater luminum plurimas gregi suo suscitet sacerdotales vocationes easque perseverantiae cumulet corona.[4]

Primum igitur *Episcopis*[5] summopere cordi sit, sacerdotalis vocationis excellentiam fidelibus ante oculos ponere, omnes ut in vocationibus excitandis, tuendis, provehendis sociam navent operam commonere ac quos ipsi ad sortem Domini vocari iudicaverint, Patrum more, nullis parcentes sacrificiis, adiuvare.

Omnes pariter *Sacerdotes*, cuicumque ministerio addicti, praesertim vero parochi, zelum apostolicum in vocationibus fovendis comprobare praediligant, imprimis dantes operam ut bonae spei pueros peculiaribus curis ad pietatem et castitatem informent atque, quos indoles ac voluntas ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros praesagiant, a saeculi contagiis arceant.[6] Potissimum

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in quinta congregatione sessionis quartae, die 24 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 738-756.

autem vita humili, paupere, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum suaviter attrahentes, praecipui sint vocationum fautores.[7]

Familiae christianae vero intime sentiant quantum in ipsas quoque recidat utrum vocationes in Ecclesia suscitentur an impediantur; immo vocationem sacerdotalem eximiam ipsi familiae concessam gratiam aestimantes, atque hilari animo nobiliorem partem Deo ex Ipsius donis ac datis offerre satagentes, eam assiduis orationibus et virili filiorum educatione fovere studeant, eorum autem libertate religiose servata.[8]

Magistri et omnes ad quos spectant quocumque modo institutio et educatio puerorum ac iuvenum, eos sic erudiant ut vocationem divinam percipere necnon sequi possint. Imprimis autem iis qui scholis catholicis praesunt, plane persuasum sit, fructum educationis in propria schola impertitae non ultima ratione ex vocationibus sacerdotalibus quas ipsi maturescere adiuverint, iudicandum esse.[9]

4. [*Praecipua huius cooperationis subsidia*]. Gravissimum igitur quod omnia Ecclesiae membra in fovendis vocationibus urget officium, his potissimum rationibus et subsidiis explendum esse Sancta Synodus commendat: [10]

Oratio instans [11] fiat ad vocationes sacerdotales a Deo obtinendas; quare in paroeciis, religiosis domibus aliisque christianorum coetibus precationes ab Episcopo statis diebus instituantur, praesertim in Quatuor Temporibus et in Novendiali supplicatione ante Festum Pentecostes ut omnes fideles, potissimum vero ipsi pueri necnon infirmi, in hoc precandi studio unanimes sint. Item commendetur « Dies pro Vocationibus » in omnibus paroeciis habenda, in qua tam orationes speciales quam sermones et coetus particulares habeantur.

In *praedicationibus,* in *catechesi,* in *periodicis* commentariis religiosis aperte declarentur necessitas, natura et criteria authenticae vocationis. Celebretur actio Divinae Providentiae quae homines ad Christi sacerdotium participandum eligit, eisque congruas tribuit dotes, simulque Ecclesiae committit ut de vocationis signis iudicet, candidatos qui tantum munus recta intentione ac libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.[12] Aperiatur vocationis sacerdotalis singularis praestantia, ita ut adolescentes Christo vocanti ardentius respondeant atque errores vitentur eorum qui laicorum apostolatum sacerdotum ministerio aequare contendunt vel matrimonii christiani dignitatem supra caelibatum sacerdotalem efferre audent.[13]

Actio Catholica, tertii Ordines saeculares, *confraternitates, piae uniones* pueros et iuvenes ad eucharisticam devotionem et apostolatum incitent, atque, Spiritus Sancti actioni suam praebentes sociam ac veluti adiutricem operam, adolescentes ita forment ut in iis Vocationis germen crescere possit. Potissimum curandum est ut pueri et iuvenes, qui sponte libenterque sacerdotibus in sacrificio Missae inserviunt, ad hoc munus obeundum accurate seligantur et rite excolantur. Item valde commendanda sunt exercitia spiritualia, quibus tum pueri tum adolescentes cum de statu vitae eligendo deliberant, Iesu

Christi cognitione et amore imbuuntur atque ad generosum sui ipsius donum efficaciter moventur.[14]

Ut ex veneranda Ecclesiae traditione pueri positiva vocationis divinae signa praebentes iam ab adolescenti aetate ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, *Seminaria minora,* universis dioecesis paroeciis ac coetibus cooperantibus, omni ope iuvanda sunt.[15] Iis autem qui tardiore aetate Boni Pastoris vocem audiunt eamque sequi cupiunt, Episcopi peculiari cura provideant.[16]

5. [*Monitum finale*]. Quae vero subsidia aliaque huiusmodi eo pleniorem assequentur efficaciam, quo perfectior inter parochos, parentes, magistros, Associationes, Episcopo patre et duce, instituetur *operae consortio.*[17]

Quem in finem in singulis dioecesibus ac regionibus instituatur vel augeatur Opus Vocationum Sacerdotalium cuius promotores in particulares sacerdotum penuriae causas accurate inquirere non praetermittant quo aptius inopiae mederi et efficaciora ad vocationes fovendas media necnon necessaria subsidia parare queant; quae opera dioecesana ut opportunum accipiat auxilium et incitamentum, Pontificio operi Vocationum Sacerdotalium adgregentur.[18]

Denique Sancta Synodus ardenter exoptat ut haec actuosa in fovendis vocationibus omnium membrorum conspiratio, propriae dioecesis, patriae, communitatis religiosae fines dilatato corde transgrediens, ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, illis regionibus generose subveniens, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.[19]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 2-10 octobris 1961; 34 Membra tulerunt suffragium « Placet », 3 Membra « Placet iuxta modum ».

NOTAE

1 Inter praecipuas aerumnas quibus Ecclesia hodie fere ubique affligitur eminet lacrimabilis vocationum exigua copia.

PIUS XII, *Menti Nostrae*: « Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalibus terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est » (AAS, 42 [1950], p. 682).

IOANNES XXIII: « Il problema delle vocazioni ecclesiastiche e religiose è quotidiana sollecitudine del Papa...; è sospiro della Sua preghiera, aspirazione ardente della Sua anima » (ex Allocutione ad I Congressum Internationalem de Vocationibus ad Status Perfectionis, 16 dec. 1961: *L'Osservatore Romano,* 17 dic. 1961).

— De America Latina in specie: « Haec utriusque cleri exiguitas, quae pro magnitudine apostolicorum munerum nunc Ecclesiae commissorum auctior et gravior animadvertitur, quam exactis temporibus contingebat, impedimento aut saltem morae est quominus dilectissimae Nobis Americae Latinae nationes, quemadmodum haud paucis aliis in rebus felicia assequuntur incrementa, ita in religione sanctissima excolenda aeque proficiant » (ex Epist. PII XII *Ad Ecclesiam Christi,* 29 iunii 1955: AAS, 47 [1955], p. 541;

et IOANNES XXIII, Allocutio die 15 novembris 1958 habita coram Consilio Episcopali Americae Latinae (AAS, 50 [1958], p. 1001).

Causae huius vocationum sacerdotalium regressus multae sunt ut immoderata huius aetatis ad terrenas delectationes propensio (materialismus et hedonismus), varia ex parte familiarum obstacula, conditionum socialium mutationes (ut « rure discessio »), scholae acatholicae, praeiudicia contra Seminariorum utilitatem, interdum etiam quorundam sacerdotum malum exemplum.

Maxima autem vocationum deficientium causa manet, huius problematis neglecta cura ex parte totius societatis christianae et aliquando etiam ipsorum quibus res summopere cordi esse deberet. Qui rerum status tam gravis apparet ut Sancta Oecumenica Synodus decreto speciali solemniter vocationes sacerdotales fovendas promoveat ita ut omnes sacerdotes et fideles in toto orbe catholico clarius cognoscant proprium officium in solvendo problemate a quo cetera omnia in Ecclesia Dei pendere compertum est, atque instantissimis monitis ab ipsa S. Sede his ultimis annis editis alacriore respondeant generositate.

Cf. imprimis: PIUS XII, Motu proprio *Cum Nobis* (4 nov. 1941) « de Pontificio Opere Vocationum Sacerdotalium apud S. Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam constituendo »: AAS, 33 (1941), p. 479; cum adnexis Statutis et Normis, ab eadem S. Congregatione promulgatis die 8 septembris 1943.

Motu proprio *Cum supremae* (11 februarii 1955) « de Pontificio Opere primario religiosarum vocationum »: AAS, 47 (1955) p. 266; cum adnexis Statutis et Normis, a S. Congregatione de Religiosis promulgatis (ibid., pp. 298-301). Intensa opera S. Sedis apparet etiam ex Congressibus Regionalibus vel Internationalibus iam celebratis vel indictis.

[2] Mystici Corporis aedificatio ex ipsius Christi voluntate a sacerdotum ministerio quam maxime pendere, ex verbis patet quibus Dominus Apostolos eorumque successores et cooperatores constituit Evangelii praecones, novi populi electi duces et mysteriorum Dei dispensatores; idem confirmatur ex Patrum ac Sanctorum effatis atque ex iteratis Summorum Pontificum documentis.

Cf. in primis:

S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: S. Pii X Acta IV, pp. 242-244;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS, 28 (1936), pp. 37-52;

PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: AAS, 42 (1950), pp. 657-702;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: AAS, 51 (1959), pp. 545-579;

Allocutiones in tribus Synodi Romanae Sessionibus, habitae diebus 25, 26, 27 ian. 1960: AAS, 52 (1960), pp. 201-211; 221-230; 240-251;

Allocutio ad Sacrorum Alumnos, habita die 28 ian. 1960: AAS, 52 (1960), pp. 262-270.

[3] Schema decreti non intrat in disputationes quae de obligatione sequendi vocationem sacerdotalem certo cognitam et de eius gravitate agitantur; sed sicut Ius Ecclesiae severe vetat ne quis ad amplectendum sacerdotium ullo modo cogatur (cf. CIC, can. 971 et 2352), sancte cavet ne quis a Deo non vocatus ad sacerdotium

accedat; imprimis autem incensa sollicitudine monet ut ipsi vocati « libere ac magno animo » Dei vocem sequantur.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: AAS, 51 (1959), p. 577:

« Facere autem non possumus quin peculiari modo paternum animum ad iuvenes convertamus Nostrum, quos incensiore caritate complectimur et in quorum opera spem futuri aevi collocat Ecclesia. Messis quidem multa, sed operarii pauci. Quot in regionibus Evangelicae veritatis praecones laboribus confecti eos summo desiderio exspectant, qui in suas partes sufficiantur... Fore utique omnino confidimus, ut aetatis nostrae iuvenes, haud minus quam anteactis temporibus, Divini Magistri invitationi, ad necessariam hanc causam provehendam quod attinet, generose respondeant ».

[4] Summi momenti est ut omnia Ecclesiae Membra evigilentur ad adimplendam propriam in excitandis, tuendis, provehendis vocationibus operam. Reapse enim vocatio sacerdotalis, etsi tota sit Dei donum, sicut universa humani generis salus hominum ministerio est ex divina dispositione adimplenda. Etenim « Servator noster, prout ipse per se non adspectabili modo Ecclesiam regit, a mystici vult sui Corporis membris adiuvari in exsequendo Redemptionis opere... ubi de eiusmodi thesauro (sc. Redemptionis) distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri. Tremendum sane mysterium, ac satis nunquam meditatum » (PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943).

[5] Ardens Synodi hortatio imprimis ad Episcopos dirigitur qui sicut sunt sacerdotum Patres, sic et eorum ministerio maxime indigent ad pascendum Domini gregem. « ... Hac de re Nos sacrorum praesertim Antistites paterno admonemus animo ut gravissimam huiusmodi causam agant ac provehant... » (PIUS XII, Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950).

[6] Monitio ad Sacerdotes quae iam in Codice Iuris Canonici (cf. can. 1353) continetur, a Pio XII instantius repetitur in Exhort. Apost. *Menti Nostrae*: « ... nihil antiquius, nihil optatius habeant, quam sibi aliquem deligere omnique ope iuvare successorem, quem illis perspexerint dotibus ornatum ad tantum opus necessariis »: AAS, 42 (1950), p. 683, et in Allocutione Parochis et Praedicatoribus Romanis temporis Quadragesimae, die 6 februarii 1951: « Il clero parrocchiale è spesso sovraccarico di lavoro, esaurito dal ministero ordinario, dalle esigenze dell'amministrazione, dalle organizzazioni cattoliche. Sarebbe però miglior cosa ridurre alquanto alcune attività più appariscenti, ma meno necessarie, per darsi più intensamente alla formazione della gioventù » (*Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 443); et cf. *Seminarium,* Nova Series, 1961, p. 188.

Schema decreti igitur inculcat ut sacerdotes consulant non solum vocationibus quaerendis sed etiam animis melius ad vocationem disponendis, adolescentes in pietate et castitate firmantes.

[7] Experientia millenaria constat in iuvenum animis vocationi divinae viam saepissime parari exemplis vitae vere sacerdotalis.

IOANNES XXIII, Ex Allocutione die 22 novembris 1959 habita quamplurimis sacrorum Alumnis ex quibusdam Italicis Seminariis: AAS, 51 (1959), p. 907:

« A questo proposito amiamo confidarvi, cari figliuoli, il ricordo che conserviamo vivo e sacro nel cuore... l'immagine, quella del primo sacerdote che incontrammo nella vita, ... a canto al quale si aprì e si svolse come fiore delicato la Nostra adole-

scenza: a tal punto di penetrazione spirituale da farCi ritenere che quella sua fosse la forma migliore e più elevata di vivere sulla terra... ».

In schemate urgetur fraterna inter sacerdotes caritas quippe quae quam maxime moveat ad vocationem sequendam; quae cum desit, ceteri nisus frustrantur.

[8] Cum temporibus anteactis Ecclesia saepius graviter debuerit monere parentes, ne pueros vel adolescentes ad sacerdotium ineundum cogerent aut ullo modo vanis blanditiis ad tantum munus allicerent, hodie in plurimis regionibus potius timendum est ne parentes filiorum vocationem minime foveant, immo eos omni opera a via Domini deterrere conentur.

Ex plurimis Pii XII hac de re allocutionibus cf. imprimis: *La « Parte di Dio » nella Famiglia cristiana. Istruzione agli sposi novelli,* 25 martii 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* IV, p. 12 ss.

[9] « È un fatto incontestabile che la frequenza delle vocazioni sacerdotali è, non l'unica, ma una delle più sicure norme per misurare il valore di una scuola cattolica e di ogni altra istituzione educativa, la sua fecondità, non solo nel ministero ecclesiastico, ma altresì in tutto il campo di azione anche dei laici » (PIUS XII, Allocutio: *Ai Superiori, alunni ed ex-alunni del « Marcantonio Colonna »,* habita die 22 maii 1951: *Discorsi e Radiomessaggi,* XIII, p. 116).

[10] In schemate enumerantur minime omnia, sed ea saltem vocationum fovendarum subsidia quae praecipua videntur.

[11] Cum vocatio sacerdotalis sit essentialiter supernaturalis, media supernaturalia (oratio et sacrificium) ante omnia adhibenda sunt.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS, 28 (1936), p. 45;

PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae*: AAS, 42 (1950), p. 683.

[12] Praedicatio et Lectiones catechismi in scholis elementaribus et mediis optimam dant occasionem loquendi de vocatione sacerdotali. Perdurante variarum sententiarum de re differentia, Schema decreti devitat omnem apparentiam alicuius definitionis in notione vocationis enuntianda, omnia tamen eius elementa essentialia profert.

[13] Ut in familiis christianis et in ipsis iuvenibus removeantur obstacula vocationi sacerdotali opposita, permagni momenti est quod saepe positive ipsa summa sacerdotii catholici praestantia coram fidelibus aperiatur.

« Iamvero, Episcopos ceterumque clerum... paterno adhortari animo cupimus ut..., cum populo verba faciunt, quam saepissime de dignitate, de pulchritudine, de necessitate ac de promeritis loquantur sacerdotalis muneris » (IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* die 28 novembris 1959: AAS, 51 [1959], p. 839).

Idem Summus Pontifex in Allocutione, die 21 apr. 1961 habita, ad Moderatores Operum Dioecesanorum Italiae pro Vocationibus Sacerdotalibus: « Spetta particolarmente al sacerdote... far balenare agli occhi dei suoi fedeli, specialmente degli adolescenti e dei giovani, la sublime bellezza dello stato sacerdotale, superiore ad ogni altra pur nobile ed ardua missione ».

De errore eorum qui extollunt dignitatem matrimonii christiani super virginitatem Deo consecratam et super coelibatum ecclesiasticum cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* die 25 martii 1954: AAS, 46 (1954), p. 174 ss.

[14] Schema decreti invitat omnes fidelium associationes ut vocationibus fovendis operam navent, tria praesertim in adolescentium animis colere satagentes: devotionem eucharisticam in servitio ad altare libenti animo suscepto, desiderium apo-

stolatus, exercitia spiritualia; tunc enim solet Dominus loqui, cum ii quos elegit in recessu meditationi et orationi vacant.

[15] Contra quasdam impugnationes Ecclesia hodie quoque utilitatem Seminariorum etiam minorum defendit. Adiuvanda ergo sunt, ut meliore in dies modo proprio munere fungi possint.

[16] « *Peculiari cura provideant* »: vigilantibus verbis decretum utitur, hunc in finem:

a) ut commendetur Episcopis cura particularis, qua *foveantur* huiusmodi vocationes quae saepe optimos Ecclesiae sacerdotes praebebunt;

De huiusmodi tardius vocatis, imprimis si iam in variis apostolatus formis atque inceptis adiutricem praestiterint suam navitatem, Pius XII fel. rec. edixit: « Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen iam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitae animum firmaverint suum, cumque iam in operibus elaboraverint, quae cum sacerdotali munere arcte coniunguntur, maioribus non raro enitent solidioribusque virtutibus » (Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* die 23 sept. 1950: AAS, 42 [1950], p. 684).

b) ut suggeratur in his casibus requiri vel maiorem *vigilantiam* in aestimandis signis *authenticae* vocationis (cf. *Constit. I[ae] Synodi Romanae,* art. 468, § 2);

c) ut aptiore modo, secundum diversorum locorum adiuncta, ab episcopis solvatur quaestio, utrum et quousque huiusmodi candidati in particularibus Institutis ad Sacerdotium praeparari debeant.

Qua in re diversae sunt sententiae quae ad partem saltem in particularibus diversarum regionum conditionibus fundari videntur. Cum plures Episcopi huiusmodi tardius vocatos, quod curriculum studiorum classicum forse supplendum attinet, in particularibus Institutis praeparandos esse censeant, in curriculo philosophico et theologico illos una cum ceteris Sacerdotii candidatis in Seminario maiore conformari volunt, ne duplex quasi categoria sacerdotum in dioecesi oriatur. Alii autem Praesules non dubitant pro illis vocationibus tardioribus particularia quoque Seminaria Philosophica et Theologica condere. In schemate decreti talis expressio adhibetur qua Episcopis (vel Episcoporum coetibus) relinquitur facultas providendi hac in re modo quem pro ipsorum adiunctis aptiorem iudicaverint.

Dr. ALFONS BÖHI, *Die Psychologische und Paedagogische Problematik der Spätberufenen,* in: *Le problème sacerdotale en Europe,* Wien 1959, pp. 257-64;

P. LACKNER O.S.F.S., *Die Heranbildung der Spätberufe im Deutschen Sprachraum,* ibid. p. 265. - Ibidem videas etiam elenchum huiusmodi pro vocationibus tardioribus Institutorum existentium in Gallia, Germania, Belgio, Hollandia, Brittannia, Austria.

[17] Hodierna scientia pastoralis iure meritoque insistit in coordinatione omnium coetuum et virium « Episcopo patre et duce ».

[18] Sicut iam notatum est (cf. notam 1), ipsa S. Sedes providit erectioni Pontificii Operis Vocationum, a quo summopere iuvari possunt opera dioecesana. Opus enim centrale efficaciora vocationum fovendarum subsidia « undique colligere eademque rite collecta ac selecta, omnibus opportune proponere » potest (cf. S. Congreg. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, de Primo Congressu Internationali pro Vocationibus Ecclesiasticis. Prot. N. 1259/61/4). Commendatur ut exarentur census seu « statistiche » de praecipuis causis quae vocationibus favent aut obsunt.

Plurima practica consilia inveniuntur e. gr. apud G. R. POAGE C. P., *Secrets of Successful Recruiting,* Westminster (Maryland) 1961 (cum copiosa bibliographia).

[19] Cf. IOANNES XXIII, Allocutio die 21 aprilis 1961 habita coram participantibus in Primo Congressu Italico pro Vocationibus Sacerdotalibus: « Sì, è naturale e giusto che Noi ci occupiamo e preoccupiamo della formazione e del numero adeguato dei futuri sacerdoti per le diocesi d'Italia e d'Europa. Ma gli occhi ansiosi vanno a cercare tutte le nazioni del mondo e particolarmente quelle dell'America Latina, dove la vastità dei territori, l'incremento rapido della popolazione... hanno contribuito, con altre cause, a rendere difficile la soluzione del grave problema delle vocazioni... ».

Ecclesia hodie vivens in mundo qui unitatem quaerit, proprium munus universale fortius et generosius exercere debet. Finibus dioeceseon et nationum caritatis lege superatis, animo vere catholico providendum est iis potissimum regionibus quae vocationum sacerdotalium penuria maxime affliguntur. Reapse iam plures Episcopi (vel episcoporum coetus) provident formandis pro aliis terris sacrorum alumnis, sive particularibus in hunc finem erectis Institutis, sive illarum regionum alumnis in propria Seminaria admissis, sive subsidiis generose collatis quibus in maioris necessitatis terris Seminaria erigi et sustentari valeant.

In hoc schemate huius adiutorii necessitas breviter perstringitur; plura proposita sunt in schemate « De distributione Cleri » a Pont. Commissione de disciplina cleri et populi christiani proposito.

Cf. etiam *Seminarium,* Nova Series 1961, p. 195.

II

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

PROOEMIUM *

Divinus Redemptor, ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pendens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuaretur, Ecclesiam unici aeternique sacerdotii sui participem esse voluit; [1] Apostolis etenim eorumque successoribus in sacerdotio potestatem tradidit consecrandi, offerendi et ministrandi suum ipsius corpus et sanguinem, nec non et peccata dimittendi et retinendi [2] eosque constituit Evangelii praecones et novi populi electi duces.[3]

Apostolici vero praecepti « Manus cito nemini imposueris » (cf. *I Tim.* 5, 22) semper memor, Ecclesia non solum ius proprium et exclusivum sibi vindicavit futuros altaris ministros instituendi,[4] sed nihil fortasse magis, per saeculorum decursum, actuosa maternaque sollicitudine provexit, quam idoneam suorum sacerdotum conformationem.[5] Quod quidem gravissimum munus inde a Concilio Tridentino prosecuta est in Seminariis quibus erigendis adaptandis promovendis impensam devovit curam. Haec igitur Sacrosancta Vaticana Synodus, cum totius Ecclesiae bonum a Seminariis quam maxime pendere sibi persuasum habeat,[6] quaedam statuenda decrevit quibus, secundum venerandas ecclesiasticas traditiones ac nullo semoto certo progressu, tota alumnorum institutio Christi Aeterni Sacerdotis missioni in progredientis aetatis discriminibus explendae securius conformetur.[7]

NOTAE AD PROOEMIUM

[1] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* d. 23 sept. 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 659.

[2] Cf. *Concilium Trident.,* Sessio XXIII, Cap. I, DENZ. 957.

[3] Cf. *Luc.* 10, 16; *Io.* 20, 21.

[4] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 1352.

---

* Prooemium et capita I-III discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis septimae die 12 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 24-110.

[5] PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935, *A.A.S.,* 28 (1936), p. 37.

[6] LEO XIII, Epist. *Paternae providaeque, Acta Leonis,* 1899, p. 194: « Sunt quaedam tamen ad rei catholicae profectum ita necessaria, ut ea semel attigisse non satis sit; commemorari saepius et commendari velint. Huc potissimum pertinet cura in Seminariis collocanda, quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime ». Cf. etiam PIUS XII, Epistula ad Exc.mos Poloniae Antistites, d. 29 iunii 1945, *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. VII, p. 495.

[7] Schema Constitutionis « De Sacrorum Alumnis formandis » intendit respondere quaestionibus quae a Pont. Commissione Centrali positae sunt Commissioni de Studiis et Seminariis (cf. Quaestiones Commissionibus Praeparatoriis Concilii Vat. II positae, Città del Vaticano 1960, 18 sq.):

De Institutione Spirituali: cap. II Schematis;
De Disciplina: cap. III Schematis;
De Ratione Studiorum in Seminariis: cap. IV Schematis;
De Institutione Pastorali: cap. V et VI Schematis.

Quaedam determinationes magis generales praemissae sunt in capite I: « De ordinatione generali Seminariorum ». Si Patribus Concilii opportunum videtur, schema Decreti: « De vocationibus ecclesiasticis », iam consideratum a Pont. Commissione Centrali, potest uniri huic Constitutioni, in qua reapse agitur de vocationibus sacerdotalibus evolvendis et formandis, ab ingressu in Seminarium usque ad sacerdotalis operositatis initia.

CAPUT I

DE SEMINARIORUM ORDINATIONE GENERALI

1. [*Seminarii finis*]. Seminarii est eos qui in spem divini ministerii educantur, sapienter progrediente institutione ita excolere ut Christo Sacerdoti per Ordinis Sacramentum digne configurentur atque ad apostolicum munus sancte obeundum rite praeparentur. In Seminario ergo Dominum Iesum omnes, et qui praesunt et qui subsunt, ante oculos incessanter habeant: moderatores et magistri ut cum Apostolo veraciter dicere possint « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi » (*I Cor.* 11, 1); sacrorum alumni ut discipulorum more intimos sensus mentemque Christi Iesu induant Eiusque opera imitari incipiant.[1]

2. [*Seminarii variae species*]. Ad Christi ministros rite efformandos praeter Seminaria maiora pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus praescripta, etiam quae vocantur minora aptissima sunt et carissima Ecclesiae; quare haec Sancta Synodus, Tridentini Concilii rationes pro pueris et adulescentibus in Seminariis instituendis adhuc validas censens, Episcopis ea enixe commendat. Ut autem huiusmodi adulescentuli a nativo suae domus humo separati in Seminariis apte proficiant, sollertissima cura habenda est, « ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur »; itemque « res ipsa postulat, ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum

communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat »; particulari illorum religiosa conformatione sancte servata.[2]

Particularibus recentioris aetatis conditionibus consulens, haec S. Synodus Ordinarios hortatur ut tardioribus quoque vocationibus, curriculum studiorum mediorum quod attinet, peculiaribus institutis dioecesanis vel regionalibus provideant, aptis ibidem adhibitis methodis, nulla autem circa idoneitatis normas exceptione facta.[3]

3. [*Seminaria interdioecesana et regionalia*]. Ubi vires singularum dioeceseon non sufficiunt ad sacrorum tirones iuxta Sanctae Sedis praecepta et huius Synodi decreta in proprio Seminario rite instituendos, erigenda fovendaque sunt Seminaria interdioecesana vel regionalia; ea quidem tamquam propria habenda sunt a singulis Episcopis, qui proinde secundum normas a Sancta Sede approbandas, in eorum regimine aequa ratione partes habeant aptosque Superiores et Magistros ceteraque subsidia communi nisu ipsius suppeditent.[4]

4. [*Moderatorum et Magistrorum electio*]. Cum alumnorum institutionis optatus exitus multo magis quam a sapientibus legibus ab educatoribus bonis et expertis pendeat, haec Sancta Vaticana Synodus graviter monet Episcopos ut Seminariorum moderatores et magistros inter optimos eligant, viros ad animos Christo lucrandos eximie aptos, neque timeant eos avocare ab aliis ministeriis quae, quamvis gravia, numquam Seminario sunt anteponenda.[5] Curent insuper, ne praecipue Seminariorum moderatores alienis onerentur officiis.

5. [*Moderatorum particularis praeparatio*]. Etsi in Seminariorum institutoribus innata alios moderandi indoles, ingenium ac potissimum dona gratiae plurimum valeant, tamen, uti iidem gravissimis obligationibus coram Deo et Ecclesia initis satisfacere possint, peculiaris quoque institutio accedat oportet. Exinde, quemadmodum Concilium Tridentinum specificae ipsorum alumnorum institutioni faustissimo cum exitu providit, ita haec Sacrosancta Vaticana Synodus vehementer exoptat, ut non solum qui ad docendum in Seminariis destinantur, sed potissimum ii qui ad Superiorum et Directorum spiritus officia ibidem deputantur, ad tam arduum munus explendum specifica institutione diligenter praeparentur.[6] Curent ergo Episcopi ut quos ex proprio clero iuvenibus levitis moderandis aptiores iudicaverint, tempestive ad ea Instituta mittant in quibus profunda conformatione spirituali atque paedagogica possint ditari. Promoveant insuper Rectorum ac moderatorum cuiuscumque nationis vel regionis periodicos conventus in quibus sub Episcoporum auspiciis Seminariorum educatores fructus experimento ac usu collectos inter se communicent ac quomodo progredientis aetatis necessitatibus aptius consulatur communia conferant consilia.[7]

6. [*Moderatorum ac Magistrorum dotes*]. Ut sacrorum alumni Iesu Christi Sacerdotis virtutibus plene, firme informentur, Rectores et Moderatores spiritus imprimis amore Christi et Ecclesiae ferveant oportet atque scientia sacra, prudentia, psychologica et paedagogica arte atque pastorali

experientia ita praecellant ut totius Seminarii sint quasi anima. Sed et ceteri Seminarii moderatores atque magistri profunde sentiant quantopere ab ipsorum quoque doctrina, oratione, abnegationis ac oboedientiae exemplis, animarum zelo pendeat formationis exitus. Semper sint memores sanctos sacerdotes in Seminario efformari nonnisi ab eis qui ad sanctitatem generose tendunt.

7. [*Moderatorum cooperatio*]. Certissima quoque omnium mentibus inhaereat persuasio, alumnos eo securius ad Christi Sacerdotium praeparari quo plenius tota Seminarii vita instantissimae respondeat Domini orationi: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21). Moderatores ergo et magistri a Domini Spiritu ducti et compaginati ita unum ex multis corpus efforment, ut Ecclesiae mysterium in Seminariis insigni praefulgeat splendore. Rectori igitur, fulcro unitatis, tota Seminarii familia aequo animo oboediat sicut patri ac filiali adhaereat concordia. Arctissima vigeat inter Rectorem et Moderatores spiritus operae consortio, sed accurata quoque officiorum distinctio, ne Rector secretum conscientiae forum invadat, nec Spiritus moderator externae se immisceat disciplinae. Rectore denique praeeunte, omnes Seminarii moderatores ac magistri in alumnis instituendis fidelissimos se exhibeant Episcopi cooperatores: « Quotquot enim Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum Episcopo ».[9] Ipse dioeceseos Pastor autem assidua praedilectionis cura adiuvet eos qui in Seminario laborant ac ipsis alumnis se demonstret verum in Christo Patrem.[10]

8. [*Alumnorum selectio ac probatio*]. Seminarium, cum particulari ex fine communi a collegio vel quavis schola catholica differat, per singulos tirocinii annos palaestra sit oportet non solum sedulae alumnorum educationis, sed vigilantissimae eorum selectionis et probationis.

a) Cuius selectionis ratio pro alumnorum aetate diversa erit, in pueris aliquantulum mitior, severa omnino in iuvenibus. Nullatenus autem in Seminarium minus admittendi sunt qui vocationis saltem germina non prodant, in Seminarium vero maius qui eius signa certa non exhibeant; citiusque dimittendi sunt qui idonei non reperiantur vel Seminarii finem assequi amplius nolunt.[11]

b) Haec Sacrosancta igitur Oecumenica Synodus Seminarii moderatores graviter monet ut proprii officii memores sedula cura ad solidum iudicium de positiva alumnorum idoneitate sibi efformandum attendant; utrum scilicet vere spiritu Christi agantur, sufficientis ingenii dotibus polleant, congrua salute physica et psychica ac praecipue sano iudicio sint praediti atque intentione recta, voluntate libera, firma et actuosa ad Domini Sacerdotium participandum anhelent. Audiantur etiam magistrorum sententiae nec, dato peculiari momento quod vacationum tempori pro probanda vocatione competit, negligatur quid proprii alumnorum parochi, alii quoque sacerdotes et interdum laici prudentes ad debitam hauriendam certitudinem conferre valeant imprimis in scrutiniis ante ordinum susceptionem peragendis; aliquando opportunum erit consilium quoque medici periti ac christiani sensus

exquirere. Quibus omnibus auditis, semper solius auctoritatis ecclesiasticae est de vocatione sacerdotali iudicare et de admittendo alumno decernere.[12]

c) Normis ab Ecclesia circa castitatis probationem editis ii qui in Seminariis vel iuvenum animos moderantur vel sacras confessiones excipiunt, intra sui cuiusque muneris fines, graviter ipsorum onerata conscientia, fidelissime pareant. Nec quidquam de debita severitate remittant, sibi persuasum habentes se ita alumnorum bono caritate vere paterna consulere ac magna ex parte causas auferre, cur catholica Ecclesia lacrimas fundat simulque christianus populus in sacerdotum moribus offendat.[13] Ut autem omnes quotquot iuvenum institutioni incumbunt normas ab Apostolica Sede statutas apprime cognoscant et eisdem utantur in probanda vocatione principiis, huiusmodi normae in unico documento apte colligantur; Episcopi vero curent ut hae normae Seminarii moderatoribus, magistris atque confessariis quotannis in memoriam revocentur.[14]

9. [*Tutior semper sententia sequenda*]. In casibus autem dubiis de alumnorum idoneitate, Praesules et Seminariorum moderatores, nullo habito humano respectu, sed rationis supremo animarum Episcopo reddendae unice memores, tutiorem semper sententiam amplectantur [15] neque sacerdotum inducti penuria hodie fere in tota Ecclesia deplorata ullo pacto iustum et severum de alumnorum aptitudine iudicium minuant, confidentes quod « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni repellerentur ».[16]

10. [*Seminariorum Statuta*]. Praecipit denique Sancta Synodus ut in unoquoque Seminario Statuta habeantur ab Episcopo vel a competente auctoritate approbata eaque scripta omnium sint in manibus ita ut « quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt ».[17] In redigendis autem Statutis attendatur ad huius Sanctae Synodi decreta, ad Pontificia de re documenta necnon ad particulares locorum et gentium conditiones; prae oculis habeantur etiam regulae in aliis Seminariis fructuose vigentes nec praetermittantur ea quae a probato disciplinae paedagogicae progressu commendantur.

Seminarii Statuta concisa brevitate contineant leges quae modo stabili decerni possunt; eae vero regulae quae pro adiunctis facilius sunt mutandae, in particulari « Consuetudinario » colligantur.[18]

11. [*Visitatio Apostolica periodice instituenda*]. Statis periodis in singulis Seminariis peragatur Visitatio Apostolica, per expertos et discretos ecclesiasticos viros ita instituenda ut paterna et actuosa Ordinariorum circa Seminaria sollicitudo exinde opportunum recipiat iuvamen.[19]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 11-16 decembris 1961, unanimi Membrorum suffragio.

NOTAE

ACV2: Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando.

[1] Secundum ea quae iam in Constitutionis prooemio perstricta sunt, tota alumnorum in Seminariis formatio ad Christum tendat oportet. Haec nota christocentrica proinde in universa Constitutione retinetur; eo efficacius in futuris sacerdotibus excolitur etiam vera « spiritualitas ecclesiologica ».

[2] Cf. PIUS XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950; *A.A.S.,* 42 (1950), p. 685. - Concilium Tridentinum (Decretum de Reformatione, can. 18; *Enchir. Cler.,* n. 97) nondum distinguit Seminaria maiora et minora, praevidit autem in Seminariis posse recipi qui saltem duodecimum annum attigerint.

Utilitas Seminariorum minorum hodie haud ita raro in dubium vocatur. Obicitur imprimis permagnus numerus eorum qui in Seminariis minoribus educati ad Sacerdotii metam non pertingunt; affirmatur insuper, saepius ineptis educationis methodis in istis institutis non paucos adulescentes gravia pati damna, iis praecise annis quando de animi indole formanda deciditur. Constat autem in tot regionibus plurimas vocationes sacerdotales easque optimas e Seminariis minoribus provenire; immo non paucae dioeceses quae hucusque eiusmodi instituta non habuerunt, recentius ea erigere coeperunt. Ut obiectionibus modo recensitis respondeatur, omnino consideranda sunt ea quae in supra laudata Adhortatione Apostolica *Menti Nostrae* de vitae ratione in Seminariis minoribus instituenda praecipiuntur. In votis ad Commissionem de Studiis et Seminariis missis aliquando postulabatur ut expresse vetaretur verbi gratia usus habitus clericalis a parte puerorum in Seminariis minoribus degentium. Praeferenda autem videbatur generalis quaedam commendatio, in qua tota vitae ratio aetati adulescenti vere congrua inculcatur.

[3] Uti iam in notis ad schema Decreti « De Vocationibus ecclesiasticis fovendis » a Commissione de Studiis et Seminariis propositum animadvertebatur (pag. 13 sq., nota 16), non omnes Episcopi eiusdem sunt sententiae utrum et quousque huiusmodi candidati tardius vocati in particularibus Institutis ad Sacerdotium praeparari debeant. Curriculum studiorum classicorum autem quod attinet, omnes fere Praesules conveniunt tardius vocatos in specialibus Institutis aptius instrui posse. De iis proinde solummodo in Decreto sermo est. Praeterea autem opportunum visum est inculcare, his in casibus methodos instructionis et educationis quidem aetati provectiori adaptatas esse adhibendas, cavendum autem esse omnino, ne severa electionis criteria seponantur.

Cf. etiam Schema decreti « De Studiis Clericorum » propositum a Commissione de Missionibus; pp. 7 sq., n. V: « De Institutis vel Collegiis propriis pro vocationibus tardivis ».

[4] De Seminariis interdioecesanis vel regionalibus sententiae variae leguntur in votis ab Episcopis Concilio parando missis (cf. *ACV2,* ser. I, Appendix vol. II, pars I, pp. 613-619). A multis maximum beneficium celebratur, quod huiusmodi Seminaria constituunt pro parvis dioecesibus et pro accuratiore alumnorum formatione (cf. PIUS XII, Allocutio *Siamo ben lieti* ad Pont. Sem. Anagninum, 29 apr. 1949 et cf. etiam *Votum* a S. Congreg. de Seminariis et Studiorum Universitatibus pro Concilio parando elaboratum, *ACV2,* ser. I, vol. III, pp. 401-404). Non pauci Episcopi autem exprimunt varia desideria: alumnorum numerus ne sit nimis ele-

vatus quo melius singuli cognosci, corrigi et excoli possint; Episcopis detur aequa in regimine determinando portio; omnes Praesules quorum interest, concedant meliores moderatores et magistros; instituantur seminaria interdioecesana, quae etsi non sint regionalia, efficacius alumnos praeparare possint.

Iussio conciliaris *et* Seminariorum regionalium momento *et* desideriis modo insinuatis opportune satisfacere intendit. Etiam Schema decreti « De Studiis Clericorum » propositum a Commissione de Missionibus (p. 8 sq.), vindicato Seminariorum regionalium momento, inculcat incommoda « quae Seminario communi inhaerere solent » esse opportune imminuenda vel ob maius bonum promovendum generose toleranda.

[5] Hoc principium summo vigore inculcatur in PII XI Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935, *A.A.S.* (1936), p. 37: « Diligens imprimis esto moderatorum magistrorumque delectus... Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos; neque gravemini eos e muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt ». Quod delegendi optimos principium iterum inculcatur a PIO XII in Litteris Apostolicis ad Ordinarios Brasiliae directis die 23 aprilis 1947, *Discorsi e Radiomessaggi* IX, pp. 579-580. Cf. etiam LEO XIII, Epist. *Litterae a vobis* ad Episcopos Brasiliae, 2 iul. 1894 (*Ench. Cler.,* n. 543). — Gravis Concilii monitio videtur necessaria, quia maiora in Seminariis deploranda damna proveniunt ex inepta Moderatorum et Magistrorum selectione.

[6] Experientia constat saepius Rectores vel Moderatores spiritus renuntiari absque ulla praeparatione; aliquando sacerdotes post unum aliumve sacerdotii annum, nimis imperiti, statim constituuntur Seminariorum Rectores. Moderatores spiritus vero eliguntur ratione habita tantum ad generalem ipsorum bonitatem, neglectis specificis qualitatibus ad tam grave munus obeundum necessariis. Uti Visitator Apostolicus quam maxime in re expertus, edicit: « Haec est, meo iudicio, origo et causa praecipua malorum, quae hodie Seminariorum vitam perturbant ».

His defectibus ut remedium paretur, necessaria est Moderatorum specifica praeparatio in Institutis ubi profundiore conformatione spirituali ac paedagogica excolantur. Cf. *Vota* ab Episcopis missa, *ACV2,* Appendix vol. II, pars I, p. 603 ss.

[7] Cf. *ACV2,* Appendix vol. II, pars I, p. 605. Reapse in pluribus nationibus vel regionibus periodici Rectorum et Moderatorum spiritus conventus optimo cum fructu iam celebrantur; pro Italia ab ipsa S. Congreg. de Seminariis et Stud. Universitatibus plures eiusmodi congressus promoti sunt (« corsi di aggiornamento »).

[8] Cf. LEO XIII, Epist. Encycl. *Quod multum,* d. 22 aug. 1886 (*Ench. Cler.,* n. 473), et Epist. Encycl. *Fin da principio* ad Episcopos Italiae, d. 8 dec. 1902 (*Ench. Cler.,* n. 703): « La condotta esemplare di chi presiede, massime ai giovani, è il linguaggio più eloquente e persuasivo per ispirare negli animi loro il convincimento dei propri doveri e l'amore del bene ». Et cf. PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, *A.A.S.,* 48 (1956).

[9] S. IGNATIUS, *Ad Philad.,* 3, 2.

[10] Seminariorum Visitatores verbi gratia unanimi voce confirmant quantopere alumni imprimis in Seminariis maioribus desiderent ut Episcopus, cuius erunt mox cooperatores, aliquando Seminarium visitet et suos futuros sacerdotes cognoscere incipiat.

[11] Cf. S. PIUS X, Motu Proprio *Sacrorum Antistitum,* d. 1 sept. 1910 (*Ench. Cler.,* n. 833); S. Congreg. de Seminariis et Stud. Univ. *I Romani Pontefici* ad Ita-

liae Episcopos, d. 22 iulii 1928 (*Ench. Cler.*, n. 1259); eadem S. Congreg., Litt. circul. *In conventu plenario* ad Lusitaniae Ordinarios, d. 8 sept. 1935 (*Ench. Cler.*, n. 1347 ss.); Pius XII, Adhortatio Apost. Menti Nostrae, d. 23 sept. 1950, *A.A.S.*, 42 (1950), p. 684.

[12] Cf. Pius XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950, *A.A.S.*, 42 (1950), p. 684; et cf. S. Congreg. de Sacramentis, Litt. circulares *Magna equidem* ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1955, n. 10. Pro religiosis cf. *Statuta Generalia* adnexa Constitutioni Apostolicae *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, art. 33. S. Congreg. de Seminariis et Stud. Univ., Epist. circul. *De aliquibus gravibus formationis ecclesiasticae quaestionibus,* trecentum devolutis ex S. Vincentii de Paoli morte annis, d. 27 sept. 1960.

[13] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935, *A.A.S.*, 28 (1936), p. 43.

[14] Ab ipsa S. Sede recentiore tempore imprimis haec de re documenta edita sunt:

S. Congreg. de Sacramentis, *Quam ingens Ecclesiae,* ad locorum Ordinarios, d. 27 dec. 1930, *A.A.S.*, 23 (1931), pp. 120-129;

eadem S. Congreg., *Magna equidem,* ad locorum Ordinarios, d. 27 dec. 1955;

S. Congreg. de Semin. et Stud. Univ., Instructio reservata *Per i Direttori Spirituali dei Seminarii,* d. 1 iulii 1955 (Prot. N. 419/43-55);

S. Congreg. de Religiosis, *Instructio de candidatis ad statum perfectionis et ad sacros ordines sedulo deligendis et instituendis,* Moderatoribus reservata, d. 2 febr. 1961.

Plures insuper conferentiae Episcoporum proprias ediderunt normas reservatas moderatoribus spiritus et confessariis, qui in illarum regionum Seminariis operam praestant.

In votis pro Concilio missis autem manifestantur desideria « ut dentur pro Seminariorum Rectoribus et Moderatoribus Spiritus normae clariores circa castitatem quam a seminaristis exigere debent, ut unusquisque in suo foro (externo vel interno) securius ac dexterius procedere possit tam in admissione et provectione quam in dimissione alumnorum » (*ACV2,* ser. I, vol. II, pars II, p. 453). Ab aliis animadvertitur, normas iam editas non satis cognosci ab iis quorum interest; commissioni post-concilari a diversis S. Congregationibus in re competentibus formandae munus committendum esse, ut normae vere fundamentales collatis consiliis denuo examinatae, in unico documento comprehendantur.

[15] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935, *A.A.S.*, 28 (1936), p. 41.

[16] S. Thomas Aquin., *Summa theol.*, Suppl. q. 36, a. 4, ad 1.

[17] Cf. *C.I.C.*, can. 1357, § 3; et cf. *ACV2,* ser. I, Appendix vol. II, pp. 602, 627.

[18] Cf. *Directorium Seminariorum,* Auctoribus Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae, Pekini 1949, p. 239.

[19] Visitationis Apostolicae utilitas ab Ordinariis persentitur, cum occasione ipsius saepius ea mutari vel perfici valeant quibus ipsi Praesules variis ex adiunctis providere vix vel difficulter tantum possint. Reapse a pluribus Episcopis in Votis Concilio parando missis postulatur ut Visitatio Apostolica fiat periodice in omnibus Seminariis et constituatur Visitator Apostolicus in unaquaque natione (cf. *Acta et Documenta,* Analyticus conspectus..., Pars I, p. 621).

Caput II

DE INSTITUTIONE SPIRITUALI

1. [*Prooemium*]. Quam excelsa sanctitatis forma in sacerdotibus ab ipso sacro Ordine postuletur, praesertim recentiores Pontifices praeclaris illustrarunt documentis.[1] Adauctis autem societatis christianae necessitatibus consulentes, huius Sanctae Synodi Patres ad ea principia in Seminariis tuenda singulariter hortantur, quibus veluti fundamentis alumnorum tota ad sacerdotalem sanctitatem formatio nititur.[2]

2. [*Vitae spiritualis primatus*]. Sicut pro fidelibus, ita maxime pro futuris Domini sacerdotibus vitae spiritualis medulla in hoc consistit ut non soli, sed cum Patre et Filio Eius Iesu Christo et Spiritu Sancto vivant familiari et assidua societate (cf. *1 Io.* 1, 3 sq.). Quo intimior haec societas eo fortius charitas Dei in futuris dominici gregis pastoribus alit zelum animarum.

Propterea praecipua Rectoris [3] cura sit ut in Seminario vita spiritualis primatum clare et firme semper occupet atque cetera omnia, studia, exercitationes pastorales, vita communis ac disciplina ita ordinentur ut in vitae spiritualis fastigium componantur. A ceteris quoque Seminarii moderatoribus et magistris sacrorum alumni iuventur in arctissima inter scientiam praecipue sacram et vitam spiritualem percipienda unitate, ita ut disciplinae in Seminariis traditae alumnos conducant ad cognoscendum Christum « et virtutem resurrectionis eius, et societatem passionum illius » (cf. *Phil.* 3, 10); vita vero spiritualis veritatibus fidei innixa ad scientiam altius sitiendam compellat et ad futurum munus pastorale disponat eos qui « non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis » (cf. 1 *Cor.* 2, 4) praedicaturi sunt Christum.[4]

3. [*Moderator spiritus et unitas directionis spiritualis*]. Sub Seminarii Rectore, vitae interioris primatum peculiari cura custodiat et promoveat moderator spiritus,[5] qui ante alumnorum oculos in primis ponat Christum crucifixum (cf. *Gal.* 3, 1) eumque datum « caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius » (cf. *Eph.* 1, 22 sq.). Ut Ipsum ardenter quaerant, inveniant ac teneant, in orationis spiritum et praxim ipsos introducat. Christi sacerdotium participandum ita profunde alumnorum animis inscribat, ut mortis Dominicae mysterium celebraturi vere agnoscant quod agunt, imitentur quod tractant.[6] Attento autem animo semper reputet quantopere a Seminariis externa differat vitae ratio, quam alumni sacerdotio initiati media agent in plebe, atque futura operositate pastorali semper prae oculis habita, eos ita apte conformet ut in saeculo munus sacerdotale olim obituri, soli Deo adhaerentes veram mundo valeant ministrare vitam.[7] In vocationis discriminibus ad Spiritus Sancti vocem discernendam et generose sequendam alumnos ducat; omnes paterna cura ita recipiat ut mentem et voluntatem docili humilitate ei patefaciant.

Ut publice omnibus et privatim singulis solidum praebeat alimentum, Scripturarum studium, theologiam dogmaticam et spiritualem imprimis excolere constanter pergat; animorum indoli tam diversae quo melius consulat, psychologicarum atque paedagogicarum disciplinarum studium ne negligat. Ut autem singulos vere cognoscere et efficaciter curare valeat, director spiritus nonnisi congruo alumnorum numero praeponatur. Immo servata directionis spiritualis unitate, nihil obstat quominus plures dentur in Seminario moderatores spiritus, secundum probatas eorum consuetudines.[8]

Confessarii vero ordinarii et extraordinarii alumnis libere et commode offerendi eligantur idonei ad cognoscendas et colendas vocationes; qui unanimiter cum spiritus moderatore agant, iisdem normis eodemque spiritu. Meminerint grave ipsis incumbere officium imponendi obligationem discedendi e Seminario iis quos ad Sacerdotium non idoneos cognoverint; positivum autem et definitivum de vocatione iudicium ne proferant candidato, nisi iam per congruum temporis spatium particularem directionem eius susceperint spiritualem.[9]

4. [*Formationis spiritualis particulares periodi*]. Ad vitam spiritualem profundius excolendam et ad vocationem sacerdotalem matura decisione amplectendam in pluribus Seminariis annus vel congrua saltem periodus particularis formationis spiritualis institui consuevit.[10] Quo temporis intervallo alumni in intimiore cum Domino unione initiati, dilucidam et maturiorem propriae vocationis conscientiam acquirant, et in sancto proposito Christum sequendi ita confirmentur ut magno corde et animo volenti theologicum tirocinium aggrediantur. Etsi cetera studia tunc non sint omnino seposita, in scientia Sanctorum praecipue proficiant, orationem mentalem, practicam asceticam, Scripturarum sensum et dulcedinem una cum Liturgiae amore discant, ut Dei homines se sentiant et ad Dei hominumque ministerium mancipari assuefiant. Quae incepta haec Sancta Oecumenica Synodus enixe laudans, dioecesium Pastoribus quam maxime commendat, ut huiusmodi particulare vitae spiritualis tirocinium locorum et conditionum adiunctis opportune accommodatum in propriis Seminariis introducant.

Etiam diaconi, ubi ministeriis et officiis sui ordinis obeundis iam in paroeciis incubuerint, simili impensiore tirocinio spirituali in Seminario ad sacerdotium praeparentur.[11]

Peropportune quoque sacerdotes iuniores, postquam per quinque circiter annos in Domini vinea operam navaverunt, ad Seminarium vel aliam domum aptam per unum aliumve mensem convocantur, ut spiritum orationis et zelum apostolicum instaurent sicut in huius Constitutionis conclusione disponitur.[12]

5. [*Vita sacramentalis et oratio*]. Formatio spiritualis ad id tendit ut sacrorum alumnus cui suiipsius missionem Salvator noster committet, non solum sacrae ordinationis charactere, sed intima totius vitae consortione alter fiat Christus: « vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20). Quam vitam sacrorum alumni, moderatorum doctrina et exem-

plo adiuti, hauriant potissimum « ex ipso eoque necessario fonte, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis mysteriis publicis solemnibusque Ecclesiae communicatione ».[13]

a) Sacer cultus universus, praecipue eius centrum et fons, ipsum eucharisticum sacrificium, in Seminariis sic explicetur et sic celebretur, ut clerici de sacro altaris mysterio, una cum Christo hostias Deo gratas sese offerendo et eucharistico pane refecti, profunde vivere discant; sacro Ecclesiae anno durante ad mysteria Christi participanda ducantur ut, olim sacerdotio aucti, populum sibi commissum in intimam cultus imprimis sacrificalis participationem initiare valeant.

b) Ad spiritum orationis alumni ita formentur ut futuri sacerdotes fiant viri orationis qui libenter orent, orationi in primis mentali quotidie fideliter vacent eiusque necessitatem persentiant, et pro ipsorum vita interiore alenda et pro quocumque apostolatu cum fructu exercendo.[14] Ut autem orationem, quam ipsa Ecclesia peculiariter eis committet, amare discant, institutione sapienter progrediente initientur in psalmorum et totius Officii Divini intellectum et gustum; in curriculo saltem theologico quaedam Officii partes, ut Laudes et Vesperae, quotidie communiter recitentur et diebus festivis cantentur.[15]

c) Vita liturgica, ad quam pertinet etiam confessio sacramentalis sacrorum alumnis semel saltem in hebdomada frequentanda,[16] minime excludit, sed potius exigit cetera quoque pia exercitia in Seminariis lege sancita vel usu probata, maxime orationem mentalem et lectionem spiritualem, conscientiae examen, periodicas spirituales recollectiones aliasque peculiares devotiones; quae omnia sic ordinanda sunt, ut ad veriorem et pleniorem sacrorum mysteriorum participationem disponant eorumque efficaciam ad totam vitam extendant.[17]

Inter varias pietatis devotiones, duae haec valde commendandae sunt Seminarii alumnis: amantissime colant Iesum Christum praesentem in sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quo ardenti amore impulsi saepius Tabernaculum adeant, ibique diutius morentur. Deiparae autem Virginis Matris divinae gratiae et clericorum dulcissimae Patronae cultores sint studiosissimi eiusque sub praesidio Christi Mysteria in rosarii precatione contemplari et imitari discant.[18]

d) Quo securius secundum Christi spiritum et Ecclesiae sensum vitam spiritualem alant, sacrorum tirones assidue incumbant legendis ac meditandis Scripturis Sacris et Missali atque, ad ordines promovendi, etiam Breviario, Rituali ac Pontificali. Curent quoque moderatores ut vitas Sanctorum perlegant et optima doctrinae spiritualis scripta cognoscant alumni neque ex fortuitis levibusque lectionibus vitae rationem instituant, qui tot animas in perfectionis christianae itinere moderaturi sunt.

6. [*Virtutes theologicae in alumnis praecipue excolendae*]. Orationis et sacramentalis cum Christo unionis fructus simul et necessaria praeparatio

sunt praecipue fides, spes, caritas, ad quarum exercitium alumni vigilantissimis comparentur curis.

a) Sicut Christus Apostolos primum statuit in fide, sacrorum alumnis non tantum « fides quae creditur » in praelectionibus perlucide exponatur oportet, sed ipsi in Seminario ea praecipue fide proficere discant qua Christus habitat in cordibus eorum (cf. *Eph.* 3, 17). Hac fide a Seminarii annis totam vitae rationem ita imbuere assuefiant ut, sacerdotio aucti, mundo magis magisque ad sola terrena propenso exhibeant gaudium in credendo vitam futuri saeculi, gloriantes « in spe gloriae filiorum Dei » (cf. *Rom.* 5, 2).

b) Ad hanc christianam spem excolendam futuri gregis dominici pastores particulari sollicitudine componantur. Praecipue elaborandum est, ne sibi suisque viribus, sed divino potius auxilio iuvenes levitae confidant, secundum illud: « Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus » (*1 Cor.* 3, 7). Ne autem futurae vitae sacerdotalis solitudine, ne huius mundi vel gloria vel inimicitia facile frangantur, discant spem suam committere Ei qui vicit mundum suisque promisit: « Ego vobiscum sum » (*Mt.* 28, 20). Qua spe animati, in maioris perfectionis desiderio iugiter renoventur: « Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim: ... quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu » (*Phil.* 3, 12 ss.). Praeparentur quoque alumni ut laboris apostolici repulsas experti, Christi derelictioni consociati, glorientur in tribulationibus: « scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit » (*Rom.* 5, 3 s.).

c) Secundum Domini mandatum et exemplar Apostolorumque doctrinam de caritatis primatu praecipue edoceantur qui ad Christi sacerdotium participandum assumentur. Sermones Domini in ultima cena prolati (*Io.* 13-17) habeantur tamquam Seminariorum codex quem assidue perlegant, pertractent, vivendo exprimant alumni. Caritas Dei quae per Spiritum Sanctum effusa est in cordibus eorum, ipsos urgeat imprimis ut « non iam sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » (cf. *2 Cor.* 5, 15). In hac caritate radicati et fundati (cf. *Eph.* 3, 18), assuefiant iam in Seminario de gratia sibi collata a Deo servire Ecclesiae, confratres aedificare in bonum exemplo, magnanimo auxilio, correctione fraterna; imprimis discant humili caritate et oboedientia adhaerere Christi Vicario et proprio Episcopo, dilatato corde participare in totius Ecclesiae vita secundum illud S. Augustini: « Quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum Sanctum »; [19] ita excolantur ut hauriant spiritum missionarium et oecumenicum, exerceant amorem erga pauperes et afflictos, absque invidia servent unitatem in distinctione gratiarum et munerum.

d) In hac igitur vita fidei, spei et caritatis sacrorum alumni ita conformentur ut et promptiores atque alacriores constituantur « Dei adiutores » (cf. *1 Cor.* 3, 9) et illaesi evadant a minaci falsi naturalismi errore, cuius

funesti fructus sunt orationis negligentia, propriae sufficientiae et autonomiae sensus, actuositatis insolentia, aestimatio immoderata bonorum naturae et technicae artis auxiliorum, gratiae bonis et subsidiis practice postpositis, hac vita fruendi cupiditas, vitae venturae exspectatione fere oblitterata.

7. [*Exercitium abnegationis*]. Qui titulo sacerdotali vocantur Domini discipuli, ad Christi crucem tollendam praecipue parati sint oportet. Formentur igitur sacrorum alumni ad humilitatem et spiritum mortificationis, reprobata propensione in dies crescente sequendi methodos quae sapiunt huius mundi naturalismum et hedonismum. Non minus quam tempore S. Pauli Ecclesia hodie indiget sacrorum administris qui sint homines mundo crucifixi et quibus mundus ipse sit crucifixus (cf. *Gal.* 6, 14); qui non sibi gloriam conquirant, sed Iesu Christo.[20]

8. [*Consiliorum evangelicorum spiritus*]. Ita praeparentur alumni ut futuram vitam sacerdotalem secundum evangelicorum consiliorum spiritum componere assuefiant,[21] leges sancitas diligenter observantes sed magis Christi amore et imitatione attracti.

a) Iam a primis Seminarii annis modum vere simplicem et modestum suscipiant; in aedibus ad salubritatem et tranquillitatem idoneis, numquam vero in exquisitis commodis vivant ii, qui olim pauperibus evangelizare mittendi ab omni specie fastus alieni sint oportet, atque spiritu vere pauperes vitae futuri saeculi validum testimonium perhibeant mundo.[22]

b) Vigili diligentique cura promovenda est sacri Ordinis alumnorum educatio ad coelibatum ecclesiasticum, quo Ecclesiae ritus latini sacerdotes statum virginitatis christianae assumentes, integra animae et corporis deditione Domino inserviunt atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in sacerdotali ministerio continuo exercendam. De periculis quae eorum castitati in hodierna societate occurrunt alumni moneantur, et aptis praesidiis instruantur. Quare quidquid officii sacerdotum coelibatus et ab iisdem servanda castitas exigant, clerici clare cognoscant atque ita conformentur ut de bonis quoque matrimonii christiani eiusque in Ecclesia dignitate apte edocti, optione mature deliberata ac magnanimi, digniorem ac beatiorem Domini praeferant amorem eiusque Regno dilatando semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12, 1).[23]

c) Meminerint imprimis sacerdotem eo efficacius Redemptionis instrumentum evadere quo arctius oboedentia uniatur Ipsi qui factus est pro nobis « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (cf. *Phil.* 2, 8).[24] Praeparentur ad promittendam et sancte servandam illam oboedientiam, qua Episcopi in cura animarum constituentur dociles cooperatores. Discant igitur alumni in Seminario oboedire non tantum externa exsecutione, sed et obsequio interiore, ita ut ipsorum oboedientia non quasi ad extra sit nedum coacta, sed libenti animo exhibeatur Superiori sicut patri. Superiores autem meminerint hac ipsa oboedientia discipulorum vires ac talenta debere non tam inhiberi quam excitari, emendari et perfici quo melius Dei consilio respondeant.[25]

9. [*Virtutum « humanarum » cultus*]. Ad ipsam spiritualem clericorum institutionem aliae quoque virtutes morales summopere curandae sunt, quae ad integram eorum formationem non solum christianam et sacerdotalem sed etiam humanam perfecte comparandam prorsus sunt necessariae. Diligenti igitur cura instituantur et exerceantur alumni in iis virtutibus quae etiam in societate humana magni fiunt. Sunt imprimis vitae integritas atque animi sinceritas, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et gravitate coniunctae.

Pariter sedulo adlaborandum est ut alumni propriam indolem recte componant, ad fortitudinem et virile robur etiam exercitiis physicis formentur ut sibimetipsis moderari valeant, ac magis magisque in iis se explicet suarum actionum officiorumque conscientia, recta de hominibus et de eventibus iudicandi ratio, opera ultro sponteque incipiendi congrua facultas, ad aliorum incepta docili fraternoque servitio adiuvanda promptitudo. Quae omnia sacerdotem omnino decent et ad apostolatum valde iuvant.[26]

Schema Decreti definitive approbatum est in VI Conventu Generali Commissionis de Studiis et Seminariis (1-10 martii 1962) unanimi Membrorum suffragio.

NOTAE

[1] *Documenta Sanctae Sedis* recentiora quaedam et principaliora:

LEO XIII: Litt. Encycl. *Aeterni Patris,* 4 aug. 1879;

Epist. Encycl. *Fin da principio,* ad Episcopos Italiae, 8 dec. 1902 (*Leonis XIII Acta,* XXII, pp. 246-259; *Ench. Cler.* n. 702-704).

S. PIUS X: Epist. Encycl. *E supremi,* 4 oct. 1903 (*S. Pii X Acta,* I, 8-10; *Ench. Cler.* n. 714-715);

Litt. Encycl. *Pieni l'animo,* ad Episcopos Italiae, 28 iul. 1906 (*S. Pii X Acta,* III, 163-168; *Ench. Cler.* n. 783-793);

Exhortatio ad Clerum Catholicum *Haerent animo,* 4 aug. 1908 (*S. Pii X Acta,* IV, 242-244; *Ench. Cler.* n. 823-824).

BENEDICTUS XV: S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *Ordinamento dei Seminari,* ad Italiae Episcopos, 26 apr. 1920 (*Ench. Cler.* n. 1080-1091);

S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *Vixdum haec Sacra Congregatio,* ad Germaniae Episcopos, 9 oct. 1921 (*Ench. Cler.* n. 1117-1123).

PIUS XI: S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus *I Romani Pontefici,* ad Italiae Episcopos, 25 iul. 1928 (*Ench. Cler.* n. 1257-1265);

S. C. de Sacramentis, Instructio *Quam ingens Ecclesiae,* ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1930 (*A.A.S.,* 23, 120-129; *Ench. Cler.* n. 1279-1301);

Litt. circul. S. C. de Seminariis et Stud. Univ. *In conventu plenario,* 8 sept. 1935, ad Lusitaniae Ordinarios (*Ench. Cler.* n. 1347-1358);

Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935 (*A.A.S.,* 28, 5, 37-52; *Ench. Cler.* n. 1379-1399);

Normae S. C. de Seminariis et Stud. Univ. statutae pro Pontif. Seminariis Regionalibus Italiae, 25 martii 1936 (*Ench. Cler.* n. 1400-1418).

PIUS XII: Allocutio sollemnis conventus, diei 24 iunii 1939, ad universos Clericos Studentes eorumque Moderatores (*A.A.S.,* 31 [1939], pp. 245-247; *Ench. Stat. Perfectionis* n. 373);

S. C. de Seminariis et Stud. Univ., Litt. circul. *Nell'opera,* 2 febr. 1945, ad Rectores, Patres Spirituales et scientiarum sacrarum Professores in Seminariis (*Ench. Stat. Perf.* n. 384);

Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950 (A.A.S., 42 [1950]);

S. C. de Seminariis et Stud. Univ., Epist. *En quelques Diocèses de France,* 27 iul. 1953, ad Episcopos Galliae;

Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954 (*A.A.S.,* 36 [1954], pp. 161-191);

S. C. de Sacramentis, Instructio *Magna equidem,* 27 dec. 1955, ad locorum Ordinarios;

S. C. de Seminariis et Stud. Univ., Epist. *Este Sagrado Dicasterio,* 14 iun. 1958, ad Episcopos Hispaniae;

Exhortatio ad Rectores Seminariorum Maiorum Americae Latinae, 23 sept. 1958 (*Discorsi e Radiomessaggi,* XX, pp. 387-392);

Exhortatio praeparata pro die 19 oct. 1958 ad Superiores et Alumnos Pont. Seminarii Regionalis Apuliae, de aliquibus principiis formationis sacerdotalis (*Discorsi e Radiomessaggi,* XX, pp. 439-449).

IOANNES XXIII: Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959 (*A.A.S.,* 51 [1959], pp. 545-579);

Allocutiones in tribus Sessionibus Synodi Romanae (*A.A.S.,* 52 [1960], pp. 201-211; 221-230; 240-251);

Allocutio ad Sacrorum Alumnos, 28 ian. 1960 (*A.A.S.,* 52 [1960], pp. 262-270);

Allocutio ad Alumnos Seminarii maioris Romani, 12 sept. 1960;

S. C. de Seminariis et Stud. Univ., Epist. circul. *De aliquibus formationis ecclesiasticae quaestionibus,* 5 iun. 1959, centum devolutis annis ex S. Ioannis B. Vianney morte, ad locorum Ordinarios;

Epist. *Es tarea muy grata,* 18 ian. 1960, ad Episcopos Mex.;

Epist. circul. *De aliquibus gravibus formationis ecclesiasticae quaestionibus,* 27 sept. 1960, trecentum ex S. Vincentii de Paoli morte revolutis annis, ad locorum Ordinarios.

[2] Non omnia recenseri possunt nec debent. Plura, quae formationem spiritualem quoque tangunt, habentur in aliis partibus huius Constitutionis, imprimis in capite III *De Disciplina* et in capite V *De Institutione pastorali.* De cetero decretum conciliare lineamenta tantum generalia exhibere debet, quae in Statutis et Consuetudinibus singulorum Seminariorum ulterius determinentur oportet.

Indoles generalis schematis succincte enuntiari potest ut:

— *biblica*: institutio spiritualis, sicut in hoc schemate praesentatur, alimentum trahit praecipue ex verbis Revelationis et exinde quaerit propriam vim propriumque calorem et saporem;

— *christocentrica*: (etsi verbum in schemate non usurpatur, res continetur). In Seminariis praeparantur futuri ministri Christi summi et aeterni Sacerdotis;

— *ecclesialis*: institutio spiritualis in schemate proposita tendit ad id ut sacrorum alumni ducantur

1) ad obsequium, deditionem, amorem erga Ecclesiam et Sacram Hierarchiam;

2) ad causas Ecclesiae tamquam suas sumendas, id est ducantur ad verum animarum zelum;

3) qua futuri Ecclesiae ministri, ad Eucharistiam, mysterium Ecclesiae centrale, et ad publicam Ecclesiae orationem tamquam praecipue eis propriam.

Structura schematis:

— in prima parte (nn. 1, 2, 3, 4) vindicatur *primatus* vitae spiritualis;

— in altera parte (nn. 5-9) agitur de *subsidiis ad vitam spiritualem* in Seminariis provehendam. Non enumerantur omnia subsidia, sed praecipua tantum: in primis vita sacramentalis et oratio, dein exercitium virtutum theologicarum, abnegatio suiipsius, consiliorum evangelicorum spiritus, et cultus virtutum quae humanae dicuntur.

[3] Opportunum videtur inculcare Seminarii Rectorem non debere esse solummodo administratorem et disciplinae custodem, sed una cum Moderatore spiritus debere determinare spiritum totius Seminarii.

[4] In tot votis Episcoporum Concilio parando missis desideratur maior necessitudo inter scientias sacras in Seminariis traditas et vitam alumnorum spiritualem. Cf. ea quae dicuntur in nota 10 capitis IV, *De Studiorum Ratione in Seminariis.*

[5] De momento Moderatoris spiritus pro sacrorum alumnis cf. PIUS XII, Exhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 674; S. Congreg. de Sem. et Stud. Univ., *La Direzione nei Seminari,* Città del Vaticano 1956.

[6] Cf. Pontificale Romanum: *In Ordinatione Presbyterorum.*

[7] Imprimis in Seminario Maiore particulari cura praeparandi sunt alumni ad vitam quae eos exspectat, quando « e Seminarii claustris sacra obituri munera... in apertum prosiliunt apostolatus campum » (cf. PIUS XII, *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 [1950], p. 691) et cf. Directorium Seminariorum (in Sinis), auctoribus Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae, Pekini 1949, p. 575: « In ipso Seminario, non solum status ecclesiastici in se, sed etiam ministerii pastoralis obligationes, necessitates, pericula coram seminaristis tacere atque celare minime licet. E contra citius, in decursu studiorum, de circumstantiis periculisque omnis generis quae obvia habebunt clare instruantur, ita ut veritatem genuinam circa statum vitae suae futurae sedulo cognoscant, in quantum hoc possibile est antequam Seminario valedicant ».

[8] Cum diversae methodi in hac re dentur, quae optimos afferunt fructus, sicut methodus S. Sulpitii usurpata in multis Seminariis Galliae aliarumque nationum, libertas servanda est.

[9] Cf. *C.I.C.,* can. 1358 et 1361; et cf. Instructionem reservatam S. Congreg. de Sem. et Stud. Univ. *Per i Direttori Spirituali dei Seminari,* 1 iulii 1955: « Il Confessore si asterrà normalmente dall'emettere il giudizio definitivo di un candidato agli Ordini Sacri, qualora non avesse già per più anni assistito spiritualmente il medesimo. Nei casi dubbi, non avendo il Confessore avuto tempo e opportunità di formarsi la certezza morale circa l'idoneità o meno del candidato, rinvierà la decisione ultima al Direttore Spirituale, imponendo ai giovani di ricorrere ad esso ».

[10] In non paucis votis Episcoporum Concilio parando exaratis commendatur talis periodus qui saepius « annus novitiatus » vocatur, etsi omnes sunt concordes

huiusmodi denominationem non debere inferre ideam novitiatus ad instar religiosorum.

De facto a viris ecclesiasticis haud raro deploratur alumnos ultimis curriculi studiorum mediorum annis adeo litteris et scientiis excolendis occupari ut studia ad veram ipsorum pietatem fovendam neglegant; eosdem in Seminarium maius ingressos statim philosophicis vel theologicis disciplinis ita absorberi, ut ea mentis et cordis tranquillitate careant quae ad vitam spiritualem profundius excolendam et ad vocationem sacerdotalem matura decisione amplectendam summopere confert.

Huic exigentiae respondet etiam annus propaedeuticus ad theologiam, qui a decem circiter annis in multis Italiae Seminariis instauratus est.

[11] A pluribus Episcopis, in votis Concilio parando missis, postulatur ut diaconi post absolutum cursum theologicum, saltem per annum in speciali tirocinio versentur, in quo — dum ad studia et praxim theologiae pastoralis provehenda et perficienda incumbunt — sacerdotales virtutes impensius colant.

[12] Optimum sane videtur consilium et ab experientia comprobatum ut iuvenis sacerdos, iam circiter trigesimum annum agens, propriae ministeriorum experientiae lumine atque prudentis Magistri pietatis moderatione, sacerdotalem spiritum renovet et confirmet, atque ad fructuosam ministeriorum adimpletionem efficacius se praeparet. In pluribus dioecesibus, ubi talis usus optimo cum fructu iam viget, novensiles sacerdotes interea occupant officia quae per unum aliumve mensem relinquuntur a sacerdotibus ad recessum spiritualem convocatis.

[13] S. PIUS X, Motu Proprio *Tra le sollecitudini,* d. 22 nov. 1903, *A.S.S.,* 36 (1903-1904); et cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* d. 20 nov. 1947, *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 521-595.

[14] Cf. PIUS XII, Exhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 672.

[15] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* d. 20 nov. 1947, *A.A.S.,* 39 (1947), p. 537: « Procul dubio liturgica precatio cum publica sit inclytae Iesu Christi Sponsae supplicatio, privatis precibus potiore excellentia praestat »; et cf. IOANNES XXIII, Adhort. Apost. *Sacrae Laudis,* d. 6 ian. 1962, *A.A.S.,* 54 (1962), p. 69: « Norunt profecto omnes, praeter cotidianum Missae Sacrificium, quod omnibus prorsus liturgicis precibus antecellit, nihil praestantius Divina Laude seu Divino Officio sacris administris esse posse ».

Non praescribitur ut Laudes et Vesperae dicantur, sed de se hae horae praeferendae sunt Primae et Completorio quae in multis Seminariis communiter recitantur.

[16] Cf. *C.I.C.,* can. 1367, 2°. Confessio hebdomadaria ultimis temporibus a quibusdam minus aestimatur vel etiam impugnatur. Sensus Ecclesiae autem prostat ex pluribus documentis: cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi,* d. 29 iunii 1943, *A.A.S.,* 35 (1943), p. 235; et Exhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 674. Recens theologia sacramentorum praeterea insistit in aspectu et liturgico et ecclesiali sacramenti poenitentiae.

[17] Omnis liturgica celebratio ut « actio sacra praecellenter » habenda est (cf. PIUS XI, Const. Apost. *Divini Cultus, A.A.S.,* 21 [1929], p. 33); et cf. Instructionem S. C. Rituum de Ordine Hebdomadae Sanctae rite peragendae, d. 16 nov. 1955, n. 23, *A.A.S.,* 47 (1955), p. 847: « ... edoceantur porro fideles de summo valore sacrae liturgiae, quae semper, et his praesertim diebus, ceteras devotionis species et consuetudines, quamvis optimas, natura sua longe praecellit ».

[18] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 673 et p. 691.

[19] S. AUGUSTINUS, *In Ioannem tract.,* 32, 8.

[20] Cf. Art. 475, § 4 ex Constitutionibus Primae Romanae Synodi: « Hi sacerdotii candidati sanitate et tranquillitate rerum naturaliter roborati, quae sibi, congruenter cum aetate, in Seminario veluti in familia parantur, incommoda, cum sua institutione et educatione coniuncta, necessaria sane existiment, ad animum mentemque suam imbuendam eo sese abnegandi devovendique studio, quo ii ad Christi cruci affixi similitudinem accedant, quoque olim idonei fiant ad reluctandum mundi illecebris; quod eos profecto decet, qui, quamquam ad mundum mittuntur, de hoc tamen mundo non sunt ».

[21] Cf. IOANNES XXIII, qui in Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* sicut iam PIUS XII in Allocutione d. 8 dec. 1950 habita, declarat sacerdotem, etsi vi ordinationis sacerdotalis non obligetur ad consilia evangelica servanda sicut religiosi, officio tamen adstringi ad evangelicam perfectionem contendendi; quare omnes sacerdotes consiliorum evangelicorum spiritum in se fovere debent.

[22] Cf. Litteras Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii* PII XI et Adhort. Apost. *Menti Nostrae* PII XII, *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 680 et 685.

[23] Cf. etiam PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954, *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 161-191. Etenim coelibatus ecclesiasticus non importat aliquid mere negativum id est renuntiationem matrimonii, sed aliquid positivum quo totus homo, anima et corpore, Deo consecratur. Difficultas hodie diffusa etiam inter iuvenes bonae voluntatis quod coelibatus obstet plenae evolutioni personae, vim habet, si coelibatus tantum sub ratione renuntiationis matrimonii consideratur, at vi caret si agnoscitur tamquam spirituale inter Deum et hominem connubium, « veluti quoddam spiritualis matrimonii genus » (*Sacra Virginitas,* p. 166), quod multum confert etiam ad personalem perfectionem obtinendam.

[24] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 690.

[25] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), pp. 662-663 et 690.

[26] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 686.

CAPUT III

DE DISCIPLINA IN SEMINARIIS

1. [*Opportunitas declarationis conciliaris*].[1] Haec Sancta Oecumenica Synodus Summorum Pontificum inhaerens vestigiis [2] et votis multorum Episcoporum respondens [3] statuere quoque intendit, quae de disciplinae ratione in clericorum institutione sint tenenda; idque eo magis quod una simul cum progrediente educationis scientia etiam opiniones varii generis et nominis hic atque illic in sacrorum alumnorum coenacula inrepentes, iis virtutibus obsistunt, quae cum ipsa disciplina saepe convertuntur uti sunt praecipue oboedientia cum humili voluntatis et intellectus submissione, sui ipsius abnegatio et dominium, patientia et mansuetudo, prudentia et temperantia atque, ex altera parte, fortitudo et impaviditas, firmitas et constantia,

fiducia et magnanimitas, sine quibus caritas et sacri apostolatus operositas digne exerceri nequeunt.

2. [*Notio*]. Iuxta germanam Ecclesiae doctrinam vero disciplina non modo summa est mediorum externorum vel externa ordinatio mediorum spiritualium quibus moderatores levitarum educationem promovent, verum etiam et praecipue illa animi dispositio interna, qua auctoritas superiorum suaviter et fortiter praecipiens et prohibens, suadens et ducens, a sacrorum alumnis libere, i. e. ex intima persuasione et humili caritate, propter conscientiam (*Rom.* 13, 5) et propter supernaturales rationes, suscipitur.[4]

3. [*Finis*]. Quae quidem disciplina id agit, ut regula rectae vitae discatur atque excolatur, persona ecclesiastica solide et plene maturescat et futurus sacer administer illis imbuatur habitibus bonis, quibus ex animo suscipiat Christi Redemptoris et Summi Sacerdotis formam, qui humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem (cf. *Phil.* 2, 8).[5]

4. [*Errores refellendi*]. Cui fini attingendo obstant speciosi nominis errores quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuantur aut prorsus destruuntur.

Et primo quidem reiciendus est error eorum qui infirmitatis humanae ab originali lapsu ortae immemores, alumnos omnino relinquendos esse dicunt motibus naturae, quae innata iustitia et recta lege eos alliciat ad liberam personae evolutionem et maturitatem. Nec minus offendunt qui disciplinam velut iniuriam respuunt, cum auctoritatem omnis institutionis soli alumno ipsi tribuant et ab interna vi, unicuique propria, omnia procedere eique ergo relinquenda esse dictitent. Alii, educationis necessitatem quidem non infitiantur, modum tamen eius et mensuram ipsi alumno committere volunt, ita ut quisque sui ipsius solus educator sit et disciplinae iudex atque moderator. Qui autem quandam aliorum auctoritatem admittunt non minus erronee eam fructum mutuae conventionis esse volunt, qua omnes in normas communi consilio sibi ipsis statutas libere consentiant. Non desunt denique, qui disciplinam ab auctoritate moderatorum quidem statuendam affirmant, quam tamen iuvenili infirmitati nimis indulgentes hunc in finem tantum contendere debere autumant, ut alumnorum placitis et proclivitatibus respondeat, omnia autem quae eis displiceant arceat et vitet.[6]

5. [*Rectae disciplinae fontes*]. Ut efficacius hi errores vitentur et aliis defectibus et periculis remedia afferantur, Patres rectae disciplinae fontes, doctrinam eiusque modos et fructus denuo inculcare censuerunt.[7]

Iamvero ista disciplina, quamvis sanis fructibus profanarum educationis scientiarum, reapse iuvari possit, ex ipsa supernaturali Ecclesiae constitutione res est vere sacra sive propter sacram auctoritatem in qua fundatur, sive propter sacras normas quibus de facto regitur (S. Scriptura, SS. Patres, canones Conciliorum, constitutiones RR. Pontificum, Episcoporum ordinationes), sive propter partes quas necessario habet in opere sanctificationis. Non humana ergo tantum sapientia sed praecipue supernaturalibus principiis a magisterio Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis (cf. *I Tim.*

3, 15) sancitis, omne et totum disciplinae regimen niti debet. Quae regula traditione ecclesiastica et optimis SS. Educatorum exemplis et principiis illustratur et corroboratur.

6. [*Rectae disciplinae doctrina*]. Moderatores igitur et alumni clare perspiciant quantopere disciplina cum tota oeconomia salutis cohaereat. Reapse enim eius necessitas non tantum a sociali hominum indole infertur nec solum ab infirmitate omni creaturae humanae praecipue aetati adulescenti inhaerente postulatur, sed ab illa etiam requiritur concupiscentia vel fomite quae, fatente Sancta Tridentina Synodo (Sessio V, 5), ex originali lapsu in omnibus baptizatis ad agonem relicta est. Disciplina insuper parat praesidium et securitatem quibus miles Christi ad altiora spiritualia certamina status sacerdotalis certanda exerceatur et maturescat; ut una cum sociis commune opus ab Hierarchia directum suscipiat atque peragat et illam maxime fovet denique humilitatem et oboedientiam quibus sacerdos oboedientiae et passioni Christi configuratus redemptionis communicandae redditur efficacius instrumentum.

Hilari animo et libera voluntate ergo sacrorum alumni Superioribus oboediant, « non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, ... cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus » (*Eph.* 6, 6 sq.), etiamsi Superiorum ordinationes proprio arbitrio vel desiderio vel studio displiceant; ita qui pervigilant cum gaudio hoc faciant (cf. *Hebr.* 13, 17) et alumni se conforment Divino Magistro et Principi Pastorum, de se dicenti: « Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus voluntatem tuam » (*Hebr.* 10, 7).

7. [*Rectae disciplinae modi*]. Firma vero disciplinae principia iuxta diversas alumnorum condiciones atque aetates apte et prudenter applicanda sunt.

Cum enim cuiusvis educationis et sanae disciplinae ecclesiasticae cardo sit compositio atque cooperatio auctoritatis ordinem imponentis et libertatis humanae eum acceptantis, utriusque autem exercitium tum aetate alumnorum progrediente tum temporum indole mutata aliter et aliter geratur, non semper eadem erit ratio alumnorum et moderatorum. Isti, praesertim crescentibus iuvenum annis, eorum custodiam sensim temperent et in quibusdam rebus non modo licitam largiantur alumnis agendi libertatem, sed eos etiam ad secum cogitandum in animo insuescant, ut veritates vel doctrinas vel quae usum spectant, faciliore negotio combibant.[8]

8. Seminariorum Superiores in alumnorum sane memoriam revocare non omittant quantopere hodie quoque ipsa eorum conditio Superiorum ductum exigat; quid valorum rectus ordo immutabilis ab ipsis expostulet; quid praesertim propriae vocationis sacerdotalis status, qui saepe naturae stultitia est et mundo scandalum, ipsis imponat.

Meminerint tamen iidem Superiores amorem plus valere quam timorem, persuasionem quam coactionem, benevolentiam quam austeritatem, exhortationem quam comminationem, caritatem quam potestatem, cooperationem

quam segregationem, operositatem quam inertiam, rationem sui quam mere passivam dependentiam, praeventa quam repressa. Proinde in statuenda et usurpanda disciplina Seminariorum Moderatores prae primis ante oculos habeant exemplum Iesu Christi apostolos suos conformantis: Sint patres prudentes et discreti sed insimul graves quoque et fortes, qui tamen etiam cum puniant amant. Exemplo magis exhortentur quam verbis iuxta illud: « exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (*Io.* 13, 15). Auctoritatem exerceant non in dominium sed in ministerium, Magistri vestigia prementes qui non venit « ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28).

Etsi autem disciplina in Seminariis gerenda supernaturali praecipue sustentetur ratione, ei tamen humanis quoque subsidiis et virtutibus consulendum est, cum sacerdos formandus ex hominibus assumptus pro hominibus constituatur (cf. *Hebr.* 5, 1). Quapropter Moderatores aptioribus iuxta Ecclesiae doctrinam modis et inceptis alumnorum vires excitent et adiuvent, persuasiones firment et voluntatem excolant, ita tamen ut ille vir oboediens ecclesiasticus maturescat, qui toto corde et summa virium contentione non sibi placeat sed hierarchico apostolatus ministerio inserviat.

Quae ut obtineant opus est ut cognoscant quos conformare debent; eo magis quod non eadem est ac simplex mens eorum qui ex variis hodiernae vitae condicionibus ad seminaria convolant. Constanti vitae consuetudine atque commercio, quae mutua benevolentia aluntur et roborantur, mentes, proclivitates, habitudines alumnorum detegant, novasque eorum rationes paterne foveant, animi sacerdotalis magnitudinem alant, excessus prudenter temperent, defectus fortiter corrigant et necessariam moderationem et vigilantiam sine ira et offensione sed suasione et amore sensim et absque intermissione exerceant.[9]

9. [*Disciplinae fructus*]. Quodsi doctrina haec istique modi ecclesiasticae disciplinae in praxim deducantur, sacrorum alumnorum adulescentes vires physicae et psychologicae nulla indebita cohibitione frustrabuntur, eorum motus generosi operaque sponte incepta haudquaquam opprimentur, neque apta integraque personae maturatio naturae consentanea impedietur, sed potius dignitas virtutesque humanae solide excolentur et iuvenum animi non modo non simulati, obstinati, pavidi sed sinceri, dociles, intrepidi reddentur et fundamentum idoneum praebetur virtutum supernaturalium futurorum Christi ministrorum. Qui sane nullatenus, quod quidam dictitant, auctoritate humana disciplinae praesidente a directo Dei Omnipotentis dominio arcentur ac si ex Ecclesiae praepositorum ore non Christus ipse loqueretur (*II Cor.* 13, 3), sed eo securius cum Magistro coniunguntur. Hos ipsos item recta disciplina a mundo opportune segregat non ut eos qui pro aliis vivere debent sibi tantum vivere cogat atque assuefaciat sed potius ut qui mittendi sunt in mundum non sint de mundo (*Io.* 17, 14-18). Quod quidem illo tantum silentio interno externoque comparatur — sicut docemur Christi Matrisque eius et Apostolorum exemplo — quod veluti radix,

flos et fructus disciplinae praedicatur et toti conformationi spirituali et labori intellectuali eo magis necessarium esse cernitur quod eis hodie tot dissipationis et infirmitatis pericula instant.[10]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 1-10 martii 1962, unanimi Membrorum suffragio.

NOTAE

ACV2: Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando.

[1] De disciplina in proprio capite agitur non solum quia inter Quaestiones a S. Pontifice Commissioni de Studiis et Seminariis propositas expresse « De Disciplina » (Quaestio III) sermo est, verum etiam quia in se res est maximi momenti, et propter errores, impugnationes, dubia, praxim alienam, quae modernis temporibus sub influxu variarum sententiarum et vivendi modorum invecta sunt, Concilii interventus valde opportunus, quin immo necessarius apparet. Post Prooemium ergo Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis » et eius primam partem quae agit de Seminariorum ordinatione generali, atque post secundam partem quae est de institutione spirituali, caput tertium de Disciplina inseritur.

De facto modernorum temporum sententiae, motus atque opiniones, disciplinae internae et externae fundamenta corrodentes, sensum subiectivismi et individualismi, libertatis effrenatae et independentiae, aestimationem immoderatam valorum naturalium contra virtutes supernaturales et praesertim taedium abnegationis sui ipsius cum hedonismo coniunctum, denique arrogantiam iudicandi normas praeceptaque superiorum et apertam contumaciam sensim sine sensu invexerunt.

Quae tendentiae etiam conformationem clericalem inficientes non ultima censendae sunt causa deficientis oboedientiae sacerdotum erga episcopos omnemque auctoritatem ecclesiasticam, minime excepta quandoque suprema auctoritate S. Sedis, et autonomiae cogitandi, iudicandi, agendi in re doctrinali et disciplinari atque in exercitio apostolatus. De hac condicione multi episcopi et superiores religiosorum conqueruntur.

[2] RR. Pontifices et S. Sedis Dicasteria de hac re urgentiora in dies monita et exhortationes dederunt; inter recentiora documenta notanda sunt:

S. Pius X: Exhortatio *Haerent animo,* d. 4 aug. 1908 (*Ench. Cleric.*, nn. 823-824);

Pius XI: Litt. Encycl. *Divini illius Magistri,* d. 31 decembris 1929, *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 69 s.;

Pius XII: Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* d. 23 sept. 1950, *A.A.S.*, 42 (1950); Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, *A.A.S.*, 48 (1956) cum adnexis Statutis Generalibus; Allocutio ad Delegatos I Congressus Generalis de Statibus Perfectionis, d. 8 dec. 1950, *A.A.S.*, 43 (1951); Allocutio ad Delegatos II Congressus, d. 9 dec. 1957, *A.A.S.*, 50 (1958); Exhortatio ad Superiores Generales, d. 11 febr. 1958, *A.A.S.*, 50 (1958); Allocutio ad Congregationem Generalem Societatis Iesu, d. 10 sept. 1957, *A.A.S.*, 49 (1957);

IOANNES XXIII: Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* d. 1 aug. 1959, *A.A.S.,* 51 (1959); Allocutiones in tribus Sessionibus Synodi Romanae, *A.A.S.,* 52 (1960); S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus: 2 Epistulae ad locorum Ordinarios, 5 iunii 1959 et 27 sept. 1960.

[3] Testimonia Episcoporum multa habentur in *ACV2,* Series I.

In genere multi Episcopi necessitatem normarum quae exigentiis hodiernis respondeant recognoscunt atque, relictis methodis antiquis contingentibus, novas methodos consonantes spiritui, difficultatibus, tentationibus huius aetatis postulant: Tranen. et Barden. II/3, 682; Nicotrien. II/3, 434; Medelitan. II/3, 873 s. aliique multi de quibus conferre licet vol. Appendicis II, pars I, p. 606, 1°, 2°.

Eodem tempore tamen necessitatem disciplinae urgent e. gr. Cinnaeus II/2, 417; Dakanen. II/5, 51 s., quia tota disciplina cleri in Seminarii formatione fundatur: Agbiensis II/4, 62 et reactio contra deminutionem disciplinae postulatur: Burdigalen. II/1, 233; quinimmo non pauci disciplinam severiorem in Seminariis urgent: e. gr. Ferrarien. II/3, 262; Arcen. II/1, 485; Apamien. II/1, 363; Reconquisten. II/7, 72; Tacnen. II/7, 510; Nuntius Apost. Iran. II/4, 356; Oranen. II/5, 112. Praesertim principia sana et probata conformationis et educationis alumnorum disciplinam quod spectat sarta tectaque serventur: e. gr. Patavin. II/3, 498; Montis Pessulani II/1, 329 s.; Imae Telluris II/6, 611; Superior Mill Hill II/8, 323.

Contra methodos et propensiones falsas et periculosas multi episcopi consurgunt: ante omnia falsa libertas reprehenditur: e. gr. Montis Pessulani II/1, 329 s.; Amisenus II/6, 254; Sancti Dominici II/6, 660; Mill Hill II/8, 323; et habitus inde manantes uti autoeducatio, autogubernatio, autonomia personalis aliaeque huius generis methodi erroneae: e. gr. Patavin. II/3, 498; Arcen. II/1, 485; Apamien. II/1, 363; Montis Pessulani II/1, 329 s.; Culiacanen. II/6, 180; Tripolitanus II/5, 277; Superior Generalis Miss. SS. Cordium Iesu et Mariae II/8, 285 s., naturalismus et neopaganismus: Nganchimen. II/4, 478; laxismus et irenismus moralis spiritus mundi: Oranen. II/5, 112; Superior Miss. SS. Cordium Iesu et Mariae II/8, 258 s.; evacuatio et perversio conceptus oboedientiae: Montis Pessulani II/1, 329 s.; Culiacanen. II/6, 180; Amisenus II/6, 254; Sancti Dominici II/6, 660; Tripolitanus II/5, 277; Superior Gen. Ord. Servorum B. M. V. II/8, 113; Superior Gen. S.ti Vincentii a S. Paulo II/8, 211; exaggeratus novitatis spiritus: Terulen. II/2, 353 s.; Ilerden. II/2, 208; Gerunden. II/2, 175; Giennen. II/2, 198.

Inter media indigitantur, praeter methodos paedagogiae modernae quatenus sana vocari potest, positiva potius quam negativa instructio: Palmen. II/7, 222; educatio magis individualis, loco educationis collectivae, qua Rectores singulos alumnos cognoscant, examinent, ponderent: Tranen. et Barolen. II/3, 682, sed praesertim, reiectis novationibus et experimentis ex temeritate manantibus (Montis Pessulani II/1, 329 s.), ad probatas et perennes virtutes christianas pro sana disciplina clericali indispensabiles iterum magis recurratur quae sint imprimis oboedientia plena, reverentia, humilitas, abnegatio sui, mortificatio et spiritus sacrificii, silentium, solitudo, oratio: Montis Pessulani II/1, 329 s.; Arcen. II/1, 485; Tarbien et Lapurden. II/1, 422; Sandomirien. II/2, 669; Coimbaturen. II/4, 123; Geholen. II/4, 505; Hinganfuen. II/4, 592; Superior Gen. Eremitarum S.ti Pauli II/8, 56 s. Insuper faveatur spiritui sociali in exercendo apostolatu: Oruren. II/7, 111.

[4] Cf. Directorium Seminariorum auctoribus Missionariis Congregationis Immaculati Cordis Mariae, Pekini 1949, p. 238; cf. etiam normas pro Seminariis a S. Pio X approbatas (*L'Ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII,* Città del Vaticano 1958, p. 51); et Statuta Generalia adnexa Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* art. 37, § 2.

[5] Cf. Leo XIII, Allocutio d. 18 ian. 1885 (*Ench. Cler.,* n. 458); Sermo S. Pii X, d. 14 oct. 1908 (*Ench. Cler.,* n. 827).

[6] Hi errores exponuntur iuxta scientiae paedagogicae explicationes et conclusiones et insimul iuxta practicas ecclesiasticae auctoritatis observationes, quae in S. Sedis documentis supra laudatis (cf. notam 2) aliisque continentur. Animadvertendum tamen est quod hi errores paedagogici hoc in loco eo sensu tantum considerantur, quo et quatenus disciplinam stricte loquendo tangunt. Ideoque absque difficultate respondetur obiectionibus eorum qui dicant hos errores nimis simpliciter exponi vel non omnes errores paedagogicos recenseri.

Primus error nomine *naturalismi* paedagogici venit, qui bonitatem intrinsecam naturae affirmat absque infirmitate originali; secundus vocari solet *activismus,* qui, naturalismo infectus, autonomiam naturae individualis vel socialis vindicat ideoque auctoritatem et insuper verum et bonum absolutum excludit; sequens error, *autoeducatio,* autonomiam normae defendit; error quartus, *autogubernatio,* principium democraticum auctoritati opponit; ultimus denique error, « *interesse* », delectationem esse regulam disciplinae statuit.

[7] Quae omnia ex documentis S. Sedis supra commemoratis (cf. notam 2) hauriuntur.

[8] Hac paragrapho regulae generales de praxi innuuntur: statuitur perennis et gravissima quaestio omnis educationis: compositio auctoritatis moderatorum et libertatis humanae alumnorum. Ratio deinde habetur circumstantiarum temporis, locorum, hominum et praesertim aetatis alumnorum, qua mutuam relationem et praxis disciplinaris accommodationem determinant. Quibusdam Commissionis praeparatoriae sodalibus postulantibus haec momentosa accommodatio ad aetates verbis ipsius S. P. Pii XII (*Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 [1950], p. 686) explicatur. Si totus decreti contextus et tenor consideratur, absque fundamento reali timetur, ne hac libertatis mentione alumni abuti possint.

[9] Ne miretur quis normas dari Superioribus, quippe cum eorum sit disciplinae modum determinare, non autem alumnorum. Ceterum ipsa Tridentina Synodus (et eam sequens Codex Iuris Canonici) eandem rationem tenet, Superioribus praesertim normas suppeditans de modo quo disciplinae subditorum praesideant (Sessio XIII, de ref., cap. I; *C.I.C.,* can. 2214, § 2). Quae omnia item quoad substantiam ex documentis S. Sedis hauriuntur.

[10] Quae in praecedentibus huius schematis recensionibus tamquam « recriminationes » exponebantur (statim post enumerationem errorum ad quos reapse accedunt uti practicae eorum consequentiae), propter obiectiones plurimorum in finem Decreti translatae sunt; in his enim « criminationibus » non solum errores et calumnias adversariorum Ecclesiae contineri sed quandoque defectus in non paucis ecclesiasticae formationis domibus de facto exsistentes pandi merito dicebant.

Quapropter hoc in loco, illae recriminationes potius sub aspectu positivo recoluntur, quatenus rectae et verae disciplinae fructus celebrantur. In fine expressa mentio fit de silentio quod praesertim hodie toti conformationi spirituali et intellectuali eo magis necessarium est quo gravius periclitatur.

CAPUT IV *

DE STUDIORUM RATIONE IN SEMINARIIS

I - *Normae generales* [1]

1. Cum scientia, praesertim sacra, Sacerdotes excellere debeant, prout per Malachiam Prophetam Spiritus Sanctus praemonet « Labia Sacerdotis custodient scientiam » (*Mal.* 2, 7), sacrorum alumnorum in studiis institutio omni ope curanda est secundum venerabiles Ecclesiae traditiones atque iteratas Romanorum Pontificum adhortationes; eaque temporum necessitatibus est accommodanda ut futuri Sacerdotes ad divinum sibi commissum munus sancte ac fructuose exercendum rite praeparentur.

2. Quae in studiis institutio, saltem quoad curriculum philosophicum et theologicum, in scholis fieri debet ab Auctoritate Ecclesiastica erectis vel approbatis; ideoque aptae ad id constituantur sedes, bibliothecis ceterisque subsidiis bene instructae quae pro studiorum natura et gradu requiruntur.

3. Magistri adsint, numero sufficientes, optimo vitae exemplo praestantes, paedagogicis dotibus ornati atque debita scientia praediti, congruentibus titulis academicis etiam comprobata; gravissimum docendi munus religiose adimpleant atque aequa fruentes remuneratione alienis officiis sint liberi. In disciplinis praesertim sacris tradendis meminerint se non proprio, sed Ecclesiae nomine docere, cuius normas tum quoad doctrinam tum quoad methodum fidelissime sequi debent.

4. Adsit quoque congruus alumnorum numerus; quo deficiente, alumni in sedes communes cum aliis sacrorum alumnis coniungantur ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficacius consuli possit.[2]

5. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges ab hac Sancta Synodo tradi possint, in singulis nationibus Ratio Studiorum habeatur, ab Episcoporum coetu redacta et a Sancta Sede approbata, qua hae leges generales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur. Pariter in Religionibus, Societatibus Institutisque Saecularibus Ratio Studiorum pro propriis sodalibus habeatur a Superioribus Maioribus redacta et a Sancta Sede approbata.[3]

II - *De studiorum mediorum curriculo* [4]

6. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, studiorum mediorum curriculum rite absolvant, cuius finis est non solum

---

* Caput IV discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in sexta congregatione sessionis quartae, die 26 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 756-799.

hominem efformare, completa atque harmonica omnium facultatum educatione, ita ut iudicii maturitatem, sanum gustum atque dicendi scribendique artem acquirant, sed ipsum christianum ac sacrorum alumnum instituere; quare tota educatio Divinae Revelationis lumine penitus perfundatur oportet, cuius etiam studium in religionis schola assidue promoveatur.

7. Simul vero cum educatione, instructio impartienda est eorum quae hominem cultum scire decet; quare, cum magis in dies oporteat ut sacrorum alumni iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores, studiorum mediorum curriculum ita ordinetur ut alumni congruam sermonis patrii, litterarum scientiarumque cognitionem sibi comparent, communiter eo titulo sancitam qui ad Universitatem in propria natione ingrediendam requiritur.[5]

8. Peculiari autem diligentia addiscant quae futuris Sacerdotibus necessaria sunt, imprimis linguae latinae cognitionem qua traditionis et Magisterii documenta, ceterosque libros quorum cotidianus usus erit in philosophico et theologico curriculo et in tota vita sacerdotali, facile intelligere atque usurpare possint.[6]

III - *De curriculo philosophico* [7]

9. Studiis mediis rite absolutis biennium philosophicum peragendum est, cuius finis est iuvenum formationem complere, ad veritates de rerum natura hominisque vita rationis lumine perscrutandas instituere atque ad superiora studia theologica immediate praeparare. Quae praeparatio religionis studio ac potissimum ea Sacrae Scripturae lectione, qua alumni vivam Christi Sacerdotis imaginem sibi infigere incipiunt, complenda est.

10. Philosophia scholastica, quoad omnes suas partes, secundum S. Thomae Aquinatis principia et methodum ita tradatur ut eius completam cohaerentemque synthesim acquirant, omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum subtilioribus, quae ad altiora Facultatis Philosophicae studia remittenda sunt.

11. Introducantur alumni ad cognoscenda et crisi subicienda systemata philosophica praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, ita ut quae ibi bona probantur, teneant, recentioris aetatis autem errores, qui homines ab Ecclesia avertunt et a philosophica ratione repetuntur, apte refellere valeant.

12. Solide etiam instituantur in disciplinis cum philosophia connexis quae Sacerdoti conveniunt, quales sunt scientiae paedagogicae, psychologicae; imprimis vero scientiae sociales quarum studium in curriculo philosophico inchoandum et deinceps prosequendum est ita ut de iis quaestionibus, quae modernam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant, eam rite proponere valeant, simul vero ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent, abstinere sciant.[8]

IV - *De curriculo theologico* [9]

13. Post biennium philosophicum quadriennium theologicum integre peragendum est, cuius finis est intima Divina Revelationis cognitione alumnos ita praeparare ut et scientia et vita fidei alte imbuantur et ad munus sacerdotale sancte obeundum rite disponantur.

14. Quare theologia sacra secundum S. Thomae principia solide tradatur in omnibus suis partibus, apta pro diversa materia methodo adhibita, omissis obsoletis ac subtilioribus quaestionibus, ita ut alumni doctrinam catholicam, ex divinae revelationis fontibus accurate haustam, profunde penetrent, propriae spiritualis vitae reddant alimentum [10] eamque in catechesibus et sacris concionibus, in confessionibus et in animarum directione, in scriptis, in scholis et in aliis ministeriis, apud nostrae aetatis homines, tum rudiores, tum cultiores, apte exponere, demonstrare atque tueri valeant.

15. Sacrae Scripturae studio secundum normas ab hac Sancta Synodo traditas peculiari diligentia instituantur. Proinde momentum Sacri Textus theologicum, spirituale, liturgicum ac pastorale futuris Sacerdotibus praeprimis aperiatur. Alumnis insuper opportunitas detur sacras linguas hebraicam et graeco-biblicam addiscendi quibus textus primigenios biblicos intelligere et explicare possint.[11]

16. Praeterquam in theologia fundamentali, dogmatica et morali, in iure canonico, in historia ecclesiastica et in patrologia, sedulo instituantur alumni in theologia spirituali qua in propria sanctificatione et in animarum directione efficaciter iuventur; atque in sacra liturgia sub aspectu theologico, spirituali, iuridico et pastorali investigata, nec non in cantu ecclesiastico: ut Opus Dei digne peragere, de sacris cultus mysteriis ipsi profunde vivere et actuosam populi participationem promovere valeant.[12]

17. Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ita ut fidei firmitate et integritate sancte servata, secundum Ecclesiae monita fratres separatos iuvare possint ad assequendam unitatem a Domino Nostro expostulatam.[13] Introducantur etiam ad cognoscendos modernos errores ad religionem spectantes atque alias religiones in singulis regionibus divulgatas, ut facilius veritatis lumen errantibus demonstrare sciant.[14]

18. Diligentissime praeterea instruantur in theologia pastorali atque affinibus disciplinis, ut apostolatus artem, temporibus et locis accommodatam, addiscant, nec tantum theoretice, sed etiam practice. Quare, prudenti Episcoporum iudicio, iam durante studiorum curriculo, moderate quidem ne vitae spirituali vel disciplinae vel studiis noceat, simul vero methodice, sub magistrorum peritorum ductu, in praxim pastoralem initientur. Cuius institutionis pastoralis singulare momentum persentiens, Sancta Synodus particularibus normis ei providit.[15]

19. Ne theologicae disciplinae separatae appareant, sed harmonice in finem conspirent, in tradenda imprimis theologia dogmatica et morali, severa

proprii obiecti investigatione speculativa religiose servata, themata theologiae biblicae, necnon momentum spirituale, liturgicum, pastorale proprii argumenti maxima cura in lucem ponantur ita ut ex patefacta intima connexione quae viget inter dogmaticam, moralem, Scripturam, ius, traditionem patristicam, vitam liturgicam, spiritualem ac pastoralem Ecclesiae, ipsi alumnorum institutioni optatissimum imprimatur unitatis sigillum.[16]

20. [*Monitum finale*]. Alumni durante studiorum ecclesiasticorum curriculo in iis quoque solide instituendi sunt quae rebus pervestigandis excolendisque progrediens parit aetas, devitanda est autem nimietas disciplinarum et praelectionum ne iuvenum mentes quasi obruantur neque eis satis temporis deficiat ad audita proprio nisu peragranda et assimilanda. Magistri potius sapienter adaptata docendi methodo, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus ac praecipue proprio ipsorum exemplo alumnos ad laboris intellectualis artem atque amorem ita conforment ut sacerdotio quoque initiati sacrarum disciplinarum studium fovere pergant.

NOTAE

(Normae generales)

[1] Praesens Decretum est pars Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis », quae sequentia comprehendit Capita:

I. De Seminariorum ordinatione generali
II. De institutione spirituali
III. De disciplina in Seminariis
IV. *De studiorum ratione in Seminariis*
V. De institutione pastorali.

Scopus huius Decreti est primarias statuere normas, quae regere debent candidatorum ad Sacerdotium in studiis institutionem ita ut haec institutio secundum traditionalia Ecclesiae principia confirmetur, simul vero ad temporum necessitates, quantum opus est, accommodetur.

[2] Quae in nn. 1-4 de fine studiorum, de scholis, magistris et alumnis proponuntur, declaratione non indigent: quaedam fortasse superflua apparere possunt, at utiliter servanda videntur ut Decretum magis completum et organicum sit.

Particularis momenti sunt quae in n. 4 praescribuntur de congruo alumnorum numero, cum abunde constet quanta damna alumnorum institutio saepissime patiatur in studiorum sedibus sufficienti numero egentibus.

[3] In n. 5 aliquid novi statuitur de Ratione Studiorum redigenda in singulis nationibus; pro Religiosis hoc iam statutum erat in Constitutione Apostolica « Sedes Sapientiae » (30 maii 1956) et adnexis Statutis Generalibus (art. 19).

Quod necessarium videtur, nam tanta est varietas nationum ut totalis uniformitas in Ratione Studiorum neque possibilis neque optabilis appareat. Quare Concilium ea tantum statuere debet pro universa Ecclesia quae omnibus revera prosunt, id est leges generales et stabiles, generalia principia et criteria duratura dare quae ab omnibus servari debent, at necessario accommodanda erunt diversis adiunctis locorum et temporum.

Haec vero accommodatio non singulorum arbitrio relinquenda est, at secundum

normas communes facienda, pro clero saeculari ab Episcoporum coetibus in singulis nationibus et a Moderatoribus Maioribus pro clero regulari. Etenim pro clero saeculari uniformitas in natione omnino optanda videtur, nisi adiuncta vere diversa in regionibus eiusdem nationis adsint, quarum curam habebit Episcoporum coetus in Studiorum Ratione redigenda. Simili modo quaedam uniformitas requiritur in Studiorum Ratione sodalium eiusdem Instituti religiosi, quae tamen, ut patet, accommodanda erit etiam adiunctis diversarum regionum, et in multis assimilanda Rationi Studiorum cleri saecularis propter intrinsecam catholici sacerdotii unitatem (*Sedes Sapientiae,* Statuta Gen. 10, 2).

Singulae Rationes Studiorum a Sancta Sede recognoscendae et approbandae erunt ut in ipsa varietate necessaria unitas servetur; ac, labente tempore, novis exsurgentibus necessitatibus adaptandae erunt.

(De studiorum mediorum curriculo)

[4] Quoad studia media finis obtinendus indicatur, qui est humanistica formatio atque tum generalis culturae adeptio, quam habere solent laici culti propriae nationis, tum illius praeparationis acquisitio, quae ad studia ecclesiastica est necessaria.

Problema vero adest de modo componendi traditionalem institutionem ecclesiasticam cum modernae culturae necessitatibus, quod in omnibus nationibus, etsi diverso gradu, sentitur. Nam *in regionibus occidentalibus* formatio classica graeco-latina, quae olim communis erat clericis et laicis, in scholis civilibus paulatim locum cessit formationi scientificae et technicae, ita ut in scholis mediis multarum nationum studium linguae graecae iam abolitum sit, studium vero linguae latinae vel derelictum vel valde diminutum sit, ac magis in dies excolantur linguae modernae, scientiae aliaeque disciplinae, quae hodiernis vitae necessitatibus melius respondere aestimantur. At in Seminariis *et* formatio classica servari *et* cultura moderna satis communicari debent, ne futuri Sacerdotes in quodam statu inferioritatis coram laicis inveniantur. *In regionibus orientalibus* formatio classica non est graeco-latina, cum proprios classicos propriamque culturam habeant, qua etiam futuri Sacerdotes carere nequeunt ut efficacius ministerium sacerdotale exercere valeant; nec religio christiana ita connexa est cum determinata cultura ut quis nequeat vere christianus vel Sacerdos fieri, nisi occidentalis quoad culturam factus sit; at simul candidati ad sacerdotium ea discere debent quae ad sacerdotium requiruntur, et imprimis latinae linguae cognitionem habere, ea saltem mensura, quae omnibus Sacerdotibus necessaria est.

In hoc Constitutionis capite considerantur et seminaria minora et eae regiones ubi plures candidati Seminaria ingrediuntur postquam studiorum mediorum curriculum, integre vel saltem maiorem partem, iam absolverunt.

[5] PIUS XII, Adhortatio Apost. *Menti Nostrae* (23 sept. 1950): « ... cupimus cumprimis ne litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sint sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores » (AAS, 42 [1950], p. 687).

Affirmatur necessitas culturae generalis non inferioris laicis cultis, ut saepius et iure Auctoritas Ecclesiastica recentiore tempore commendavit. Adduntur verba « *communiter eo titulo sancitam qui ...* », cum hoc multum iuvet tum ad severitatem studiorum fovendam, tum ad libertatem vocationis tuendam, tum ad studia universitaria facilius aggredienda.

Dicitur tamen « *communiter* », non absolute, quia Ecclesia non potest absolute

subordinare progressum in studiis *ecclesiasticis* alicui titulo *civili;* ac praeterea exceptiones necessariae erunt tum individuales (optimi candidati ad sacerdotium qui tamen ob peculiarem causam, v. g. vocationis tardioris, titulum officialem consequi non possunt), tum nationales (quia v. g. leges hostiles Ecclesiae alicubi nimis difficilem vel impossibilem reddere possunt tituli civilis acquisitionem, ut recentioribus temporibus in aliquibus nationibus accidit).

[6] Obligatio imponitur institutionem mediam complendi iis omnibus quae sacrorum alumnis necessaria sunt, at a laicis alumnis omittuntur. Haec vero studia fieri possunt vel *simul* cum aliis disciplinis in studiorum mediorum curriculo, vel *post* illa studia, ut in aliquibus nationibus fit (v. g. India, Iaponia, etc.), prout in Ratione Studiorum nationali determinabitur.

Agitur imprimis de linguae latinae studio, et mensura indicatur quae *omnibus* Sacerdotibus necessaria est. Mensura quae in praesenti Decreto proponitur videtur Episcoporum consensum obtinere posse. Plus peti debebit a Sacerdotibus aliquarum regionum vel ab iis qui ad superiora studia ecclesiastica destinantur. Dato autem huius argumenti momento, de lingua latina in studiis ecclesiasticis rite excolenda explicitius in proprio schemate a Commissione de Studiis et Seminariis praeparato agitur.

(De curriculo philosophico)

[7] In curriculo philosophico solida institutio scholastica inculcatur, at simul quaedam commendantur: — ut veteres quaestiones iam obsoletae vel subtiliores omittantur, — ut magis foveatur modernae philosophiae studium, quantum requiritur ad mentis indolem melius cognoscendam eorum apud quos sacerdotale ministerium exercere debebunt, — ut aridum philosophiae studium iis apte compleatur quae ad clerici intellectualem institutionem iuvant, praesertim religionis studio et S. Scripturae lectione. A non paucis enim hodie animadvertitur, biennio philosophico, sicut generaliter hodie absolvitur, alumnorum animos non sufficienter ad sacerdotii metam dirigi et praeparari, eo quidem tempore, quo Seminarium maius ingressi, promptiore animo ad id anhelant. Conferentur ea quae in capite II° « De Institutione spirituali » commendantur de particulari formationis spiritualis periodo.

In n. 10 solidum studium philosophiae scholasticae praescribitur, at illarum quaestionum omissio postulatur quae obsoletae vel subtiliores sunt ideoque non aptae ad finem cursus philosophici seminaristici assequendum.

[8] Studium urgetur aliarum scientiarum quibus Sacerdos indiget, praesertim scientiarum socialium, nec tantum Ethicae seu illius partis philosophiae scholasticae quae principia socialia continet, et omnino necessaria, at insufficiens est; nam Sacerdos, ad munus pastorale nostro tempore exercendum, cognitione quoque positiva factorum socialium indiget ut fideles sibi commissos secure dirigere valeat, de moralitate actionum socialium tuto iudicare sciat, simul vero abstineat ab iis quae ad Sacerdotem non pertinent. Obici potest doctrinam socialem Ecclesiae potius ad theologiam quam ad philosophiam pertinere, at eius studium in curriculo philosophico inchoandum videtur, quia doctrina socialis Ecclesiae, prout in documentis ecclesiasticis proponitur, plurima elementa philosophica continet. At in Rationibus Studiorum pro singulis nationibus melius determinetur quando et quomodo haec studia a sacrorum alumnis fieri debeant.

Ipsa S. Congregatio de Seminariis et Universitatibus Studiorum, exempli gra-

tia, pro omnibus Italiae Seminariis recentissime praecepit ut cursus sociologiae obligatorius haberetur in ultimo formationis philosophicae anno, indicatis quoque quaestionibus principalioribus ibidem tractandis (cf. Litteras circulares eiusdem S. Dicasterii *Le condizioni di vita,* d. d. 25 maii 1961 ad Exc.mos Ordinarios Italiae). Praeprimis autem memorandae sunt Litterae Encyclicae *Mater et Magistra* (d. 15 maii 1961) Ioannis Pp. XXIII.

(De curriculo theologico)

[9] Etiam in curriculo theologico inculcatur institutio solida, completa et organica, at simul quaedam commendantur: — ut veteres quaestiones obsoletae et subtiliores hic quoque omittantur, — ut magis foveatur contactus theologiae cum vita unde theologiae studium alumnorum vitam spiritualem nutriat et ad ministerium pastorale vere praeparet, — ut harmonica conspiratio omnium theologicarum disciplinarum sedulo curetur ad divinam revelationem organice cognoscendam eamque fidelibus apte communicandam.

[10] Saepius aliquod discidium inter scientiam theologicam et vitam spiritualem a multis deploratur, qui institutionem theologicam alumnorum pietatem parum nutrire, ipsa vero pietatis exercitia in Seminariis haud raro profunditate theologica carere notant. Verum est praelectionem necessario differre a praedicatione et aulam scholasticam non esse ecclesiam. Sed ipsa theologia est ea scientia quae magis quam omnes aliae omnino exigit ut et magistri et auditores propriam ipsorum vitam in veritatum consideratarum luce iudicent atque efforment.

[11] In studio Sacrae Scripturae insistitur, cuius necessitas magis in dies sentitur, tum propter eius instrinsecum valorem tum propter utilitatem apostolicam. Quin etiam, inspecto huius argumenti particulari momento, pro recta ac profunda alumnorum in Sacris Litteris institutione, speciale decretum a Commissione de Studiis et Seminariis exaratum est, in quantum ad ipsius competentiam spectaverit, i. e. de ratione docendi Sacram Scripturam.

Commendatur linguarum hebraicae et graeco-biblicae studium, non omnibus imponitur, cum pluribus inutile pondus esset, immo fere impossibile in illis regionibus ubi alumni tot linguas classicas et modernas iam discere debent.

[12] Praecipuae curriculi theologici disciplinae brevitatis causa tantum enumerantur; quibus speciali emphasi adduntur Theologia spiritualis et Sacra Liturgia, necnon cantus ecclesiasticus, propter earum pastorale momentum, ob desiderium a pluribus Episcopis manifestatum et praecipue ob recentia S. Sedis documenta.

Cf. imprimis Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* d. 20 nov. 1947: AAS, 39 (1947), p. 591 s.

Allocutio ad Sacrorum Antistites habita die 2 nov. 1954: AAS, 46 (1954), p. 666 ss.

Litt. Encycl. *Musicae Sacrae,* d. 25 dec. 1955: AAS, 48 (1956), pp. 17, 23 s.

S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Epistola circ. *De institutione clericorum deque Officii divini recitatione,* d. 2 febr. 1945.

S. Congregatio Rituum, Instructio de Musica Sacra et Sacra Liturgia, d. 3 sept. 1958: AAS, 50 (1958), p. 659 s.

Sacra Liturgia tradenda est integra, non solum sub aspectu caeremoniali-iuridico vel historico, uti hucusque haud raro factum est, sed sub aspectu vere theologico, ascetico-mystico, scripturistico et pastorali. Exinde futuri sacerdotes ita formandi sunt ut de sacris cultus mysteriis profunde viventes, secundum magnorum Patrum

exemplar populum sibi commissum in intimam cultus imprimis sacrificalis participationem introducere valeant. De ipsa vita liturgica alumnorum nutrienda in Decreto *De institutione spirituali in Seminariis recognoscenda* sermo est (i. e. in capite II° Constitutionis « De Sacrorum Alumnis formandis »).

Insuper votum propositum est ut Sacra Liturgia in Facultatibus theologicis et in Seminariis disciplina theologica *principalis* declararetur. Opportunum autem non videbatur hac de re in Decreto conciliari loqui, cum huiusmodi determinationes ad competentem Sacram Congregationem spectent et ad particulares Rationes Studiorum sub eius ductu ab Episcoporum coetibus exarandas. Ex eadem ratione Decretum non respicit desiderium a pluribus scientiae liturgicae cultoribus manifestatum, scilicet ut lectionum de Sacra Liturgia tractantium augeatur numerus. Praeterea huic et aliis huiusmodi propositionibus non tam introductione novorum cursuum vel numero lectionum aucto satisfaciendum esse videtur, sed perfectiore totius institutionis theologicae conspiratione quae in n. 19 praesentis Decreti exoptatur.

[13] Commendatur ut in alumnorum theologica institutione ratio habeatur momenti quod hac nostra aetate convenit relationibus cum « Fratribus separatis ». Quae quantopere curae sint Summo Pontifici feliciter regnanti apparet iam ex institutione peculiaris Coetus seu Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam (cf. Motu proprio *Superno Dei nutu,* d. 5 iunii 1960: AAS, 52 [1960], p. 436).

In Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis opportunum, immo quasi necessarium erit inserendi in ratione studiorum particulares lectiones quibus auditores in historiam et theologiam christianorum separatorum introducuntur. In Seminariis autem, ne numerus disciplinarum plus aequo augeatur, certo curandum est, ut in singulis tractatibus theologicis iusta ratio habeatur « dimensionis oecumenicae ».

« *Secundum Ecclesiae monita* »: Quae institutio particularia Ecclesiae hac de re monita apprime respicere debet, imprimis quod « motionem oecumenicam » attinet, nam:

a) « Conatus ... ad reconciliandos cum Ecclesia Catholica dissidentes christianos hucusque suscepti, quamvis optimis inspirentur intentionibus, non semper rectis innituntur principiis... et peculiaribus non carent periculis » (Instructio Supr. Congregationis S. Officii *Ecclesia Catholica,* d. 20 dec. 1949: AAS, 42 [1950], p. 142). Nec desunt qui « imprudenti aestuantes irenismo... veluti obices ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur... » (PIUS XII, Litterae Encycl. *Humani generis,* d. 12 aug. 1950: AAS, 42 [1950], p. 565);

b) agitur de clericis et iunioribus religiosis, qui facilius a novitiatibus alliciuntur et proinde ab expertis magistris manuducantur oportet;

c) adhuc multi christiani separati longe sunt a vero spiritu oecumenico. (Cf. Animadversiones *Secretariatus ad Christianorum Unitatem fovendam,* die 1 iunii 1961 missas ad Commissionem de Studiis et Seminariis).

[14] In altera parte n. 17 studium aliarum religionum commendatur, quod in pluribus regionibus nimis negligitur, at ad munus sacerdotale necessarium est.

[15] Peculiaris commendatio fit pro theologia pastorali et disciplinis adnexis, secundum votum commune Episcoporum et recentiora repetita monita Sanctae Sedis. Data huius argumenti singulari gravitate, de formatione pastorali agitur quoque in particulari capite huius Constitutionis. Ut autem visioni syntheticae totius Rationis Studiorum consulatur, interea quaedam pauca etiam in hoc capite dicenda videntur.

Enuntiata igitur necessitate particularis in disciplinis pastoralibus institutionis

simul cum theoretico studio etiam inculcatur exercitium practicum durante studiorum curriculo inchoandum. Cum vero fructus huiusmodi exercitationum iam durante studiorum theologicorum curriculo institutarum a multis adiunctis pendeat quae non ubique eadem inveniri possunt, tota res prudenti Episcoporum iudicio committitur. Quorum igitur erit eas ita moderate et methodice curare ut nec alumnorum vitae spirituali nec studiis nec disciplinae noceant, immo eos ad pietatem et studium stimulent, zelum apostolicum foveant atque ad futurum apostolatus aptius disponant. (Conferantur etiam monita expressa in Litteris circularibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, datis die 27 sept. 1960, trecentum ab obitu S. Vincentii de Paoli exactis annis, pars II, n. 6).

Haec institutio pastoralis, curriculo theologico absoluto, specialibus tirociniis complenda erit, sicut disponitur in Decreto de institutione pastorali.

[16] Quaestio de *unitate* quae inter diversas disciplinas theologicas vigere debet et quae a magistris semper prae oculis habenda est in disciplinis sacris sive investigandis sive tradendis, hodie gravissima est quia de facto unitas illa non parum deficit cum magno institutionis alumnorum detrimento.

Unde paucos annos abhinc communes erant et magna ex parte adhuc hodie sunt querimoniae quae recensentur in Schemate Decreti *De Studiis Academicis,* Cap. II « De Studiorum Ecclesiasticorum Universitatibus », nota 17. Non desunt hodie laudabiles conatus qui istis defectibus mederi quaerunt, sed quaestio minime soluta considerari potest. Non pauci censent optatam in scientia et institutione theologica unitatem obtineri posse si omnes disciplinae sacrae quasi immediate et, ut ita dicatur, « pragmatistica » quadam ratione ad ministerium pastorale dirigantur. In huiusmodi conatibus autem

1) quidam neglegunt aspectum speculativum theologiae dogmaticae et moralis et, quaestiones quas nimia levitate « inutiles » declarant devitantes, falsam spem nutriunt se hoc modo aspectum biblicum, patristicum, liturgicum, ascetico-mysticum et pastoralem efficacius illustrare posse;

2) aliis vero periculum instat neglegendi in exegesi et in liturgia aspectum philologicum, criticum et historicum;

3) alii autem traditis Theologiae dogmaticae thesibus quasi quaedam scholia ad pietatem et ad animarum ministerium spectantia addere satagunt;

4) alii denique contendunt ut in ipsa studiorum ratione plurimi cursus speciales et imprimis novae disciplinae de re practica pastorali addantur.

His conatibus autem non sufficiens ratio habetur eorum quae ab ipso obiecto scientifico singularum disciplinarum intrinsece exiguntur; illa enim optata unitas inveniri debet in eo puncto in quo disciplinae supradictae ex intrinsecis exigentiis proprii cuiusque obiecti scientifice considerati conveniunt.

In textu Decreti innuitur hoc punctum esse historiam salutis in vita Ecclesiae semper in actu ut praecipue magnis thematibus biblicis apparet. Nam omnes disciplinae theologicae ex intrinseca exigentia proprii obiecti formalis debent explicare historiam salutis quae est semper in actu (quod idem est ac dicere, explicare Deum — et alias res in ordine ad Deum — prout se manifestat in historia salutis). Singulae autem disciplinae hoc faciunt proprio cuiusque modo. Nam theologia dogmatica et moralis hoc praestant ex integro et sub omnibus aspectibus, sed synthetice; exegesis prout historia salutis continetur in Scriptura; patrologia prout historia illa apparet in testimonio Patrum; scientia liturgica prout continetur in cultu Ecclesiae; theologia spiritualis, prout efficitur et manifestatur in vita ascetico-mystica fidelium

ad perfectionem christianam tendentium; theologia pastoralis prout a pastore animarum gregi suo communicari debet. Sufficit ergo ut singulae disciplinae, ex intrinsecis exigentiis proprii cuiusque obiecti, historiam salutis (manifestatam maxime in magnis thematibus theologiae biblicae) suo quoque modo, in debitam lucem ponant, ut eo ipso, sine indebita disciplinarum vel methodorum confusione, earum unitas theoretice et practice eluceat.

Caput V *

DE INSTITUTIONE PASTORALI IN SEMINARIIS [1]

1. [*De Pastoris forma*]. Ad pascendum dominicum gregem et ad aedificationem mystici Corporis Christi (cf. *Eph.* 4, 11) necnon ad oves reducendas quae perierunt et alias adducendas quae adhuc ex ovili Domini non sunt (cf. *Io.* 10, 16), Sancta Mater Ecclesia nihil antiquius habet quam sacrorum alumnos conformare veros pastores, operarios inconfusibiles (cf. *II Tim.* 2, 15), ad omne opus bonum instructos (cf. *II Tim.* 3, 17).

Clarissimis autem S. Scripturae testimoniis innixa, Sanctorumque Patrum traditioni ac exemplo, atque repetitis Ecclesiae monitis inhaerens, haec Sancta Synodus totius institutionis sacerdotalis fundamentum et coronam in eo esse declarat ut « pastoralis animus » ad Divini Pastoris imaginem in futuro Christi ministro effingatur.

Talibus pastoribus eget Ecclesia qui, virtute corroborati per Spiritum Sanctum in interiorem hominem (cf. *Eph.* 3, 16), filiali erga coelestem Patrem amore, ardenti in totam Ecclesiam deditione, animarumque flagranti siti ita sint imbuti ut in apostolica forma viventes omnia libentissime impendant et superimpendantur ipsi pro animabus sibi creditis (cf. *II Cor.* 12, 15), vitam quoque pro fratribus ponere semper parati (cf. *I Io.* 3, 16).

Inordinatus igitur suipsius amor, cupiditas voluptatum, laboris taedium, terrestrium bonorum et honorum appetentia pastoris animum omnino dedecent et sublimi eius muneri prorsus opponuntur.[2]

2. [*Institutio apostolica a primis Seminarii annis inchoanda*]. Alumnorum institutio, sive spiritualis sive intellectualis, sicut et ipsa Seminarii disciplina et vita communis ad propositum finem pastoralis formationis continenter et composite vergere debent.

A primis ergo minoris Seminarii annis adulescentulis per catecheticam instructionem perfecta apostolatus christiani species effulgeat apertisque in campis messis multa pateat, atque per eucharisticam pietatem, per officia ca-

---

* Capita V-VI discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis septimae die 12 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 48-110.

ritatis in pauperes ac infirmos necnon per zelum et orationem pro errantibus et infidelibus apostolicum eorum studium in dies augeatur.

In apostolicae caritatis exercitiis alumni a Seminarii Moderatoribus prudenter manuducantur; tempore autem vacationum valide ad hoc cooperentur Parochi, quorum grave officium erit tum spiritualis alumnorum cura, tum de eorum agendi ratione veridica sententia.[3]

3. [... *in curriculo philosophico continuanda*]. Ab incepto philosophico curriculo, cuius disciplinis et methodo alumnorum maturitas non parum promovetur, Moderatores simul et Magistri uno animo curent ut ab illis, quorum futurum munus erit plebi christianae praeesse, idoneae aptitudines virtutesque excolantur, ita ut in ipsis « magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant ».[4]

Ad christianum sensum socialem, quia « multi unum corpus sumus in Christo » (*Rom.* 12, 5), alumni sedulo informentur, et sociali Ecclesiae doctrina eiusque potioribus applicationibus, secundum tradita ecclesiastica documenta ac imprimis Summorum Pontificum Encyclicas opportune initientur.

Directe autem per aliquem contactum, sed caute et gradatim, iuxta normas ab Apostolica Sede et ab Episcopis prolatas, subque Superiorum semper vigilantia et peritorum cura, agnoscant quid sentiant et appetant propriae Societatis homines et quaenam sint eorum religiosae, morales et materiales conditiones.[5]

4. [... *in cursu theologico praeprimis curanda*]. In cursu autem theologico omnes sacrae disciplinae, methodo vere scientifica tradantur ad normam eorum quae in capite IV huius Constitutionis praescribuntur, ita tamen ut clarius appareant ea quae pastorali praedicationis et actionis ministerio maxime inserviant.

Cum vero futuri pastoris opera in eo praecipue versetur ut fidelibus et infidelibus Iesum Christum praedicet, et hunc crucifixum (cf. *I Cor.* 2, 2), necesse est ut singulae disciplinae ad unum convergant centrum; quod est ipse Dominus Iesus Christus, Salvator noster ut centrum historiae salutis, quae in Ecclesia, praeprimis in sacrae liturgiae mysteriis semper est in actu; et hoc modo, dum unitas sacrarum disciplinarum per earum in Christo connexionem tironum mentibus lucide fulgebit, etiam cohaerentia studiorum, vitae spiritualis et apostolatus efficacius comparabitur. Pastoralis ergo aspectus et accentus quasi vitalis halitus a Magistris et Moderatoribus in tota institutione diffundatur.[6]

5. [*Formationis specifice pastoralis fundamentale principium*]. In disciplinis vero specifice pastoralibus tradendis Magistri constanter et valide in lucem ponant, animarum pastores ob hoc potissimum praedicare verbum, in omnibus laborare et ministerium implere (cf. *II Tim.* 4, 2-5) ut oves vitam habeant et abundantius habeant (cf. *Io.* 10, 10).

Ad hunc supernaturalem finem consequendum, necessitatem divinae gratiae eiusque vim et effectum « in corde bono et optimo » (*Lc.* 8, 15) instan-

ter profiteri necesse est; mediaque supernaturalia, scilicet orationis exercitium et sacramentorum participationem, omnibus aliis mediis anteponenda esse diligenter docere.

Igitur theologiae pastoralis criteria et methodos, supervacuis et profanis vocum novitatibus sedulo vitatis, ab evangelicis monitis et exemplis, quorum summa est « quaerere primum regnum Dei et iustitiam eius » (cf. *Mt.* 6, 33), Magistri numquam seiungant, immo pressius eruant ex fontibus S. Scripturae, Sanctorum Patrum et S. Liturgiae, a quibus fideles germanum et integrum vitae christianae sensum haurient.[7]

6. [*Formationis pastoralis praecipuae normae*]. Sanctae et fructuosae actionis pastoralis spiritu et normis alumni fideliter imbuantur, et discant vitae apostolicae fundamentum et praesidium in assiduo orationis cultu sita esse et in silentii amore et in proprii cubiculi operosa custodia, necnon in sacrarum disciplinarum diligenti studio et in vitae regula qua inter apostolicos labores rectus ordo semper servetur.

De docilitate et oboedientia proprio Pastori exhibendis ita ut nihil umquam fiat vel proponatur nisi cum Episcopo, alumni instanter informentur; immo continenter instituantur ea mente eoque spiritu quibus efficacius omnes Sacerdotes cum suo Episcopo filiali animo stricte cohaereant, et « caritate fraternitatis invicem diligentes » (cf. *Rom.* 12, 10) pastoralem actionem iunctim promoveant. Sedula igitur cura alumni adiuventur ut alicui officio vel operositati una cum aliis incumbere discant; percipiant quanti momenti sit apta inter singulos laboris distributio; quantum referat attenta et sapiens operae coordinatio; quam humilis serviendi dispositio requiratur in omni pastorali incepto.

Laicorum cooperationem magni faciant, quae in dies maioris momenti pro Regno Dei ubique extendendo venit, et studiose idoneos se reddant ad eorum associationes apostolatus instituendas et colendas, ipsisque laicis consilium et sacerdotale auxilium opportune praestandum. Unde eos humiliter et aperta mente audire assuefiant ut sic plenius cognoscant rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates nec non difficultates vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae.

Cum vero opera apostolica non solum fines paroeciae, sed ipsius Dioeceseos necessario transcendant, ipsi alumni praeparentur, sub ductu Episcoporum, ad suum apostolatum in ampliore extensione coordinandum.[8] Ut ad eiusmodi specialia munera apostolica obeunda quidam sacerdotes iuniores opportune conformari possint, Seminariorum moderatores ne praetermittant Episcopis indicare particulares quas in alumnis cognoverint et excoluerint dotes pastorales.

7. [*Apta ad praecipua munera pastoralia praeparatio*]. Cum apostolici labores uniuscuiusque aetatis necessitatibus inservire debeant, magni interest ut futuri pastores ad id efficaciter praeparentur; componantur in primis ad institutionem catecheticam tum pueris tum adultis, iuxta locorum exigentias, apta impertiendam methodo, quae praecipue in sacra pagina et cultu

liturgico nitatur et recentiora etiam subsidia opportune adhibeat; item ad sanctam et salutarem praedicationem excolendam, qua fideles discant quae credere et facere ad salutem oporteat.[9] Praedicatio autem argumenta potiora et suam quasi medullam ex divinis libris Veteris et Novi Testamenti fideliter deducat; gravitatem, simplicitatem, et concinnitatem semper prae se ferat et probet « concionantem pro animi persuasione et ex corde loqui sublimemque expectare finem qui ministerio suo est praestitutus ».[10]

Sacram Liturgiam ita celebrare addiscant ut virtutem eius et momentum persentientes, populum sibi committendum ad consciam et actuosam eiusdem participationem ducere valeant.

Diligentissime instituantur alumni in iis quae ad sacramenta digne ministranda et suscipienda conferunt, praesertim quod spectat Poenitentiae Sacramentum, officio pastoris coniunctissimum necnon in spirituali doctrina et ratione quibus animae in via perfectionis dirigantur.

Adquirere studeant artem tam difficilem quam maxime necessariam occurrendi incredulis et errantibus necnon promovendi missionarium spiritum et actionem in omnibus fidelibus.

Subsidia etiam assumant quae disciplinae tum psychologicae tum sociologicae actioni pastorali valde utiliter afferre valent, iuxta rectas methodos, consilia et monita ecclesiasticae Auctoritatis. De hodiernis quoque technicis communicandi artibus (utpote prelo, radiophonia, televisione, cinematographo) necnon de activitatibus recreativis alumni, per graduales cognitiones et prudentes moderatosque usus, congrue edoceantur, ut easdem Regno Dei dilatando utiles reddere, pericula autem cum eis saepe connexa praecavere discant.[11]

8. [*Theologiae pastoralis praxis seu exercitationes*]. Ad praxim pastoralem ineundam valde proderunt consentaneae exercitationes, quae ita secundum particulares locorum et temporum conditiones favendae sunt ut, prudenti Episcoporum iudicio, formationi alumnorum spirituali et intellectuali damnum minime ferant, atque ducentibus Superioribus semper fiant.

Praeter ea quae iam dicta sunt de oratione spiritu apostolico peragenda et de caritate in vitae consuetudine exercenda, valde commendanda sunt omnia incepta quibus mentes alumnorum apertius dilatentur ut Ecclesiae, immo totius humanae familiae, necessitates et labores comprehensos habeant. Veniunt in primis Opera pro missionibus et pro Ecclesiae unitate et ea omnia quae vitam catholicam respiciunt in regionibus ubi Ecclesia persecutionem patitur.

Aliae exercitationes videntur maxime commendandae scilicet: catechesim pueris tradere sive per annum scholarem sive per ferias, semper tamen sub ductu experti Magistri vel Parochi, tempore et in locis opportunis, prout prudentia suaserit; [12] vacationum praesertim tempore proprio Parocho adiutorio esse in sodalitatibus puerorum moderandis, quae ad apostolatum vel ad cultum liturgicum pertinent; aliquod commercium inire, ubi commode et sine ullo praeiudicio fieri possit, cum operariis, cum agri cultoribus, cum

infirmis et pauperibus, cum iis qui in carcere detinentur et ceteris particularibus coetibus, quorum indolem et necessitates pro animae salute cognoscere maxime interest.

Haec et alia similia Moderatores secundum Episcoporum placita promoventes, prae oculis semper habeant tum pastoralis institutionis finem et potiores partes quae ad vitam spiritualem et intellectualem spectant, tum condiciones et limites quos propter alumnorum aetatem et statum prudentia imponit. Ad id praecipue attendant, ut alumni ad exercitationes extra Seminarium faciendas bene praeparentur, eorumque experientiae in Seminario coram competente Magistro discutiantur et ab ipso diiudicentur.[13]

9. [*Magistrorum theologiae pastoralis specifica conformatio promovenda*]. Ut disciplinarum pastoralium magistri alumnos ad munera apostolica efficaciter conformare valeant, ipsi non tantum experientia et zelo pastorali praecellant, sed de singulis actionis pastoralis aspectibus, particularibus quoque cursibus accurate instituantur oportet.

NOTAE

[1] De schematis ratione generali notentur:

a) De formatione pastorali iam agitur in huius Constitutionis capite IV, *De Studiorum Ratione in Seminariis* (cf. §§ 14, 15, 18) et obiter in capite II, *De Institutione spirituali* (cf. §§ 4, 6, 8) et in capite III, *De Disciplina in Seminariis* (cf. §§ 6, 9). Peropportunum tamen visum est in unum componere omnia quae ad rem tam magni momenti spectant ut huius formationis unitas et ordinatio clarius appareant et simul magis in lucem ponantur ea quae ad verum animarum pastorem efformandum maxime conferunt.

b) Omnes quidem conveniunt « institutionem pastoralem » retinendam non esse meram aliquam instructionem de accurata Sacramentorum dispensatione, neque meram habilitationem technicam ad libros paroeciales conscribendos et conservandos vel ad beneficia administranda vel ad officia Parochi vel Cooperatoris distinguenda vel iura vindicanda. Quae sane non sunt quidem spernenda, immo cum ceteris veri Pastoris dotibus videntur valde utilia ad integram pastoralem institutionem, sed eam constituere revera nequeunt.

c) Institutionis pastoralis finis potissimum in eo est ut futurus Christi minister animum suum ad imaginem divini Pastoris effingat et « forma fiat gregis ex animo » (cf. *I Pt.* 5, 4). Sacerdotes enim ab Episcopis qui « tamquam veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt » (Conc. Vatic. I, Const. *De Ecclesia Christi,* DENZ. 1828), ut « cooperatores proprii ordinis » (cf. *Pont. Rom.*) assumuntur et pastoralis Episcoporum sollicitudinis et laboris socii et participes declarantur.

Propterea in hoc schemate decreti accentus constanter ponitur in formatione « *animi pastoralis* », ne ipsa institutio in quemdam technicismum decidat et sacerdos potius mercenarius vel « functionarius » evadat.

Minime tamen negliguntur ea omnia quae tum ad rerum actualium cognitionem tum ad efficacem pastoralis actionis rationem Sacerdotem magis idoneum reddant.

d) Totius schematis structura haec est:

in n. 1: veri *pastoris forma* seu figura delineatur;

in nn. 2, 3, 4: prospicitur totius institutionis aspectus pastoralis;
in n. 5: formationis specifice pastoralis fundamentale principium;
in n. 6: eius praecipuae *normae;*
in n. 7: eius praecipua munera et *subsidia;*
in n. 8: significantur *exercitationes* quaedam et alia quae ad artem et ad praxim pastoralem referuntur.

Caput autem VI quod videtur quasi conclusio totius constitutionis *De Sacrorum alumnis formandis* agit de perficienda formatione post Seminarium sub triplici aspectu, scilicet spirituali, intellectuali et pastorali.

[2] Momentum « pastoralis institutionis » atque sollicitudo quam Ecclesia in re habuit, plurimis documentis abunde patefiunt.

Praeter ea quae tum in Vetere tum in Novo Testamento de boni pastoris dotibus dicuntur, maxime in S. Pauli epistolis pastoralibus, recolenda essent quae Sancti Patres et Ecclesiae Doctores vel Scriptores docuerunt de munere apostolico et de Christi ministrorum officiis, ut S. Ambrosius et S. Chrysostomus, vel quae proprie de vita pastorali scripsit S. Gregorius Magnus in libro qui per plura saecula, et etiam nunc, iure reputatus est « mirabilis regula » in regimine animarum et a Summo Pontifice Ioanne XXIII declaratus est « actionis pastoralis codex pretiosissimus post Evangelium Christi et apostolicas epistolas, in animarum sacerdotalium sanctificationem et in fidelium directionem » (cf. Serm. III pro I Syn. Rom.).

Perfecta autem pastoris forma clarissime potest deduci ex quattuor recentiorum Pontificum documentis quae de vita, de dotibus et de institutione Sacerdotum distincte agunt, scilicet:

1) S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum *Haerent animo, S. Pii X Acta,* vol. IV (1908), p. 237 ss.;

2) PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii, A.A.S.,* 28 (1936), p. 5 ss.;

3) PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 657 ss.;

4) IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia, A.A.S.,* 51 (1959), p. 545 ss.

Non pauca tamen de formatione pastorali inveniuntur etiam in Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (1943), *Mediator Dei* (1947), *Evangelii Praecones* (1951), *Sacra Virginitas* (1954), *Musicae Sacrae Disciplina* (1955), *Princeps Pastorum* (1959), necnon in Const. Apost. *Sedes Sapientiae* (1956) pro Religiosis. Nec omittenda sunt quae in *C.I.C.* de formatione et disciplina et vitae actione pro clerico prudenter disponuntur.

PIUS XII f. r. et IOANNES XXIII etiam in suis allocutionibus ad Sacerdotes formam boni pastoris sapientissimis monitis compluries tradiderunt.

Acta quoque et litterae circulares Sacrarum Congregationum, sive Concilii sive Sacramentorum et praesertim de Seminariis et Stud. Universitatibus valde conferunt ad componendam veram pastoris imaginem; cf. duas litteras huius S. Congregationis pro I centenario mortis S. Curati de Ars (5 iun. 1959) et pro III centenario mortis S. Vincentii de Paoli (27 sept. 1960).

[3] Cum finis proprius Seminarii sit « eos instituere qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt » (cf. *C.I.C.,* can. 1352), omnia quae a primis quoque annis in Seminario fiunt ad hunc finem opportune dirigenda sunt. Cf. S. Congr. de Seminariis et Stud. Univ. *Ordinamento dei Seminari,* ad Italiae Episcopos, d. 26 aprilis 1920, *Ench. Cler.* n. 1081.

Quoad vacationum momentum pro institutione apostolica promovenda earumque peculiaria quoque pericula cf. S. Congr. de Sem. et Stud. Univ., *L'Esortazione " Menti Nostrae " e i Seminari,* Città del Vaticano 1955, pp. 98-111. In aliquibus dioecesibus tempore vacationum *experimenta apostolica communia* pro alumnis Seminarii minoris promoventur, Episcopo assentiente et Moderatoribus ducentibus et vigilantibus.

[4] Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* d. 23 sept. 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 686.

[5] Cum Sacerdotem oporteat « *praeesse* » (cf. *Pont. Rom.* in *S. Ordin.*), scilicet communitatem christianam regere et singulorum animos recte moderari, maximi interest ut sacrorum alumni ad artem animas regendi, quae est « ars artium », prudenter et progressive ipsi instituantur. Neque apta esset ea institutio, quae omnino celaret necessitates et difficultates, insidias illecebras et pericula societatis, in qua futuris Sacerdotibus ministerium exercendum erit. Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 686 sq., et cf. Directorium Seminariorum (in Sinis), auctoribus Missionariis Congregationis Immac. Cordis Mariae, Pekini 1949, p. 575 et passim.

De christiano sensu sociali perfectius excolendo nemo est qui dubitet: innumerae sunt enim quaestiones quae ex hoc capite actionem pastoralem necnon vitam ipsam spiritualem sacerdotis attingunt. In cursu autem philosophico agitur de quadam initiatione, tum doctrinali tum practica, quae tamen nullam iacturam debet afferre formationi intellectuali et spirituali huic cursui propriae.

[6] Institutio pastoralis maxime promovetur in cursu theologico, quia theologicae disciplinae, praesertim in Seminariis dioecesanis vel pro dioecesibus (v. gr. regionalibus in Italia) ad hoc potissimum edocentur ut recte formetur « homo apostolicus ». Cf. PIUS XII, Allocutio ad sacrorum alumnos, d. 24 iunii 1939, *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. I, p. 214: « Alte insideat menti vestrae a fidelibus hodie bonos animarum pastores et confessarios eruditos summo desiderio quaeri ».

Ad plene obtinendum hunc effectum maxime proderit *unitas* et *connexio* in omnibus disciplinis tradendis, de qua iam agitur in huius Constitutionis cap. IV n. 19; finis enim curriculi theologici in Seminariis non est « specialisatio » in una vel altera disciplina, sed integra possessio sacrae doctrinae, quam Pastores populo christiano tradent veluti totum unum et indivisibile, cuius centrum est Iesus Christus eiusque opus salvationis in Ecclesia semper in actu.

Cf. *Catechismus ad Parochos* Conc. Tridentini, in Praefatione.

Hac disciplinarum unitate alumni melius comparabunt veram « theologiam mentis et cordis » et efficacius consociare scient studia et vitam spiritualem, disciplinam et futurum apostolatum. Ut Magistri « pastoralem aspectum » in omnibus sacris disciplinis constanter prodant est votum ab Episcopis compluries repetitum.

[7] Numquam satis futuri animarum pastores instruentur de essentiali fine omnium pastoralium laborum, scilicet de gloria Dei et de animarum salute ac sanctificatione (« ut vitam habeant et abundantius habeant »).

Prorsus innumera sunt de hoc argumento Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum monita. Cf. omnia documenta quae in nota 1 memorata sunt; praeterea sermones S. Pii X, Pii XI, Pii XII ad Seminariorum Alumnos vel ad Sacerdotes; necnon sermones Ioannis XXIII ad primam Synodum Romanam. Haec omnia clare probant vere adesse periculum hunc finem negligendi, et supernaturalia

media, saltem practice, parvipendendi in actione pastorali; et hinc elucet necessitas in hoc decreto revocandi principia immutabilia fructuosi apostolici laboris.

Capita et fontes ex quibus hauriuntur summa et methodus etiam hodiernae « evangelizationis » et « pastoralis actionis » nequeunt esse nisi S. Scriptura, S. Liturgia et Traditio SS. Patrum; de facto hodie plurima scripta, institutiones, conventus quae Episcopis auctoribus et ducibus pastorali actioni efficaciter favent, his praecipue principiis innituntur. De necessaria adaptatione ad conditiones particulares temporum, coetuum, aetatum cf. ipsius Decreti num. 7.

[8] Principiis fundamentalibus superius memoratis stricte consociantur criteria seu normae rectae pastoralis actionis, quae alumnis tradi debent. Decretum vero commemorat praecipua tantum scilicet: rectum vitae sacerdotalis ordinem (orationis cultum, diligens studium, regulam); fidelem cum Episcopo coniunctionem; studium cooperationem laicorum promovendi; coordinationem apostolatus ultra fines paroeciae et dioeceseos.

Praeter ea quae de his normis iam dicuntur in documentis supra relatis commemorentur plures Pii XII sermones ad Parochos Romanos: d. 16 mart. 1946, *A.A.S.*, 38 (1946), p. 182 ss.; d. 23 mart. 1949, *A.A.S.*, 41 (1949), p. 182 ss.; d. 27 mart. 1953, *A.A.S.*, 45 (1953), p. 238 ss.; d. 10 mart. 1955, *A.A.S.*, 47 (1955), p. 212 ss.; d. 27 febr. 1956, *A.A.S.*, 48 (1956), p. 135 ss. Et cf. Ioannes XXIII, Sermo in III sess. Synodi Romanae, d. 27 ian. 1960, *A.A.S.*, 52 (1960), p. 240 ss.; et Ioannes XXIII, Sermo ad Clerum Romanum, d. 24 nov. 1960, *A.A.S.*, 52 (1960), p. 967 ss.

[9] Cf. *C.I.C.*, can. 1347.

[10] Cf. S. C. Consistorialis, Normae pro sacra praedicatione: « *Ut quae Beatissimus Pater* », d. 28 iun. 1917, *Ench. Cler.* nn. 1059-1061.

[11] De adaptanda pastorali actione novis insurgentibus necessitatibus constans fuit sollicitudo S. Matris Ecclesiae, pluries expressa per Summorum Pontificum documenta et Episcoporum vota. Sufficiat memorare: Pii XI Ep. *Officiorum omnium*, d. 1 aug. 1922, *Ench. Cler.* 1157; Pii XII Adhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.*, 42 (1950).

De institutione catechetica et praedicatione numquam in oblivionem cadent ea quae summa pastorali sapientia statuerunt S. Pius X in Encyclica *Acerbo nimis*, d. 15 apr. 1905, et Benedictus XV in Encyclica *Humani generis redemptionem*, d. 15 ian. 1917, *A.A.S.*, 9 (1917), p. 305 ss. Quibus sunt addenda decreta vel normae a Sacris Congregationibus prolata, ex. gr. *Provido sane* S. C. Concilii, d. 12 ian. 1935, *A.A.S.*, 27 (1935), p. 145 s.; *Ad Regnum Iesu Christi* S. C. de Seminariis, d. 8 sept. 1929, *Ench. Cler.* nn. 1215-1219; *Quod Catholicis* S. C. de Seminariis, d. 28 aug. 1929, *Ench. Cler.* n. 1278. Pii XII plurima et maximi momenti sunt Acta, Sermones et Nuntii radiophonici, quae ad rem catecheticam et pastoralem pertinent, ex. gr.:

— Nuntius radiophonicus ad Conventum catech. Barcinonensem, d. 7 apr. 1946, *Discorsi e Rad.*, VIII, pp. 33-36;

— Nuntius radiophonicus ad Conventum Nationalem catecheticum Statuum Foederatorum, d. 26 oct. 1946, *ibid.*, pp. 285-289;

— Sermo ad Conventum Internat. Catecheticum, d. 14 oct. 1950, *ibid.* XII, pp. 245-249;

— Litterae ad Em.mum Card. Stritch pro IX Conventu Nationali Catech. Statuum Foederatorum, d. 14 sept. 1951, *ibid.* XIII, pp. 569-571;

— Sermo ad Sacerdotes CENAC, d. 29 sept. 1953, *ibid.*, XV, pp. 321-326;

— Sermo ad Sacerdotes et Religiosos (per la VI Settimana nazionale italiana di aggiornamento pastorale), d. 14 sept. 1956, *ibid.* XVIII, pp. 443-455;

— Allocutio ad Conventum Internationalem Liturgiae Pastoralis, d. 22 sept. 1956, *ibid.* XVIII, pp. 465-479.

Sedis Apostolicae documenta et acta viam aperuerunt et lineas statuerunt tum catecheseos tum actionis pastoralis novis necessitatibus magis aptae; atque de « scientia salutis » et de « arte artium » nova incepta et studia novaeque institutiones, auctoribus vel faventibus Episcopis, pluribus in locis floruerunt. Quae omnia ignorari nequeunt a futuris Pastoribus. Etiam subsidia quae valide afferre possunt disciplinae psychologicae et sociologicae iure videntur memoranda, sicuti ea quoque diligenter consideranda sunt quae hodiernae technicae communicandi artes ad ministerium pastorale conferre possunt.

[12] Cf. S. Congreg. de Seminariis et Stud. Universitatibus, Epist. *Ad Regnum Iesu Christi,* d. 8 sept. 1926, *Ench. Cler.* 1219.

[13] Exercitationes de quibus agitur in hoc numero, a pluribus Episcopis in votis Concilio parando missis postulantur et certe valde utiles, immo necessariae videntur, quia communi experientia paedagogica constat ad actionem exercendam non mera doctrinae communicatione efficaciter aliquem praeparari, sed eo quod discipulus ad Magistri experti actionem aspiciat eiusque sub ductu agere incipiat, ut probatur e. g. in medicis, magistris etc. Altera ex parte, quod sacrorum alumnos attinet, in huiusmodi exercitationibus magna cautela utendum est, ne praematura vel excessiva experimenta damnum afferant ipsorum formationi spirituali et intellectuali. Plurima hac in re dependent a circumstantiis locorum et temporum; in dioecesi, ubi maior pars fidelium inhabitat urbes alia criteria sequenda erunt ac in dioecesi ubi praevalent ruricolae. Propterea iudicium de exercitationibus iam tempore Seminarii instituendis singulis Episcopis committendum videtur.

Caput VI

DE FORMATIONE POST SEMINARIUM PERFICIENDA

1. [*Formatio sacerdotalis post Seminarium protrahenda*]. Formatio sacerdotalis, quae accuratissime danda est in Seminario, ob modernae vitae adiuncta perfici debet post Seminarium, primis annis vitae sacerdotalis, sub aspectu spirituali, intellectuali et praesertim pastorali. Novensiles sacerdotes enim maxime egent, uti ipsa experientia edocet, quibusdam auxiliis, ut a tecta et collecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam operositatem pastoralem sine incommodo transeant.[1]

2. [*Episcoporum et parochorum circa neo-sacerdotes sollicitudo*]. Oportet in primis ut Episcopi novensiles sacerdotes « tamquam filios et fratres natu minores diligant », sollicitam paternamque curam eis continenter praestent atque opportunitatem eis praebeant aptum spiritus Directorem habendi, recollectiones menstruas et spiritualia exercitia ipsis aptata frequentandi ac piis unionibus sacerdotalibus participandi. Parochi vero neo-sacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, moneant et in ministerii exercitio adiuvent.[2]

Ad hoc maxime iuvabit consuetudo vitae communis inter clericos, quae summopere laudanda atque suadenda est.[3]

3. [*Formatio imprimis pastoralis post Seminarium continuanda*]. Praeterea in pastoralis actionis primis gressibus, hac praesertim nostra aetate, quae plurimas et citissime evolventes difficultates praebet, in theologiae doctrinis ad singulos casus accommodandis et in practice evolvenda arte artium, iuvenes sacerdotes magnum emolumentum percipiunt ex scientia, prudentia et ductu Magistrorum vere peritorum, et praecipue ex acquisita experientia aliorum Pastorum.

Huiusmodi institutio effici potest per *annum pastoralem* in Convictu ecclesiastico sicut, auctoribus Episcopis enixeque Summis Pontificibus hortantibus, in aliquibus Dioecesibus vel Regionalibus laudabiliter et fructuose iam fit.[4] Ea deinde utiliter protrahitur periodicis conventibus per quattuor vel quinque annos, quia in hac tam difficili discenda arte ipsa prolatio temporis plurimum ad finem confert, et gradatim perficitur per arctam doctrinae et praxis connexionem, per applicationem ecclesiastici pastoralis ministerii ad novas et varias necessitates, per fidelem et efficacem coordinationem omnium pastoralium inceptorum in Dioeceseos et totius Ecclesiae unitate.[5]

4. [*Tota formatio sacerdotalis peculiari tirocinio complenda*]. Opportune tandem promovetur longior quidam conventus quo iuvenes sacerdotes post quinque circiter annos vitae sacerdotalis in Seminarium vel aptam domum convocantur per congruum tempus, v. gr. per mensem, ut vitam spiritualem instaurent atque in novis quaestionibus quae disciplinas sacras et ministerium sacerdotale tangunt ulterius instruantur. De his ac similibus inceptis utiliter agent etiam Episcoporum Coetus ut ex plurium Dioecesium collaboratione melius ad actum deduci possint.[6]

Meminerint vero quotquot maximo sacerdotum formandorum operi se dedicaverint quod « cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam » (cf. *I Petr.* 5, 4) percipient, et eo pretiosiorem quo Christo acceptiores ministros eosque in ministerio fecundiores reddiderit recta sacerdotalis institutio.

NOTAE

[1] Recentiora S. Sedis documenta particularem de neosacerdotibus curam habendam inculcant. Commemoranda sunt imprimis:

Pius XII, Motu Proprio *Quandoquidem,* d. 2 aprilis 1949, *A.A.S.*, 41 (1949), pp. 665-667;

Exhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950, *A.A.S.,* 42 (1950);

Constitutio Apostolica (pro Religiosis) *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, et Statuta Generalia adnexa;

Allocutio Sacerdotibus « Convictus Barcinonensis », d. 14 iun. 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 271-273.

Haec particularis de sacerdotibus novellis et iunioribus cura non iam stricte pertinet ad argumenta Commissioni de Studiis et Seminariis propria. Visum est autem opportunum quaedam succincte commemorare, quia ulterior illa cura non

sine aliqua cum Seminario eiusque Moderatoribus et Magistris connexione exerceri solet (quasi ut « Post-Seminarium ») et quia in reordinandis et coniungendis schematibus visio synthetica totius formationis sacerdotalis iam facile elucere poterit.

[2] Cf. PIUS XII, Exhort. Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), pp. 692 sq. In votis quoque Episcoporum pro Concilio missis saepius inculcatur momentum paterni adiutorii quod ab expertis confratribus novellis sacerdotibus praestandum est.

[3] Cf. *C.I.C.,* can. 134 et PIUS XII, Exhort. Apost. *Menti Nostrae,* l. c., p. 693: « Quod in votum iam venerat Ecclesiae, id Nos et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet vel ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem ».

[4] Particularis annus formationis pastoralis, quadriennio theologico absoluto, pro Religiosis praescribitur a Constitutione Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, et adnexis Statutis Generalibus. Sed etiam pro Clero dioecesano plura constituta sunt Instituta in quibus particularis promovetur formatio pastoralis sacerdotum novellorum. Insuper creati sunt Convictus vel Collegia quemadmodum desiderantur ab Exhortatione Apost. *Menti Nostrae, A.A.S.,* 42 (1950), p. 692.

[5] In pluribus dioecesibus iam novo modo ordinantur examina quae a *C.I.C.* (can. 130, § 1) praescribuntur expleto studiorum curriculo saltem per triennium; instituuntur scilicet cursus annuales in quibus, secundum ordinem apte electum, quaestiones theologicae, morales, pastorales perfectiore ea luce tractantur qua post prima vitae pastoralis experimenta a sacerdotibus iunioribus percipi possunt.

[6] Sicut iam dictum est in huius Constitutionis capite II « De Institutione Spirituali », eiusmodi longiores conventus eo facilitari possunt quod sacerdotes noviter ordinati interea substituantur iis confratribus qui ad hos conventus vocantur.

III

DE STUDIIS ACADEMICIS AB UNIVERSITATIBUS TUM CATHOLICIS TUM ECCLESIASTICIS PROVEHENDIS *

PROOEMIUM

Ecclesia Catholica Magistra Veritatis suum esse munus semper duxit divinarum humanarumque rerum disciplinas totis viribus provehere atque iuvare, quippe quae veritatis solemne argumentum sint, humanam vitam et operositatem foveant, christianae societatis decus exstent. Ideo haec Sancta et Oecumenica Synodus, plane sibi persuasum habens altiorum studiorum sedes esse hodie promovendas quam maxime, quaedam decernenda esse statuit quibus tum Universitates Catholicae tum Studiorum Ecclesiasticorum Athenaea aptius pleniusque nobile suum consequantur propositum.

CAPUT I

DE UNIVERSITATIBUS CATHOLICIS

1. Sanctae Ecclesiae quae, a studiorum Universitatum exordio, liberalissima earum fuit fautrix atque patrona, summopere cordi sunt Catholicae Universitates quae, ab Ipsa erectae vel rite approbatae, velut publicam, stabilem atque universalem praesentiam efficiunt mentis christianae in omnibus scientiae partibus atque tum superiore alumnorum institutione spiritu christiano informata tum penitiore doctrinarum pervestigatione, scientiarum ac litterarum diffusionem et progressum in fidei catholicae lumine sub omni coelo promovent.

2. Quare haec Sancta Synodus enixe commendat ut Catholicae Universitates imprimis professoribus polleant scientia ac christiano iudicio eximiis et quam validissime adiuventur necessariis et opportunis subsidiis, unde bibliothecis, investigationis institutis ceterisque scientificis instrumentis apte sint

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregationibus sexta et septima sessionis quartae, diebus 26-27 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 800-862.

instructae; ipsae vero, proprii officii memores, tum singularum disciplinarum studio sedulo incumbant, tum constanti ac generoso nisu contendant ad uberem scientiarum cooperationem atque ad illam rerum universarum rectam interpretationem quae Catholicae Universitatis maxime propria est, cum christianae revelationis tantum lumine plene haberi possit.

3. Ideo in omni Catholica Universitate adsit Facultas Theologica, vel saltem Theologicum Institutum, quae ipsius Universitatis veluti anima sint, ad illorum problematum investigationem promovendam quibus profanae scientiae cum sacris continenter coniungantur ita ut fidei cum ratione admirabilis consensio clarius eluceat et ipsae profanae scientiae veritatis revelatae luce perfundantur.

4. Tantae rei pondus persentiens, Sancta Synodus vehementer exoptat ut in omnibus orbis partibus quaedam Catholicae Universitates habeantur, quae grave sibi commissum munus exsequantur atque Ecclesiasticae Auctoritati in hodierno apostolatu doctrinale auxilium praestent. Ad quem finem facilius obtinendum catholicarum virium consociatio omni ope foveatur ab Episcoporum coetibus sub illius Sacri Dicasterii moderamine cui Catholicarum Universitatum cura commissa est et quod virorum vere peritorum consilio adiuvabitur, qui ex variis nationibus diversisque disciplinis eligi debent.

5. Sedulo pariter curandum est ut catholici studentes, eorum etiam parentibus monitis, officium sentiant frequentandi Catholicas Universitates, ubi dantur, ideoque earum aditus alumnis congruis dotibus praeditis facile pateat, iis imprimis qui maioris sunt spei etsi tenuioris fortunae. Spiritu vere catholico ac fraterno adiutorio recipiantur qui alienis ex nationibus adveniunt, ex iis potissimum quae maiore auxilio indigent, ita ut litteris scientiisque alte instituti ac simul religione moribusque integre formati, in patriam reversi propriis rite fungantur muneribus ad maius tum Ecclesiae tum Societatis civilis bonum.

6. Cum vero Catholicae Universitates ob maiores in dies ipsarum necessitates non ubique erigi possint, Sancta Synodus animarum Pastores monet ut congruum procurent auxilium iis qui civiles Universitates frequentant, ac valde suadet ut in magnis saltem universitariis urbibus centra universitaria instituantur, quae Catholicarum Universitatum defectum quodammodo supplentia, non tantum spirituale auxilium praestent ac hospitiis pro studentibus institutis morale praesidium offerant, sed etiam disciplinarum studium promoveant in harmonica scientiae et fidei conspiratione, theologica quoque facultate vel cathedra in ipsa Universitate civili erecta, ubi opportune fieri possit.

7. Summopere quoque Sancta Synodus commendat ut scientiae viri catholici etiam extra Catholicas Universitates veritatis cognitioni servire ad commune bonum specialiter studeant, tum pervestigatione scientifica et docendi munere in civilibus Universitatibus, tum constanti scientifico commercio cum omnibus scientiae viris, tum denique iuvenes praeclarioris ingenii sive catholicarum sive civilium Universitatum, qui ad docendum et inve-

stigandum aptiores sunt, peculiari cura excolendo ac promovendo, ita ut quam plurimis hominibus veritatis fructus praebere valeant eosque ad lucem quoque Evangelii intuendam perducere conentur.

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 11-16 decembris 1961; 33 Membra (i. e. omnes praesentes) tulerunt suffragium « Placet ».

NOTAE

Ad 1. Nihil in hoc Decreto dicitur de Ecclesiae iure Catholicas Universitates erigendi et de iis quae cum hoc iure connectuntur, quia haec supponuntur ex generaliore Decreto « De Scholis Catholicis », ubi illa iura vindicantur pro omnibus scholis catholicis, inter quas etiam Universitates numerantur.

Ad 2. Quae de momento et fine Catholicarum Universitatum hic dicuntur, latius exponuntur in exordio Constitutionis Apostolicae Pii XI *Deus Scientiarum Dominus* (24 maii 1931) necnon in scriptis et sermonibus Pii XII; conferri possunt, exempli gratia: *Litterae ad XXII Congressum « Pax Romana »* (12 aug. 1952), *Oratio ad Senatum Academicum et Alumnos Universitatis Romanae* (15 iun. 1952), *Oratio ad Professores et Alumnos Catholicorum Institutorum Galliae* (21 sept. 1950).

Ad 3. In antiquis Universitatibus Catholicis semper habebatur Facultas Theologica, quae omnium Facultatum princeps erat; in recentioribus Universitatibus Catholicis hoc non semper accidit. Et revera, etsi optandum est ut in magnis Catholicis Universitatibus habeatur Facultas Theologica, hoc nequit omnibus imponi; imponi vero potest ut aliquod Institutum vel Centrum Theologicum constituatur quod defectum theologicae facultatis quodammodo suppleat. Eius structura non determinatur cum diversis necessitatibus iuxta placita competentis auctoritatis ecclesiasticae accommodari debeat; eius vero munus erit curare ut religionis schola in Universitate secundum diversa locorum adiuncta apte habeatur, ut illorum problematum investigatio peculiariter promoveatur quae scientias naturales, philosophiam et religionem attingunt (v. g. mundi evolutio, vitae initia, humani generis origo, vitae socialis problemata etc.) atque ut tota alumnorum institutio harmonica ratione cum christiana doctrina componatur.

Ad 4. Catholicae Universitates nimis multiplicari nequeunt propter difficultatem tum aptos Professores tum scientifica subsidia inveniendi, atque vitandum est ne quoad valorem scientificum civilibus Universitatibus inferiores sint, quod in dedecus Ecclesiae et alumnorum damnum cederet; ideoque earum qualitas potius quam numerus curari debet, cum melius sit paucas florentes habere quam multas languentes. Quare vires coniungendae sunt ut in omnibus mundi partibus quaedam, etsi paucae, Catholicae Universitates habeantur, quae studiorum et scientiarum splendore vere eniteant atque catholicum influxum exercere efficaciter valeant.

Ad 5. Catholicarum Universitatum praestantia in tuto posita, earum frequentatio fovenda est; cum vero haud raro difficultates oeconomicae adsint, necessitas urgetur auxilia quaerendi quibus earum aditus facile pateat. Peculiaris praeterea mentio fit studentium novarum nationum, praesertim Asiae et Africae, quorum educatio summi momenti est cum ex iis multum pendeat futura illarum nationum sors atque ipsius Ecclesiae in eis incrementum.

Ad 6. Ob impossibilitatem Catholicas Universitates multiplicandi, valde urgenda videtur opportunitas centra catholica constituendi in magnis urbibus apud Universitates Statales, sicut iam fit in pluribus regionibus, etiam Asiae et Africae; multo minores sunt difficultates tum quoad personas tum quoad subsidia oeconomica, et magni fructus obtineri possunt.

Ad 7. Commendatur nisus penetrandi in Statales Universitates, tum theologicam facultatem vel cathedram erigendo, ubi fieri potest prout in n. 6 dictum est, tum aptos Professores comparando qui vere docti et catholici sint; pariter peculiaris cura commendatur iuvenum qui, ingenio et virtute praestantes, certam spem dant fore ut optimi Professores evadant Universitatum Catholicarum vel Statalium. Coetus episcoporum in aliquibus regionibus huiusmodi incepta iam efficaci cura promovent; sed apta cum Universitatibus Catholicis et Apostolatu Laicorum inita operae consortione vel uberiores fructus obtineri poterunt. De diversis modis promovendi collaborationem Universitatum utiliter conferantur quae proponuntur a S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus in votis Concilio parando exaratis (cf. *Acta et Documenta* ..., III, pp. 369-370).

Caput II

DE STUDIORUM ECCLESIASTICORUM UNIVERSITATIBUS

1. [*Introductio*]. Cum nostris praecipue temporibus altiora studia ad singulorum hominum et societatis vitam vera fide imbuendam aut ab ipsa alienandam quam maxime valeant, haec Sancta Oecumenica Synodus sequentia disponit ut in Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus disciplinae sacrae vel cum sacris connexae impensius excolantur ac provehantur atque auditores in iis, secundum doctrinam catholicam, altius instituantur atque in fontium cognitionem, in usum investigationis scientificae, in magisterium rite exercendum introducantur; [1] simulque vehementer exoptat, ut ecclesiastici Antistites quos ex clericis scientiarum investigationi aptiores cognoverint, Studiorum Ecclesiasticorum Facultatibus formandos committant, eo temporis spatio quod hodiernis scientificae et apostolicae institutionis necessitatibus exigitur.[2]

I - *De Studiis Philosophicis*

2. Sollertissimam de studiis academicis curam quam praeprimis in divinae doctrinae incrementum Ecclesia impendit, Philosophiae quoque exhibitam vult; quippe cuius gravissimum munus sit veritates humanae rationi pervias per supremas causas patefacere, fundamenta fidei in tuto collocare, altiori scientificae fidei penetrationi eiusque defensioni ut instrumentum inservire, nova systemata diiudicare atque, cum opus sit, refellere; ea demum quae in eis sana agnita sunt philosophiae christianae compaginare.[3]

3. In Universitatibus Ecclesiasticis duplex instituatur biennium studiorum ad gradus academicos in Philosophia assequendos: alterum Philosophiae scholasticae, alterum specialisationis.[4]

Biennium Philosophiae scholasticae ad normam praecedentis decreti « De studiorum ratione in Seminariis » (III, 9-12) ab omnibus clericis peragendum, sic in Facultatibus ecclesiasticis perficiatur ut Alumni non modo ad studia theologica sed etiam ad altiora studia philosophica excolenda apte instruantur. Auditores igitur accuratissime in fundamenta syntheseos Doctoris Angelici introducantur quae ad philosophiam spectant; ita ut ad hanc plene cohaerenterque propria ratione recensendam atque ut progressus scientificus postulat ulterius evolvendam apti evadant. Hoc studiorum curriculo rite absoluto gradus Baccalaureatus conferatur.[5]

Alterum biennium, ad Licentiam docendi conferendam, studiis specialisationis impendatur peculiari ratione habita philosophiae et scientiae recentioris aetatis; in quo biennio ordinando Universitates congrua fruantur libertate sub suprema Sanctae Sedis auctoritate.[6]

4. Praeterea, Universitates et Facultates, quae magistrorum subsidiorumque copiam congruam habent, altiora studia ad Lauream in Philosophia conferendam instituant per congruum temporis spatium usque ad dissertationis scriptae defensionem protrahenda. Haec autem magisteria eo respicere debent, ut ope investigationis et reflexionis stricte philosophicae altior synthesis culturae modernae ab erroribus expurgatae sub luce veritatis christianae promoveatur.[7]

II - *De Studiis Theologicis*

5. In Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis duplex sit studiorum S. Theologiae ordo ad gradus academicos assequendos: alter in quo integrum corpus doctrinae theologicae tradatur, alter in quo pars seu sectio eiusdem particularis sic excolatur ut sacrorum Alumni assidue et apte parentur ad magisterium exercendum et disciplinas sacras provehendas.[8]

6. Prius studiorum curriculum, ad Baccalaureatum, per annos quatuor protrahendum sic in Facultatibus ecclesiasticis instituatur ut non solum ea comprehendat quae ad normam decreti « De studiorum ratione in Seminariis » (IV, 13-19) ad munus sacerdotale sancte obeundum praeparant, sed etiam auditores ad altiora studia specialisationis in disciplinis sacris prosequenda idoneos reddat.[9]

Ad hunc finem assequendum S. Theologia ad scientificam exactam methodum, tam positivam quam speculativam, accuratissime tradatur, ita ut integra huius disciplinae synthesis ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis in omnibus suis partibus organice perspecta habeatur.[10]

7. Sacrorum Alumni Baccalaureatu in S. Theologia insigniti ad altiores gradus academicos acquirendos alteri studiorum ordini per tres saltem annos incumbant.[11]

Duobus primis annis ad Licentiam in S. Theologia contendentes ita studio particularis sectionis se dedant, ut non solum doctrinam traditam omnino perspectam habeant et in hac scientiae parte vere periti reddantur, verum

etiam ope exercitationum ad praecipuos eius fontes cognoscendos compositi, scientificam investigandi methodum ipsi propriam plene addiscant, atque ad magisteria in Seminariis Maioribus et quaedam ministeria praecipua rite obeunda solide praeparentur.[12]

Studia ad Lauream per congruum tempus protrahenda in Universitatibus et iis Facultatibus quae magistrorum congruentem copiam habent, instituantur; quae studia ita ordinentur, ut candidati ad propriam disciplinam efficaciter provehendam vere apti fiant et ad docendum in Universitatibus rite excolantur.[13]

8. Rationes studiorum in utroque curriculo observandae a singulis Universitatibus et Facultatibus, Sancta Sede ducente et approbante, conficiantur ad peculiares locorum conditiones accommodatae.

III - *De praecipuis Specialisationis Studiis*

9. Praeter studia philosophica et studia theologica de re dogmatica, morali, spirituali, alia habeantur specialisationis studia quae sive in particularibus Facultatis Philosophicae et Theologicae sectionibus sive in propriis Facultatibus vel Institutis promoveantur.[14]

In ipsis singularem locum obtinent Divinorum librorum studia quae secundum iterata Sanctae Sedis monita et huius Sanctae Synodi decreta Patres particulari cura prosequenda esse iubent.[15]

Praeterea hae praecipue disciplinae excolantur: patrologia, scientiae historiae religiosae, scientiae de re liturgica, de re pastorali; ius canonicum et civile, scientiae de rebus orientalibus christianis, scientiae missiologicae, scientiae confessionum acatholicarum et religionum achristianarum; archaeologia christiana, musica sacra, ars sacra; scientiae sociales, paedagogicae, scientiae ethnologicae et anthropologicae, litterae humaniores christianae, scientiae de mediis communicationis socialis et aliae id genus.[16]

10. Cum ex natura hominum et rerum nulla disciplina aliis neglectis vel posthabitis omni ex parte perfecte excoli possit, in quavis Facultate studiorum ecclesiasticorum unitas omnium scientiarum sacrarum ita efficiatur oportet, ut singulae disciplinae minime aliae ab aliis disiunctae, sed potius in corpus organice compaginatae alumnorum mentibus elucescant.[17]

Pariter in unaquaque Universitate ecclesiastica singulae Facultates et Instituta interne inter se cohaerere debent, mutua opera sibi vicissim omnia assidue praestantes, quae ad organicum divinae et humanae scientiae corpus in dies perfectius exstruendum necessaria et utilia esse videntur.[18]

Denique ut Universitates et Facultates ecclesiasticae omnes aptiore quo possint modo mutua inter se conspirent operae coniunctione Sancta Synodus vehementer commendat. Viribus enim opportune consociatis ad gravissima quaeque perficienda scientiae munera reddentur promptiores et veritati Christi ab Ecclesia hodie summopere inter omnes gentes dilatandae atque tutandae validissimum praebebunt auxilium.[19]

IV - *De Methodo*

11. Cum scientiarum progressus necnon unitas in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis efficacius excolenda congruentem potissimum requirant methodum, eadem Sacrosancta Synodus enixe hortatur ut omnes magistri cum in tradendis tum in pervestigandis et tractandis disciplinis propriae methodi rationem quam accuratissime habeant.[20] Apprime igitur servata, praesertim in disciplinis philosophicis et theologicis methodo scholastica hucusque tam salubriter adhibita, iusta quoque ratio habeatur methodorum quas verus scientiae progressus invexit quibusque disciplinae ecclesiasticae iuxta propriam naturam apte et tuto promoveri possunt et debent.[21]

12. Auditores in laborem scientificum proprium sub ductu professorum gradatim introducantur.[22] In priore curriculo principia methodologica propriae disciplinae addiscant, eaque aptis exercitationibus applicare incipiant.[23]

In curriculo specialisationis autem in quo disciplinae magis monographice proponuntur ad aliorum commentationes recte expendendas et praeprimis ad selecta scientiae argumenta indaganda et in arte proprias investigationes ac conclusiones scriptis proponendi solide instituantur.[24] Qui singulorum labor scientificus in curriculo ad lauream priorem locum obtinere debet.

V - *De Professoribus*

13. Professorum in Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis varii habeantur ordines. Ut quis in professorum collegium legitime cooptetur, requiritur non solum ut vera peritia certis documentis comprobata praefulgeat, verum etiam ut unicuique ordini congruam exhibuerit maturitatem scientificam.[25] Numerus autem professorum talis sit oportet ut singularum scientiarum disciplinis atque auditorum numero sive pro lectionibus sive pro exercitationibus fructuose instituendis plane respondeat.[26]

14. Professores veri alumnorum magistri sint, competenti auctoritate scientifica ad scientiae amorem eos attrahant, assidua ac vigilante cura ipsorum prima in labore scientifico incepta prosequantur; ad sacrificia quae verus scientiae cultus expostulat, forti et hilari animo perferenda suo inflamment exemplo eosque alta scientia imbutos viros vere doctos et humiles efficere satagant.[27]

VI - *De novis Universitatibus condendis et de Affiliatione*

15. Ut scientia ecclesiastica universim evehatur placuit Patribus decernere, ut sub ductu Sanctae Sedis novae Universitates et Facultates ecclesiasticae condantur, ubi locorum, temporum ac rerum rationes hoc expostulant, dummodo professores, bibliothecae, aedificia, subsidia praesto sint ea perfectione et mensura, quae in tam gravi negotio nostris potissimum temporibus requiruntur.[28]

16. Seminaria maiora dioecesana et religiosorum particulari institutionis

perfectione praecellentia, Universitatibus et Facultatibus affiliari possunt ita, ut sub earum vigilantia et ductu melioris ingenii iuvenes eam consequantur institutionem scientificam, quae priori Facultatis philosophicae et theologicae curriculo respondeat et in fine curriculi, debitis examinibus superatis, Baccalaureatus gradu ornari queant.[29]

VII - *De Institutis Investigationis Scientificae*

17. Patres Concilii insuper enixe exoptant, ut in Universitatibus et Facultatibus Instituta erigantur quae primarie investigationi scientificae promovendae inserviant.[30] Hisce Institutis praesto sint viri iam vere periti in unum congregati, opportuna subsidia, aptae cooperationis rationes ita ut non solum altior veritatis cognitio obtineri, sed etiam fructus pretiosissimi in utilitatem ipsius operae scientificae atque apostolatus practici percipi possint.[31] Huiusmodi autem Instituta laudabili aliorum coetuum studio iam erecta apte Facultatibus consocientur.[32]

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 2-10 octobris 1961; 34 Membra tulerunt suffragium « Placet », 3 Membra « Placet iuxta modum ».

NOTAE

(Ad Introductionem)

[1] Ipsi fines institutionis universitariae ecclesiasticae quasi verbotenus desumpti sunt ex Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (cf. Tit. I, *Normae generales,* art. 2). Haec Constitutio, etsi in prooemio integram de studiorum Universitatibus quaestionem consideravit, nihilominus in corpore praeprimis meliori institutioni universitariae Cleri consulere voluit, ut Sacerdotes optime exculti praesto essent muneri docendi sacras disciplinas in Seminariis et Universitatibus, easque scriptis provehendi, prout nostra aetate apud altiora instituta scientifica fit in ceteris scientiis.

Constitutionem Apostolicam plurimum contulisse ad hunc finem obtinendum, nullum dubium est. At post annos triginta ab eius promulgatione elapsos, experimentis satis cognitum est maiore nisu opus esse ut studia S. Theologiae et Philosophiae christianae in hodiernis Universitatibus et Facultatibus ecclesiasticis non modo aeque floreant ac in aureis periodis suae saecularis historiae; sed etiam ut, ratione habita progressus scientiarum ultimis saeculis obtenti, instrumentum apprime aptum evadant, quo Ecclesia in alta cultura promovenda eum influxum hodie quoque exerceat quem iure sibi vindicat et de facto in aliis culturae epocis habuit.

[2] Iuxta praescripta Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* (cf. Tit. III, § 2, art. 31), studiorum curriculum in *Facultate Philosophica* absolvitur annis quatuor, quorum tres priores requiruntur ad Licentiam obtinendam, quartus ad Lauream. In *Facultate* vero *Theologica,* absolvitur annis quinque, quorum quattuor priores necessarii sunt ad Licentiam, quintus ad Lauream. Ut studia ecclesiastica scilicet melius et plenius suum facerent quodcumque in hodierna ratione scien-

tiae et methodi authenticum humani spiritus progressum constituit, praefata Constitutio protraxit curriculum studiorum in utraque Facultate per unum annum, et simul plura praescripsit quibus accuratiori institutioni scientificae auditorum consuleretur (cf. in Tit. III et IV, art. 33, 34, 46 circa disciplinas *auxiliares* et *speciales, circa exercitationes, examina, dissertationem*). At haec omnia, ut usus comprobavit, expleri nequeunt illo temporis spatio quod hucusque conceditur quin auditorum mentes valde onerentur et alii aspectus eorum institutionis (spiritualis, pastoralis) detrimentum facile subeant. Haec attente perpendens *Commissio de studiis* conclusit omnino necessarium esse ut curriculum studiorum in Facultatibus Philosophica et Theologica protrahatur quantum opus est ut fines a Constitutione Apostolica intenti obtineantur absque defectibus notatis in *Votis et Monitis* tam Episcoporum quam Congregationum Romanarum.

(Ad Studia Philosophica)

[3] Leo XIII, Litt. Encycl. *De philosophia christiana* (4 aug. 1879); S. Pius X, Litt. Encycl. *Communium rerum* (21 aprilis 1909); Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis* (15 aug. 1950).

[4] Cardo novae rationis studiorum quae in Facultatibus Philosophica et Theologica proponitur in hoc consistit quod in utraque plenius distinguatur *curriculum academicum institutionale* a *curriculo specialisationis*. Ad studia ecclesiastica et theologica congrue applicatur criterium fundamentale et generale nunc vigens in ratione studiorum cuiusvis Facultatis recte ordinatae sub aspectu paedagogico. In omni enim moderna Facultate duplici muneri est incumbendum:

1) prius doctrina anteactis temporibus detecta atque acquisita *tradenda* est quam aptissima ratione paedagogica; idque fit in *curriculo academico institutionali;*

2) deinde necesse est ulterius illud corpus doctrinae excolere investigationibus quae scientiam augeant lumine novarum veritatum, quae nondum agnitae sunt, vel nondum in conspectu synthetico perspectae fuerunt: ad huiusmodi opus instituuntur auditores in *curriculis specialisationis*. Commissioni de studiis persuasum est omnino requiri ut deinceps studia ecclesiastica philosophica et theologica ordinentur sub luce huius principii.

[5] In hodierna crisi doctrinarum, bonum Ecclesiae postulat omnino ut haec institutio philosophica fundamentalis in tuto ponatur; quod fieri nequit nisi:

1) Sacrorum Alumni debitam assecuti sint maturitatem in studiis praeuniversitariis (in Italia, v. g. plene peracto non modo Gymnasio sed etiam Lycaeo);

2) adsit copia sufficiens Professorum qui congrua Laurea instructi ita sint in re philosophica periti, ut auditores possint in hoc biennio introducere in ipsa fundamenta syntheseos Doctoris Angelici; e quorum veritate possint iidem etiam nova aggredi problemata prout progressus scientificus postulat.

Si hae conditiones non adimplentur, etiam post Concilium, in fundamentis ipsis scientiae ecclesiasticae illa perdurabit crisis quam cum tam intima sollicitudine denuntiat Ecclesiae Magisterium (cf. Litt. Encycl. *Humani generis*).

Haec ergo videntur postulanda:

1um, ut in Seminariis minoribus studia media absolvantur *omnino complete* usque ad titulum quo patet ingressus in Universitates;

2um, ut *tantum hoc obtento,* fiat integrum biennium Philosophiae scholasticae usque ad Baccalaureatum in hac disciplina;

3um, ut hic Baccalaureatus in Philosophia requiratur ad inchoanda studia in Facultate Theologica.

[6] Huius alterius biennii est Sacrorum Alumnos altius instituere in speciali quodam ambitu disciplinarum philosophicarum, ita ut in eodem propriam et, quantum fieri potest, perfectam competentiam adquirant. Haec specialisatio rationem suam sortitur e peculiari campo in quo candidatus thesim doctoralem perficere intendit et operam suam deinde exercere optat: v. gr. logica et semantica, philosophia naturae et philosophia scientiarum, metaphysica cum diversis eius hodiernis sectionibus, ethica et ius naturale cum sociologia et politica, historia philosophiae etc.

Ad assequendam Licentiam, praeter examen peculiare de praecipua disciplina sectionis quam frequentat, opus est ut candidatus experimentum etiam scriptum praebeat suae scientiae. Haec dissertatio, etsi non eiusdem molis ac momenti ac dissertatio ad Lauream, tamen condiciones scripti vere scientifici explere debet. Ita Licentiae gradus non modo ut propaedeuticus intelligitur relate ad tertium institutionis gradum, seu Lauream, sed valore sibi proprio donatur. Talis gradus sufficiens erit pro munere docendi in Seminariis.

Huiusmodi autem praescriptiones magis particulares non nominantur in Decreto conciliari: videntur enim reservandae peculiari Constitutioni Apostolicae et congruis Ordinationibus quibus Decretum Conciliare applicabitur a competente S. Congregatione.

[7] Studia ad Lauream iuxta Decretum altiora et magis ardua evadunt et proinde talem requirunt magistrorum et subsidiorum copiam quae non ubique facile reperiri possunt. Proinde in Decreto distinctio insinuatur duplicis categoriae Facultatum ecclesiasticarum. Quod non videtur inconveniens: etenim Facultas Licentiam tantum conferens proprio fine atque decore minime carebit, cum ipse gradus Prolytatus in hac nova ratione studiorum maior evadat et omnino sufficiens ad plura munera peculiaria obeunda (cf. etiam notam 13).

Pro Laurea assequenda praecipuum est ut dissertatio conscribatur quae vere ad scientiae profectum conducat; in qua redigenda tempus congruum impendi debet, quod nequit determinatius praescribi sed relinquatur oportet peculiaribus usibus Universitatum.

(De Studiis Theologicis)

[8] Decretum post *quadriennium* theologicum traditionale praescribit *triennium* specialisationis pro sacrorum Alumnis qui ad Lauream contendunt.

Rationes sunt sequentes:

1) Ex experientia satis constat in praesenti ordinatione *quinque annorum* exigentiis actualibus apte et plene non posse satisfieri. Ubi enim cum rigore debito normae Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* applicantur, formatio Alumnorum magno numero disciplinarum tum fundamentalium tum specialisationis oneratorum, nequit satis compleri sub aspectu etiam pastorali, prout hodiernae exigentiae postulant. Si e contra necessitates institutionis pastoralis congrue respiciuntur, scientia ad gradus academicos requisita non satis obtineri potest et tituli conceduntur qui nequaquam in honorem redundant Facultatum ecclesiasticarum.

2) Etiam abstractione facta a necessitate formationis pastoralis institutio theologica fundamentalis non potest simul peragi cum seriis studiis specialisationis, quae pro scientiae profectu et pro futuris Theologiae magistris sunt omnino neces-

saria; quae vero, si perfunctorie tantum fiunt, potius nocent quam prosunt. Eis serio peragendis duratio unius anni nequit ullo modo sufficere (cf. notam 4 et rationem sequentem).

3) Futuris theologiae dogmaticae et moralis professoribus ea prorsus praeparatio particularis concedenda est quae in aliarum disciplinarum sacrarum magistris hodie iure requiritur.

Iam iuxta praescriptum Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* (Tit. II, art. 25) sacrorum Alumni ut possint contendere ad Licentiam et Lauream in Re Biblica, in Iure Canonico, in Rebus Orientalibus Christianis, in Archaeologia sacra, praevie quadriennium theologicum perficere debent et muniti sint oportet titulo Licentiae in S. Theologia, vel saltem diplomate studiorum quo constet illos hoc quadriennium complevisse ad normam can. 1365 CIC. Ratio huius praescriptionis patet. Scopus enim studiorum in illis Facultatibus et Institutis, *et* basim omnino solidam scientiae theologicae praeviae *et* congruum tempus studiorum, quae uni peculiari disciplinae tribuantur requirit. Nam nonnisi hac via recte providetur formationi Magistrorum in huiusmodi disciplinis, et quidem iuxta graves huius temporis necessitates.

Ad instar huius normae Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* etiam aliae disciplinae quae in peculiaribus Facultatibus et Institutis nunc excoluntur (v. gr. Historia Ecclesiastica, Liturgia, Missiologia, Scientiae sociales) requirunt ut sacrorum Alumni praevie quadriennium theologicum expleverint.

Atqui, si pro praeparatione canonistae, missiologi, sociologi, vel in re archaeologica periti, triennium studiorum specialisationis requiritur, aequum est ut idem praeparationis tempus pro munere non minus arduo explendo concedatur magistris Theologiae dogmaticae et moralis. Nam studia strictiori sensu theologica adeo ample evoluta sunt in praecipuis suis sectionibus (v. gr. Theologiae dogmaticae speculativae, Theologiae moralis, Theologiae spiritualis), ut nonnisi a « specialistis » plene possideri valeant.

Existimat proinde *Commissio de Studiis,* communi consensu, Sanctam Synodum rem maximi momenti in bonum studentium et ipsius scientiae theologicae esse facturam, si durationem curriculi academici studiorum theologicorum protraxerit ita ut *studia specialisationis* (in Theologia dogmatica, spirituali et morali) eandem extensionem habeant ac in aliis disciplinis sacris.

[9] Quamvis inter curriculum theologicum perficiendum in Seminariis et curriculum quadriennale universitarium quod hic proponitur, non iam adsit quoad indolem et numerum disciplinarum tanta differentia quanta hucusque habebatur inter curriculum « academicum » et curriculum « seminaristicum », nihilominus censuit *Commissio de Studiis* quadriennium theologicum institutionale in Facultatibus minime esse superfluum, sed proprio gaudere momento.

Etsi enim Theologia hodierna non potest debito modo excoli et provehi nisi aptis *studiis specialisationis,* tamen considerandum quoque est *periculum serium ne Theologia recentior illo excessu vitietur qui vitiat culturam hodiernam Universitatum laicarum;* ibi enim tendentia specialisationis sic viget ut disciplinae scientificae omnes in sectiones, et sectiones in partes semper minores continuo dividantur. Cum vero in cultura universitaria hodierna desit quodvis principium intrinsecae unitatis, evenit ut hoc processu habeantur fragmenta scientiae, non scientia.

Ut tale periculum in S. Theologia efficaciter vitetur, opus est ut non modo studiis specialisationis momentum maius in posterum tribuatur, sed etiam studiis

quae ut obiectum habent ipsam synthesim S. Theologiae, sive tradendam iuxta suum patrimonium saeculare, sive ulterius excolendam iuxta novas investigationes. Talis vero ingens labor efficacius et plenius perfici potest solum in ipsis Facultatibus ecclesiasticis si non tantum triennio studiorum specialisationis reservatur, sed fit iam durante ipso quadriennio (ut explicatur in ampliore huius Decreti Commentario a Commissione praeparato).

[10] Ratio studiorum curriculi theologici quadriennalis debet *in primis* ea omnia comprehendere quae ad munus sacerdotale sancte obeundum praeparant (cf. Decretum *De studiorum ratione in Seminariis,* IV, 13-19); praeterea vero debet auditoribus conferre sub aspectu scientifico illam institutionem quae ipsos ad altiora studia specialisationis prosequenda idoneos reddat; quod praestandum est tum apta methodo docendi tum exercitationibus. Ut huius curriculi scopus in Facultatibus integre obtineatur, duo potissimum requiruntur:

1) Alumni sint debite selecti non solum quoad ingenium, sed etiam *quoad praeparationem,* sive in studiis mediis complete peractis, sive in biennio Philosophiae scholasticae pariter integre facto post studia media plene absoluta.

2) Collegium Professorum non modo sufficiens sed apprime paratum ad tractatus theologicos tradendos in ordine ad illam synthesim scientiae sacrae, quae ut meta proponitur huius curriculi.

Ad obtinendum Baccalaureatum examen peculiare subeundum erit, prout nunc praescribitur in Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* pro Licentia (Tit. IV, art. 44).

[11] Alter studiorum ordo ad formationem scientificam specialem instituitur qua discipuli *in aliquo disciplinarum theologicarum complexu seu sectione* altius instituantur, ita ut in illa peculiarem competentiam sibi adquirant. Determinatio specialisationis pendet ab ambitu in quo auditor suam operam sive in munere docendi sive in aliis officiis ecclesiasticis exercere debebit.

Ratio studiorum huius curriculi ulterius determinanda erit a competente S. Sedis Dicasterio. Sequentia interea adumbrari posse videntur:

a) *Quoad disciplinas.* Singulae Facultates in propriis statutis determinent *complexus* disciplinarum affinitatem habentium cum disciplina praecipua a qua tota sectio suam indolem consequitur. Tres disciplinae praecipuae suggerendae videntur quae constituere possunt centrum diversarum sectionum: *Theologia dogmatica, Theologia moralis, Theologia spiritualis.* De cetero in ordinando biennio studiorum specialisationis Universitates ecclesiasticae debita fruantur libertate sive quoad numerum sive quoad indolem sectionum.

b) *Quoad rationem docendi.* Cursus tradantur non modo expositionis syntheticae, sed potissimum analyseos criticae tum fontium tum operum, ita ut discipuli recte et exacte de doctrinarum valore diiudicare discant, innata eorum aptitudo ad nova opera adstruenda educetur, in normis technicis productionis scientificae bene instruantur.

c) *Quoad exercitationes.* Ipsis magnum momentum tribuatur et fiant sub ductu professorum quibus tempus et subsidia praesto sint ad laborem personalem uniuscuiusque Alumni dirigendum.

d) *Quoad examina.* Curriculum absolvendum erit examine peculiari *de universa disciplina praecipua* sectionis et commentatione scripta circa aliquod thema scientificum.

[12] Quoad relationem inter Seminaria et Universitates ecclesiasticas, duo notanda occurrunt:

Alumni qui studia S. Theologiae perfecerunt in Seminariis affiliatis (cf. Decreti n. 16 et Commentarii notam 29), Baccalaureatu in eis obtento, poterunt immediate aggredi alterum cyclum studiorum ad Licentiam et Lauream in Universitatibus.

Alumni vero qui his studiis operam dederint in Seminariis non affiliatis, ut possint inchoare studia specialisationis ad Licentiam et Lauream, debebunt per unum annum studiis vacare quae Facultas necessaria existimaverit ut compleatur eorum formatio scientifica in eo gradu institutionis, qui requiritur ad Baccalaureatum: hoc vero donabuntur post examen de universa S. Theologia in Facultate.

[13] Pro studiis ad Lauream decretum non praescribit definitum quoddam tempus, quia post annum *scholaritatis* labor redactionis theseos doctoralis fere semper diuturnius protrahi debet. Id praecipue interest in hac nova conceptione Laureae in S. Theologia, ut nempe dissertatio doctoralis vere sit talis quae ad scientiae profectum conducat, et quae publici iuris fieri possit sub responsabilitate scientifica Facultatis.

Valore scientifico et academico Laureae in S. Theologia fortiter aucto, in Decreto suadetur distinctio duplicis categoriae Facultatum ecclesiasticarum quarum aliae praeter quadriennium academicum ad Baccalaureatum instituant biennium studiorum specialisationis ad Licentiam, absque postremo et altiore curriculo ad Lauream; aliae vero « magistrorum congruentem copiam habentes », omnia magisteria theologica in triplici gradu Baccalaureatus, Licentiae et Doctoratus instituant. Nam, ut in suis *Propositis et Monitis* S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus notat, « studia ad Lauream, si serio fiant, postulant magnum numerum Professorum huic muneri deditorum, selectissimam bibliothecam, magna subsidia pecuniaria. Ex alia parte Universitatum vita nequit esse vere scientifica, nisi aptum numerum (non nimis restrictum) Alumnorum vere selectorum possideant » (*Acta et Documenta,* Ser. I, vol. III, p. 396). Patet autem Facultates omnibus hisce subsidiis instructas non esse tam numerosas. Ius proinde et officium erit S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus decernere quibusnam Facultatibus potestas sit conferendi omnes gradus academicos et quibusnam Facultatibus tantum Baccalaureatum et Licentiam.

Existentia talium Facultatum, ut iam notatum est (cf. notam 7), plene iustificatur ex eo quod valor scientificus Licentiae, biennio specialisationis introducto, non parum evehitur; proinde Institutio academica quae ipsam confert redditur sibi sufficiens in determinato ambitu.

(De praecipuis Specialisationis Studiis)

[14] Attenta distinctione supra exposita inter duplicem ordinem et gradum studiorum (cf. Decreti nn. 3 et 5 et Declarationum notas 4 et 8), praeter studia specialisationis philosophica et theologica in sensu strictiore alia expresse nominantur hunc in finem ut praecipuae scientiae sacrae vel cum sacris connexae, recentiores quoque, apud ecclesiasticos viros maius consequantur incrementum.

Decretum consulto abstinet a dirimenda vexata quaestione de distinctione inter *Facultates* et *Instituta,* utrum scilicet classicae tantum Facultates ut tales retinendae ceteraeque disciplinae in forma Institutorum Superiorum sint ordinandae, an formatio novarum Facultatum etiam in Studiorum ecclesiasticorum Universitatibus fo-

venda sit, eo fere modo quo fit in plurimis Athenaeis civilibus. Proinde in Decreto terminologia geminata usurpatur « Facultates vel Instituta ».

[15] Particularem mentionem Studiorum S. Scripturae membra Commissionis exoptarunt propter necessitatem hodiernam dogmaticam, apologeticam, catechisticam, liturgicam, oecumenicam scientiae biblicae. Hac speciali mentione autem nihil determinatur de ordinatione et de Sedibus horum studiorum.

[16] In Decreto plura specialisationis studia adiciuntur eis quae iam enumerata sunt in Constitutione Apost. *Deus scientiarum Dominus*. Quae adduntur nova, respondent progressui quem ipsae disciplinae ecclesiasticae hac nostra aetate fecerunt, necnon necessitatibus invectis a scientia agnostica et acatholica. Quae nova studia etiam in votis ab Episcopis Orbis catholici Concilio parando missis passim exoptantur.

[17] Ne studiis specialisationis auctis ipsa vita scientifica in Universitatibus damna patiatur (cf. etiam supra notam 9), mutua operae consortio quam maxime urgenda est *et* inter omnes alicuius Facultatis disciplinas, *et* inter omnes Facultates vel Instituta eiusdem Universitatis, *et* inter Universitates ecclesiasticas in toto orbe existentes.

A multis viris doctis ecclesiasticis atque in plurium Episcoporum votis deploratur non solum nimia autonomia, sed vera quoque disiunctio quinimmo quasi oppositio quae non semel existit inter disciplinas eiusdem Facultatis.

Theologia dogmatica e. gr. accusatur quod sit fere unice speculativa aut apologetica, non satis biblica nec sufficienter fovens vitam spiritualem, liturgicam, praedicationem. Theologia autem moralis dicitur esse potius negativa, non satis dogmatica nec biblica, nimis separata a theologia ascetica-mystica et a vita liturgica. Exegesi exprobratur quod sit fere unice philologica, critica, historico-archaeologica, non satis theologiam dogmaticam respiciens neque vitam spiritualem, liturgicam et pastoralem fovens. Theologiae ascetico-mysticae obicitur quod sit praevalenter psychologica, non sufficienter dogmatica, biblica, patristica et liturgica. Disciplinae denique ecclesiologicae et iuris publici, quae aliquando (proh dolor) quasi convertuntur, passim etiam ad invicem sese ignorant (cf. etiam notam 16 ad schema Decreti *De Studiorum ratione in Seminariis*).

[18] Inculcatur operae consortio inter diversas Facultates eiusdem Universitatis, quippe cum disciplinarum disgregatio frequenter foveatur Facultatum disgregatione. Specialisationis necessitate fortiter vindicata, numquam obliviscendum est scientiam sacram initio unam fuisse eiusque scientificam institutionem quoque unam habitam esse, quae cum « sacra pagina » convertebatur. A multis viris doctis, extra Ecclesiam quoque, in Universitatibus reformandis antiqua « Studii Generalis » idea, i. e. universitas studiorum, sensu unionis et mutuae operae consortionis a parte omnium disciplinarum et Facultatum vehementer exoptatur. Eo magis in Universitatibus ecclesiasticis mutua inter omnes scientias ecclesiasticas opera restauretur oportet.

Ita novae scientiae numquam abstrahere debent a viva cum aliis operae coniunctione; exemplo sit sociologia christiana, quae eodem tempore a philosophia, a theologia, a iure, a scientiis politicis et oeconomicis pendet; vel paedagogia christiana quae a philosophia, theologia, psychologia, medicina aliisque disciplinis plurima mutuetur oportet.

[19] Cooperatio denique omnium Universitatum commendatur, quia hac aetate non solum vivum commercium scientificum totius orbis christiani restaurari debet, verum etiam scientiae munera hodie efficaciter absolvi nequeunt absque multarum virium consortione. Modi quibus huiusmodi consociatio in praxim deduci possunt,

duce S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus determinari et excoli poterunt.

(De Methodo)

[20] Multae querimoniae quae etiam ab episcopis in votis Concilio parando datis circa defectus institutionis scientificae proferuntur, quaestionem methodi tangunt. Quodsi e. gr. theologia moralis haud raro dicitur esse nimis hamartologica, nimis casuistica et parum systematica-doctrinalis, nimis iuridica, id magna ex parte ex neglecta methodo theologiae morali propria venit. Permixtio enim didactica et scientifica inter theologiam moralem et ius canonicum, quae in Seminariis passim viget et ex libris manualibus clare innotescit, methodos quoque confundit cum gravi detrimento utriusque scientiae. Si enim iuridica methodus obiecto morali applicatur et methodus moralis legibus interpretandis, utraque scientia in discrimen vocatur sicut ex mente non paucorum fidelium probatur, in quibus moralis apparet « legalisata », lex vero « moralisata », quoad utriusque interpretationem et applicationem. Quae mens saepe ne a sacerdotibus quidem aliena est, ex institutione in scholis theologicis recepta. Aliud notum exemplum defectus methodi offerebatur haud raro ab Ecclesiologia.

[21] Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (art. 29) cum adnexis « Ordinationibus » (art. 18) valde urgebat methodum positivam una cum speculativa. Decretum consulto abstrahit a variis acceptionibus notionis methodi (expositionis et inquisitionis; analyticae et syntheticae; systematicae et monographicae; speculativae et positivae; historicae, iuridicae, philologicae etc.); huiusmodi determinationes, decreto conciliari minus consonae, relinquendae sunt rationibus studiorum. Expressa autem mentio facta est methodi scholasticae, sensu tamen pleno acceptae, quatenus scilicet non solum modum procedendi speculativum dicit, sed etiam integram magnorum scholasticorum habitudinem scientificam, quae partes positivas non excludit. Generali deinde modo commendatur etiam usus earum methodorum quae vero progressui scientifico inservire probantur.

[22] Exercitatio seu introductio alumnorum in proprium laborem scientificum iam a Constitutione Apost. *Deus scientiarum Dominus* postulabatur. Quia autem exercitationes exigunt magistros vere peritos, alumnorum numero sufficientes nec non usum frequentem, proprias aulas et suppellectilem, bibliothecas particulares etc., dictae praescriptiones nec semper nec ubique sufficienter in praxim deductae sunt, summo cum detrimento dissertationum ad Lauream confectarum.

[23] Ut per gradus procedatur, necesse est ut non solum prima et fundamentalia exercitia non negligantur, verum inde fere ab initio gradualis introductio habeatur in laborem quoque scientificum. Hunc in finem variae formae et gradus exercitationum distinguantur oportet, quod hucusque in praxi saepe negligebatur.

[24] Progrediente curriculo momentum praelectionum decrescit et momentum investigationis scientificae personalis augetur. Attendendum est praecipue ad investigationem veri adhuc incogniti vel non satis cogniti proprio labore faciendam circa selecta argumenta apte restricta; cuius investigationis fructus iuxta regulas artis proponendi scripto redigendi sunt, ita ut alumnorum capacitas scientifica et quoad substantiam et quoad formam excolatur. Haec exercitatio in curriculo ad Lauream primum omnino locum occupare debet.

(De Professoribus)

[25] De ordinibus professorum nihil in specie determinatur, quia singulis Universitatibus remittitur, quot et quid statuere velint, dummodo gradus fundamentales observentur, de quibus iam in Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus* (art. 19).

[26] De professorum numero expresse loquitur Decretum, quia tum quoad institutionem cum praecipue quoad exercitationes optatus exitus omnino frustratur, nisi singuli alumni cura et ductu particulari propriorum professorum fruuntur, quod a congruo tantum magistrorum numero, sive relate ad disciplinas sive ad alumnorum copiam computando, praeberi valet.

[27] Ex universa totius scientificae institutionis historia demonstratur integram discipulorum conformationem non solum a magistrorum auctoritate scientifica eminenti dependere, sed vel magis ab exemplo deditionis et virtutum ab eis dando atque praecipue a vivo inter magistros et discipulos commercio. Etiam in Universitatibus Status plurimi hodie exigunt, ut institutionis academicae sedes non tantum rebus altius investigandis et auditorum institutioni inservire debeant, sed etiam alumnis educandis. Magis autem quam in aliis disciplinis hic finis moralis una cum fine scientifico intendi debet in sacrarum scientiarum studiis, propter munus apostolicum quo viri docti ecclesiastici semper et ubique fungi debent, etiam in doctrinarum cultu.

(De novis Universitatibus condendis et de Affiliatione)

[28] In votis Concilio parando exaratis non desunt qui non solum a novis condendis Universitatibus dissuadeant, sed etiam iam existentes ad minorem numerum reducere velint (cf. v. gr. ipsum votum S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, *Acta et Documenta,* series I, vol. III, p. 396). Alii valde cupiunt ut Universitatum vel Facultatum numerus augeatur (cf. v. gr. ibid. vol. II/2, p. 746). Praesens Decretum hoc numero 15 et in sequenti (de « Affiliatione ») has adversas sententias ad concordiam revocare quaerit.

Schema Decreti tanta insistentia exigens professores, bibliothecas, aedificia ceteraque subsidia hodiernis necessitatibus perfecte respondentia, reapse cavet ne novae Universitates vel Facultates facile erigantur, imprimis ubi tempora nondum sunt matura aut rerum rationes nondum sufficiunt ad finem consequendum. Altera ex parte subsidiorum omnium mensura quae exigi debet, non ubique terrarum prorsus eadem esse potest. Ideoque Sanctae Sedis erit de necessitate vel opportunitate huiusmodi erectionum iudicare iuxta principia generalia in huius schematis textu enuntiata.

[29] Ut multorum episcoporum desideriis provideatur, schema Decreti disponit ut meliora Instituta scientiae ecclesiasticae Universitatibus et Facultatibus affiliari possint. Huiusmodi Instituta possunt esse Seminaria regionalia vel maiorum dioeceseon atque Religiosorum institutionis clericalis sedes generales, internationales vel interprovinciales.

Quae affiliatio locum habet quoad studia philosophica et theologica eum in finem ut studiorum qualitas extra Facultates quoque elevari, maior candidatorum numerus ad studia specialisationis alterius curriculi congrue praeparari et aliquis gradus academicus (Baccalaureatus) obtineri possit ab iis quorum interest. Qui fines ut revera obtineantur, Universitates et Facultates « affiliantes » quoad studiorum ratio-

nem, magistrorum qualitatem, examina et gradum Baccalaureatus conferendum sedulo exercere debent vigilantiam et ductum, secundum particulares conventiones a Sancta Sede probandas. S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus quoque erit normis sive generalibus sive specialibus in singulis casibus determinare, quibusnam criteriis regatur electio alumnorum qui Baccalaureatum acquirere possunt.

(De Institutis Investigationis scientificae)

[30] Instituta investigationis scientificae quae directe non inserviunt alumnorum institutioni, summi pretii operam praebent v. gr. in edendis critice textibus, ut sunt Textus Sacri, scripta SS. Patrum, documenta traditionis ecclesiasticae, canones et acta Conciliorum, acta Summorum Pontificum. Authenticitas enim et integritas textuum fundamentum constituunt omnis ulterioris elaborationis scientificae.

[31] Investigatio scientifica hac aetate desideratur quoque in campo actionis, in quo non amplius mere empirice procedi potest, sed eventuum causae, personarum indoles, rerum socialium conditiones scientifice indagari debent ita ut conclusiones certae statui et methodi efficaciores actionis elaborari valeant. Huiusmodi Instituta investigationis igitur etiam apostolatus practici operas magis securas et efficaces reddere possunt. Non pauci Praesules hanc utilitatem persentientes, in votis Concilio parando missis huiusmodi Instituta centralia, nationalia vel regionalia, dioecesana quoque exoptant (cf. e. gr. *Acta et Documenta,* vol. II/1, pp. 178, 186; II/2, pp. 220 s., 249, 326 s., 472, 512, 529; II/7, p. 438 etc.).

[32] Nostra aetate in ambitu Status multa investigationis scientificae Instituta eriguntur extra Universitates. Schema Decreti exoptat ut huiusmodi Instituta vel Academiae in ambitu Ecclesiae erecta cum Universitatibus vel Facultatibus sive interne coniungantur sive saltem consocientur. Defectus Institutorum investigationis scientificae hucusque in Ecclesia passim vigens demonstrat, quam difficulter huiusmodi Instituta independentia erigantur et conserventur. E contra sedes Universitatum et Facultatum meliorem praebent opportunitatem congregandi viros stabili modo investigationi deditos.

Insuper ex consociatione virium et rationum plurium Facultatum et Universitatum ecclesiasticarum praeclara Instituta investigationis scientificae condi possent et fructus uberrimi pro scientia et operis apostolicis maturescere valerent.

IV

DE SCHOLIS CATHOLICIS *

1. [*Prooemium*]. Divini Magistri praecepto « Euntes ... docete » (*Mt.* 28, 18) fideliter obsecuta, Ecclesia Christi, Matrem, Magistram et Educatricem omnium populorum semetipsam agnoscens,[2] nihil antiquius sibique carius umquam habuit quam per rectam integramque educationem ac institutionem filios suos « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13) adducere. Quod munus Ecclesia inde ab ipsis vitae suae exordiis praeprimis divini verbi praedicatione atque assidua doctrinae christianae institutione seu catechesi semper adimplere studuit. Quibus decursu temporum, maternae sollicitudinis amore ac intuitu ducta, alia in christiano populo efformando adiunxit subsidia, inter quae potissimas partes agebant et agunt catholicae scholae.[3]

Cum autem hisce nostris temporibus, perfectioris institutionis studio apud omnes totius orbis populos ac coetus quam maxime aucto, Ecclesiae Magistrae amplior in dies pateat agendi campus, ob perniciosas autem doctrinas late grassantes exercitio iurium naturae ipsiusque Ecclesiae haud pauca opponantur impedimenta, cumque inter ipsos quoque Ecclesiae filios catholica in re doctrina latius aliquando ignoretur;[4] haec Sancta Oecumenica Synodus, Romanorum Pontificum ac potissimum Pii Papae XI exempla tenens, statuit firma doctrinae christianae de scholis principia denuo declarare, iterum inculcare atque ut in praxim efficacius deducantur providere.[5]

I – Praecipua educationis principia [6]

2. [*Subiectum passivum educationis*].[7] Peropportunum autem Patribus visum est in mentem revocare praecipua doctrinae capita circa educationem, quae scholarum catholicarum primarium finem constituit.

In primis, tamquam omnium fundamentum, firmiter tenendum est hominem in praesenti ordine salutis non solum finem temporalem, in humano consortio consequendum, habere, sed ad supernaturalem finem, personalem ac aeternum, infinita Dei bonitate, esse vocatum. Quapropter quaevis recta educandi ratio hoc sibi imprimis proponere debet, ut hominem ad illam

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima et secunda congregatione sessionis septimae, diebus 12-13 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 110-157.

perfectionem perducat, quae ad rectam vitam gerendam et ad finem ultimum supernaturalem adipiscendum omnino requiritur.[8]

Educatio igitur totum hominem complecti debet: corpus et animam, cum omnibus suis facultatibus et virtutibus, prout ipse in praesenti humani generis condicione invenitur. Omnes pariter homines cuiusvis aetatis, stirpis, culturae ac condicionis, praesertim vero qui in puerili ac iuvenili aetate versantur, ius primarium ac nativum habent ad illam educationem recipiendam, sine qua finem sibi proprium attingere nequeunt.[9]

3. [*Subiectum activum educationis*].[10] Munus vero educationis impertiendae prae ceteris omnibus ex iure naturali familiae competere, quae verum germanumque educationis sacrarium constituit, Sancta Synodus apertis gravibusque verbis confirmat. Parentes enim, vi muneris ipsis proprii,[11] prolem educandi et gravissima obligatione tenentur et inviolabili iure gaudent;[12] quae eas solas patiuntur limitationes, quas ipsa lex naturalis vel divina positiva postulant.

Singulari autem ratione et independenter a quavis humana potestate hoc officium et ius ad Ecclesiam spectat, et quidem, quod ad religiosam et moralem educationem attinet, ex positiva institutione divina, cum ipsi infallibile et universale Magisterium atque spiritualis maternitatis munus concredita sint a Deo; consequenter vero et ex ipsa lege naturae ius quoque habet quoad ceteros humanae vitae adspectus, etiam ad ordinem naturalem pertinentes, quatenus, uti societas perfecta atque completa, Ecclesia omnibus iis iuribus pollet, quibus talis societas ad proprium finem attingendum est insignita.[13]

Haec autem familiae et Ecclesiae munera declarans, Sancta Synodus agnoscit officia quoque et iura quae, ex ipsa natura et amplitudine proprii finis temporalis Civitati competunt: proprium ac nativum circa ea quae hunc finem consequendum specifice respiciunt; suppletivum vero ac devolutivum vel etiam aliquando cumulativum, quoad cetera, cum Civitas non solum bono communi providere, sed insuper aliorum iura et officia defendere, adiuvare et, si opus fuerit, supplere debeat.

Cum autem haec tripartiti ordinis munera suapte natura arcte inter se cohaereant, Familia, Ecclesia et Civitas, communi consilio summaque concordia, in educatione impertienda cooperentur oportet, particularibus quoque, si casus ferat, initis conventionibus.[14]

4. [*Falsae sententiae*].[15] Proinde omnes doctrinae circa educationem, quae hominem a Deo creatum agnoscere nolunt; quae originalem lapsum vel universam humanae redemptionis oeconomiam negant vel ab ea quoquo modo praescindunt; vel quae revelationi divinae doctrinaeque christianae vim educandi eatenus tantum tribuunt, quatenus eas humanae culturae utiles esse existimant, verum educationis conceptum nequaquam attingunt.[16] Valde itemque deerrant omnes qui in educatione impertienda aut solas physicas

educandi vires respiciunt; aut singulis animae facultatibus exclusivas vel nimias partes assignant; aut qui propriae vel selectae stirpi, iuvenili aetati, vel iis qui ingenio aut divitiis praecellunt, educationem reservant; aut tandem qui valorum debitam inter se subordinationem seu, quam aiunt, hierarchiam quoquo modo subvertunt.[17] Vehementer denique errant ii omnes qui, Familiae et Ecclesiae iura negantes, impedientes, vel quovis modo conculcantes, munus educandi potiore vel exclusivo iure Civitati vindicare audent.[18]

II – Scholae catholicae momentum et dotes

5. Ut Ecclesia munus educandi populos, divinitus sibi concreditum, rite expleret, pro diversorum temporum condicionibus, scholas aperire, Studia Generalia condere, Religiones, Societates et Instituta, educationis ministerio dedita, approbare atque erigere numquam destitit, ita ut, teste historia, ipsa semper liberalissimam scholae matrem atque patronam sese exhibuerit.[19]

Etsi vero Ecclesiae in hodierni apostolatus munere explendo tot mira huius aetatis inventa utilissimum praebeant adiutorium, nihilominus instrumentum catholicae educationis impertiendae apprime necessarium et summopere efficax hodie quoque schola catholica demonstratur.[20] Ministerium vero in ea exercitum validam Ecclesiae docendi muneri operam conferre verumque apostolatum modernis necessitatibus maxime congruentem constituere apertis verbis Patres profitentur; ideoque sacerdotes, religiosos et laicos, qui in scholis catholicis operam navant, vehementer exhortantur ut in vocatione qua vocati sunt fideliter perseverent.[21]

6. [*Condiciones ad scholam catholicam requisitae*].[22] Ut autem aliqua schola perfecte catholica dici possit minime sufficit ut in ea aliqualis instructio religiosa tradatur. Ea dumtaxat schola perfecte catholica est censenda in qua tota instructio ac doctrina, eiusque ordinatio tota, nempe magistri, studiorum ratio, libri ad quamvis disciplinam quod pertinet, ceteraque omnia quae alumnum circumsaepiunt, christiano spiritu, sub ductu maternaque Ecclesiae vigilantia, adeo sint imbuta ut religio ipsa totius instituendi rationis cum fundamentum tum fastigium et finem constituat.[23]

Illae vero scholae catholicae quae *a publica ecclesiastica auctoritate* approbantur vel eriguntur eique plene subsunt,[24] sive ab auctoritate pontificia vel dioecesana directe et immediate, sive mediante auctoritate religiosis familiis aequiparatisque in iure societatibus praeposita hoc fiat,[25] scholae publicae sunt,[26] et stricto sensu scholae Ecclesiae vocantur.[27]

7. [*Scholarum catholicarum perfectio curanda*]. Summopere igitur curandum erit ut scholae catholicae illas condiciones adimpleant, quae ad educandi munus rite obeundum omnino requiruntur. Ipsae proinde magistrorum peritia ac numero, alumnorum ordine ac disciplina, instituendi ac do-

cendi methodis, paedagogicisque ac didacticis subsidiis ita emineant, ut apud publicam ac privatorum opinionem optima ubique fama gaudeant; praesertim vero sensu ac spiritu christiano praecellant.[28]

Quapropter in scholis catholicis instructio religiosa in maxima aestimatione est habenda. Ipsa nempe primum locum teneat, professoresque verae peritos exemplarique vita christiana commendatos habeat, qui sciant principia religiosa alte mentibus imprimere gravioresque quaestiones et problemata moderna, pro alumnorum captu diversaque aetate, sensu et spiritu christiano ac ecclesiali, solide tractare.[29]

Praeterea in omnibus scholis, praesertim vero in mediis et superioribus, pius ac prudens Director spiritualis constituatur, quem, in morali alumnorum formatione, ceteri adiuvare satagant; qui omnes verbo et exemplo alumnos ad solidiora vitae christianae principia et virtutum opera, persuasione ductos, attrahere studeant, immoderatum independentiae desiderium, recto libertatis usu et amore disciplinae corrigant, amorem et fidelitatem erga Ecclesiam eiusque doctrinas excitent, moralemque eorum ac socialem conscientiam efforment.[30]

Quo fiet ut scholae catholicae, verae educationis palaestrae, non solum erudiant, sed etiam authenticam iuvenum personalitatem christianam effingant atque evolvant; imo, quod eas maxime decet, vocationes sive sacerdotales sive religiosas efficaciter foveant, atque alumnos ita praeparent, ut in rebus tam domesticis quam publicis gerendis, apostolica operositate, praeclarum christianae suae condicionis testimonium omnibus exhibeant.

III – Familiae et Ecclesiae iura circa scholas

8. [*Libertas scholae*].[31] Cum, salvo divino Ecclesiae Magisterio quoad doctrinam fidem vel mores respicientem, veritas commune patrimonium constituat nullique subsit monopolio, et educatio iuxta rectam conscientiam tradatur oporteat, docet haec Sancta Oecumenica Synodus libertatem scholae, quae omnium scholarum aequalia iura et officia secum fert, non secus ac ceteras civiles libertates, ad inalienabilia hominis iura pertinere; publicaeque auctoritatis officium esse res ita disponere ut, ad ipsius boni communis emolumentum, parentes et cives, in eligenda schola, hac vera gaudeant libertate.[32] Quare quodvis scholae monopolium, ex errata opinione circa iurium originem et naturam plerumque procedens, uti omnino iniustum reiciendum est, quippe quod verae libertati obstet sive quia eam radicitus negat, sive quia, libertatis iure speculative agnito, illud practice inane reddit, aequalia iura, oeconomica subsidia, aliaque beneficia scholae non statali concedere recusando.[33]

Quae libertatis doctrina, ab Ecclesia propugnata, nihil habet commune cum illa perniciosa circa libertatem sententia, quae veritati et errori, virtuti ac vitio eadem iura tribuenda defendit, ita ut unicuique, quae sibi magis placuerint, docendi faciendique facultas sit.

9. [*Ius scholas condendi*].[34] Declarat praeterea Sancta Synodus ius ac officium condendi ac regendi scholas, quatenus ipsae medium educationis impertiendae constituunt, imprimis ad familiam, una cum iure subsidiario scholas libere eligendi, pertinere; dein vero ad Ecclesiam et Civitatem spectare.[35]

Cum autem schola sit etiam medium communicandae veritatis, hoc idem ius aperiendi scholas, salvo semper Magisterio Ecclesiae, et intra limites boni communis, omnibus competit ea ratione et mensura qua veritatis patrimonium possident.[36]

Ecclesia vero hoc ius sibi vindicat imprimis ex institutione divina, quatenus ipsa mandatum accepit docendi omnes gentes, quod directe ad sacras disciplinas, fidem et mores respicientes, pertinet, indirecte vero etiam ad humanas extenditur. Ex lege autem naturali, cum nempe fideles, sive qua singuli, sive qua societate coniuncti, ob christianam suam condicionem, nullum ius amittant, hoc idem ius competit tum singulis christifidelibus eorumque adsociationibus et societatibus, tum praesertim ipsi Ecclesiae, et quidem quoad omnes scholas cuiusvis generis et gradus; idque vel ideo quia universa cultura catholica cognitionem altiorem de Deo, de homine atque de mundo, necnon de hominis ad utrumque necessitudine constituit, quam Universitates catholicae magis in dies elaborant, ceterae vero scholae catholicae alumnis progressive tradunt.[37]

10. [*Ius invigilandi*].[38] Praeterea vi Magisterii divini Ecclesiae soli competit ius directum et immediatum invigilandi in ea quae ad fidem et mores pertinent. Invigilabunt proinde pastores ne quid fidei vel moribus contrarium in scholis alumni doceantur.

Curabunt quoque iidem animarum pastores ut, ubi pueri catholici, ob penuriam scholarum catholicarum, scholas neutras vel mixtae religionis, eas praesertim in quibus magistri diversarum confessionum religiosarum docent,[39] frequentare coguntur, opportuna ad pericula arcenda adhibeantur remedia atque eorum instructioni religiosae diligenter provideatur.

11. [*Pueri scholas non catholicas frequentantes*]. Item sollicite providendum erit educationi religiosae puerorum catholicorum qui scholas statales aliasve frequentant, sive per instructionem religiosam ibi tradendam vel a parentibus domi procurandam, de qua gravissima obligatione pastores eos frequenter moneant; sive potissimum per assiduam et bene ordinatam institutionem catecheticam, tam pro pueris quam pro adultis, sub ductu Ecclesiae, statutis temporibus et locis, habendam.

12. [*Coeducatio*]. Monet tandem haec ipsa Sancta Synodus ut prudens in educatione habeatur ratio diversitatis utriusque sexus et finis unicuique in familia et societate a divina providentia praestituti, ideoque in scholis catholicis, in eis praesertim quae mediae dicuntur, coeducatio ne permittatur,

nisi peculiaribus causis ab Ordinario probandis et cunctis ad probitatem morum servandam cautionibus adhibitis, iuxta normas ac instructiones ab Apostolica Sede pluries traditas.[40]

IV – Magistrorum formatio, officia et iura

13. [*Magistrorum formatio*].[41] Habent deinde Patres sibi maxime persuasum inter praecipua Auctoritatum ecclesiasticarum, quae rei scholasticae praesunt, munera, adnumerandum esse officium diligenter providendi accuratae magistrorum formationi religiosae, scientificae ac paedagogicae,[42] etiam titulis academicis comprobandae,[43] quam ipsi magistri toto nisu acquirere et in dies perficere tenentur, ut schola catholica finem sibi proprium apte consequi valeat.

Peculiari vero cura professores religionis, sive sacerdotes sive religiosi vel religiosae, sive laici, tam pro scholis quam pro catechetica institutione tradenda, praeparentur; qui non secus ac ceterarum disciplinarum professores, titulis academicis praediti sint oportet. Ad quam formationem in sacris disciplinis rite obtinendam, Instituta superiora et Facultates erigantur, quae iure concedendi titulos academicos seu didacticos, ab ipsa quoque auctoritate civili agnitos, polleant.

Insuper haec Sancta Synodus speciali sollicitudine prosequitur magistros catholicos qui in statalibus aliisve scholis docendi muneri incumbunt, eosque enixe admonet, ut in tanto munere laudabiliter exequendo rectae educationi impertiendae indefessam operam navent, erga Magisterium ecclesiasticum semper dociles sese ostendant ac christiana circa educationem et scholam principia tueri ac promovere omni conatu studeant. Quod ut efficacius obtineatur, curent animarum pastores, ut ii magistri peculiari assistentia spirituali fruantur, et, si casus ferat, in Adsociationes, capacitate iuridica etiam civili praeditas, apte coalescant.[44]

14. [*Magistri iura et officia*].[45] Ut autem sacrum institutionis opus diligenti cura exerceatur, omnino providendum erit ut magistri proprii status iuribus gaudeant, imprimis vero quoad aequam eorum retributionem et rectam veritatis profitendi libertatem. Meminerint tamen ipsi magistri se non proprio nomine agere, sed vices Ecclesiae, parentum et societatis gerere; quapropter in officio suo exequendo non solum nihil docere vel facere praesumant, quod legitimo delegantium iuri, officio ac voluntati adversetur, verum etiam, maximo erga discipulos amore ac reverentia, assumptum sibi opus perfectius in dies exercere totis viribus conentur.

V – Scholae catholicae fovendae

15. [*Scholae catholicae fovendae*]. Sancta Oecumenica Synodus summopere exoptat et, in quantum rerum ac locorum adiuncta hoc fieri permit-

tunt, praecipit, ut scholae catholicae ubique impense foveantur, sive circa iam existentes meliorem in dies curam adhibendo iuxta huius decreti tenorem, sive novas quam plurimas condendo pro temporum ac locorum necessitatibus.[46]

Quae specialis commendatio valet non solum de scholis elementariis et mediis, verum etiam de condendis et promovendis Universitatibus, quibus Patres particulari decreto provident, necnon, consideratis hodiernae societatis condicionibus, de scholis quae professionales vel technicae vocantur, atque de institutionibus pro erudiendis adultis. Illae enim optima praebent auxilia ad opificum condicionem sublevandam et ad fidem vitamque christianam contra materialismi athei insidias incolumes custodiendas; in his autem probi viri et optimi patres et matresfamilias formantur, qui recta fidei christianae ac proprii officii conscientia ducti, tum domesticam vitam tum socialem actionem in temporale bonum ac aeternum efficaciter dirigere valeant.[47] Nec parvipendenda est utilitas inceptorum quibus praecipue adulti per epistolarum commercium methodice ordinatum in variis disciplinis ulterius instruuntur.

16. [*Conscientia fidelium et publica opinio efformanda*].[48] Omnia item perficienda erunt ut tam clericorum quam laicorum, eorum praesertim qui diligentiorem apostolatui operam navant, conscientia de momento educationis atque scholae catholicae informetur; sacerdotes utriusque cleri omnesque religiosi, etiam ad ministerium scholarum non destinati, doctrinam catholicam circa educationem et scholam probe noscant, et parentes de hac re deque eorum gravissimo officio necnon de obligatione filios ad scholas catholicas mittendi frequenter moneantur atque edoceantur.

Ad scholae libertatem et iura vindicanda [49] cuncta praeterea adhibeantur media: prelum aliaque moderna subsidia ad ideas opinionesque divulgandas tantopere efficacia, congressus, pacta cum auctoritatibus civilibus; omnesque coordinentur vires: christifidelium laicorum videlicet apostolica cooperatio, Actio Catholica, Associationes nationales et internationales docentium, parentum, collegiorum, alumnorum et exalumnorum, Associationes quoque civiles, imprimis magistrorum et docentium, necnon actio deputatorum legumlatorum, dein ipsa quoque iura civilia, in comitiis administrativis et politicis exercenda, denique cooperatio cum organisationibus nationalibus et internationalibus.

VI – Scholae catholicae sustentandae

17. [*Sustentatio scholarum catholicarum*]. Praeterea munus incumbit Patribus enixe ac paterne admonendi omnes ut prompto animo officium impleant suppeditandi media, quibus scholae catholicae sustententur, ut ipsae revera liberae sint et omnibus, cuiusvis condicionis, imprimis vero pauperibus, pateant.[51]

Sumptus autem ad rem necessarios suppeditare, salva semper legitima

scholae libertate, publici aerarii imprimis officium est, habita ratione numeri scholarum, alumnorum ac professorum, naturae quoque ac gradus scholarum ceterorumque quae ad scholas referuntur; ipsa enim iustitia distributiva postulat ut publica pecunia, pro scholarum sustentatione collecta, ad cunctorum scholas sustentandas, aequa quadam ac rata portione, erogetur.[52]

Quod si res publica hoc officium erga scholas non statales nullatenus vel insufficienter tantum adimpleat,[53] recursus ad quaevis alia legitima media fiat, uti sunt: voluntariae vel fixae fidelium oblationes, Institutorum ecclesiasticorum et civilium certae erogationes, piae fundationes, adsociationes ad scholas catholicas sustentandas erectae, rata pars redituum vel pecuniae ecclesiae, cooperatio gratuita personarum physicarum vel moralium aliaque id genus.[54]

Insuper haec Sancta Synodus, sicut enixe commendat ut ea quae progredientis aetatis inventa utiliter postulant, in scholis catholicis erigendis et gerendis sedulo assumantur, ita omnes quorum interest monet ut oeconomica subsidia pro scholarum sustentatione undequaque accepta, rite administrent et sobrie impendant, ut debita de bono scholarum catholicarum nomine cura habeatur.

VII – Organisatio centralis et cooperatio

18. [*Organisatio centralis*]. Ad facilius et efficacius supradicta omnia obtinenda, Apostolica Auctoritate instituatur organisatio quaedam centralis seu hierarchica omnium scholarum catholicarum in gradu internationali, nationali et regionali seu dioecesano, quae salva semper sana quadam eorum quorum interest autonomia, iuxta regionum postulata et Institutorum religiosorum methodos ac spiritum, problematum omnibus scholis communium diligentem curam atque directionem gerant.[55]

19. [*Universalis cooperatio*]. Tandem haec Sancta Oecumenica Synodus vehementer omnes hortatur ut mutuam sibi validamque cooperationem praestent.[56]

Curent proinde Ordinarii locorum ac Superiores religiosi apostolicam subditorum operam in bonum animarum arcte inter se coordinare; clerus dioecesanus, familiae religiosae, parentes in educationis opere mutuum sibi adiutorium efficaciter praebeant; omnesque insuper una cum fidelibus, qui operibus apostolatus sese devovent, unanimiter procedant. Impense quoque foveatur cooperatio auctoritatibus civilibus praestanda, atque cum illis organisationibus nationalibus et internationalibus, quae iura hominis, praecipue vero pueri, defendere sincero animo conantur, amica habeatur necessitudo, ut ita non solum iniustae dispositiones vel usurpationes efficacius praecaveantur, sed ipsa quoque christianae instructionis ac educationis causa maius in dies emolumentum capiat.

Textus schematis definitive approbatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 1-10 martii 1962 unanimi suffragio.

ABBREVIATIONES FREQUENTIORES

ACV2 Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando.
All. Allocutio Pontificia.
CL Collectio Lacensis.
DIM Encyclica *Divini Illius Magistri* PII XI.
NR Nuntius radiophonicus.
RCM Raccolta di Concordati a cura di A. MERCATI, Roma, 1954, vol. II.

NOTAE

[1] *Argumentum* de quo agitur semper fuit, ast hodie praesertim *est summi momenti*: « Mai come oggi l'educazione giovanile ha assunto più decisa e vitale importanza, messa come è di fronte agli errori sconcertanti di un naturalismo e di un materialismo che stanno precipitando il mondo » (PIUS XII, RM ad catholicos Statuum Foederatorum Americae, 13-11-1939). Cf. etiam LEO XIII, Litt. *Custodi di quella fede,* 8-12-1892; BENEDICTUS XV, Ep. Ap. *Communes litteras,* 10-4-1919, *A.A.S.,* 1919, p. 172; PIUS XI, Enc. *DIM* (*Divini Illius Magistri*), 31-12-1929, *A.A.S.,* XXII, 1930, p. 50; PIUS XII, All. ad Iuvenes ACI, 20-4-1946; All. ad Patresfamilias Galliae, 18-9-1951. — *Acta et Documenta Conc. Oecum. Vat. II apparando,* series I, Antepraeparatoria (*ACV2*), vol. III, pp. 363-364, 370-71, 373-74. — *Rationes*: *a*) errores olim grassantes latius impraesentiarum diffusi sunt novique apparuerunt; *b*) inertia catholicorum: « È doloroso rilevare che in questo campo in Italia (idem valet de pluribus aliis nationibus) esistono ancora fra i cattolici lacune e incertezze » (PIUS XII, Litt. Secr. Status ad XXVIII Hebd. Soc. Ital., sept. 1955); *c*) « Una lunga assuefazione al predominio della scuola di Stato ha offuscato in molti la nozione stessa del diritto alla libertà della scuola » (ib.); *d*) doctrina catholica circa educationem et scholam, saepe apud ipsos quoque praeceptores et educatores, neglecta vel oblita manet, immo et plurimis praeiudiciis obnubilata; *e*) necessitas absoluta cuiusdam renovationis scholae catholicae in spiritu vere christiano; nam saepe parum differt ab aliis scholis (cf. *ACV2,* s. I, vol. III, p. 365, 371), et, quamvis accusationes contra eam prolatae plerumque calumniosae sint, pluribus etiam defectibus procul dubio laborant; *f*) nullum hucusque Concilium Oecumenicum hoc argumentum ex integro tractavit; *g*) ex recta solutione huius problematis bonum religionis ac societatis maxime pendet (cf. Conc. Trid., s. XVIII, c. 18; Conc. Moguntinum, a. 1549, cc. 65, 96, MANSI, 32, 1422, 1435; Conc. Coloniense, c. 1, MANSI, 32, 1284; PIUS XI, *DIM,* l. c., p. 51; PIUS XII, passim).

Praeterea notandum est hoc decretum respicere omnes scholas catholicas: inferiores, medias et superiores, cuiusvis generis, et quamvis de Universitatibus peculiare exstet decretum, principia generalia in hoc praesenti decreto contenta, pro ipsis quoque valent. Immo, per se, haec generaliora principia *ad omnia moderna inventa* (Cinematographum, Radiophonium, Televisorem, etc.) quatenus media educationis vel veritatis divulgandae constituunt, sunt extendenda: nam iniustum est omnino ut circa huiusmodi ingenii humani inventa ac subsidia quodvis monopolium exerceatur.

Ad par. 1

[2] In hac paragrapho imprimis statuitur *principium continuitatis* operis Christi in Ecclesia, et quidem ex divino mandato, ex quo *omnia iura supernaturalia positiva* profluunt. Cf. *Io.* 20, 21; *Mc.* 16, 15-20, et alibi. PIUS XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 49-50; Conc. Baltimorense II, 1866, *Collectio Lacensis* (*CL*), III, col. 514, *b-c;* Conc. Prov. Australiense, 1869, *CL* III, col. 1074, *b*; Conc. Prov. Coloniense, 1860, *CL* V, col. 364, *b*; Conv. Episcoporum Herbipolensis, 1848, *CL* V, col. 960. *Mater,* quia vitam supernaturalem in lavacro regenerationis confert; *Magistra,* magisterio tum divino, tum humano etiam ex lege naturae; *Educatrix,* quia vitam, quam contulit, evolvit ac perficit, nam educatio est quaedam quasi continuatio tum generationis tum regenerationis. PIUS XI, *DIM,* l. c., pp. 53, 54, 75, 76. Propugnatio iurium naturalium Ecclesiae *hodie* est summi momenti, uti postea dicetur. Cf. A. OTTAVIANI, *Compendium Iuris Publici Ecclesiae* (1954), pp. 100-101, 381-82, 413-14.

[3] « ... potissimas partes agebant et agunt scholae catholicae... ». Praedicatio Verbi divini, catecheses methodice instructae, inde a tempore apostolorum, scholae aetatis patristicae, scholae medioevales (paroeciales, episcopales, monachales), Studia Generalia, Universitates, Instituta religiosa quae scholae et educationi devoventur, scripta Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, praesertim vero quam plurima documenta Romanorum Pontificum atque historia Conciliorum; hoc abunde demonstrant. Cf. inter alia, PIUS XI, Enc. *Deus scientiarum Dominus, A.A.S.,* 1931, pp. 241-245; Litt. *Singulare illud, A.A.S.,* XVIII, 1926, p. 258; *CL,* col. 394-397; I-VII, Ind. Alph. s. v. « schola » et « educatio ».

[4] *Tres praecipuae rationes* afferuntur ob quas declaratio doctrinae catholicae circa educationem et scholas iterum redditur necessaria: *a*) maius culturae educationisque desiderium ubique vigens, ideoque maior campus pro apostolatu exercendo; *b*) perniciosae doctrinae grassantes quae liberum iurium exercitium impediunt; *c*) ignorantia doctrinae, iurium et obligationum apud ipsos quoque christifideles existens. Cf. praeterea adnotationem [1] ad titulum Decreti.

Errores quorum implicita fit mentio sunt: Communismus atheus, socialismus, naturalismus, materialismus, laicismus, liberalismus, statalismus, qui omnes monopolium Status propugnant. Cf. Conc. Vat. I, *CL,* VII, col. 575, *a-b*; *Syllabus,* prop. 45-48; LEO XIII, Enc. *Dall'Alto,* 15-10-1890; PIUS XI, Enc. *Non abbiamo bisogno, A.A.S.,* XXIII, 1931, pp. 302, 305.

[5] *En praecipua documenta*: PIUS IX, Litt. *Quum non sine,* 14-7-1864, ad Episcopum Frib. Brisg.; Instr. S. O., 24-11-1874, ad Episcopos Stat. Foed. Am.; LEO XIII, Litt. *In mezzo,* 26-6-1878, ad Card. Vicarium; Enc. *Officio Sanctissimo,* 22-12-1887; Enc. *Affari vos,* 8-12-1897; PIUS XI, Litt. *Singulare illud,* 13-6-1926; All. ad Alumnos Collegii de Mondragone, 14-5-1929; *praesertim vero* Enc. *Divini Illius Magistri,* 31-12-1929; Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus,* 24-5-1931; Enc. *Non abbiamo bisogno,* 29-6-1931; Enc. *Mit brennender Sorge,* 14-3-1937; PIUS XII, plurimae allocutiones et Nuntia Radiophonica.

(I - Praecipua educationis principia)

[6] In paragraphis 2-4, sub adspectu tam positivo quam negativo, praecipua capita doctrinae catholicae circa naturam educationis necnon circa officium ac ius

eam tradendi proponuntur. Haec principiorum declaratio hodie maxime est necessaria contra errores qui in paragrapho 4 recensentur.

Nexus logicus totius tituli his est: *a*) imprimis fundamentum ponitur, nempe finis *personalis* supernaturalis assequendus (par. 2); *b*) ex quo principio recto tramite oritur ius hominis ad educationem, iam inde a teneris annis recipiendam, uti medium necessarium finis assequendi (par. 2); *c*) hinc consequitur officium gravissimum Familiae, Ecclesiae et Status, ac proinde ius unicuique proprium, educationem impertiendi (par. 3); *d*) tandem reprobantur errores (par. 4).

Ad par. 2

[7] Cf. Conc. Vat. I, *CL* VII, col. 627-628; Pius XI, Litt. *Quum non sine,* 14-7-1864; Leo XIII, Enc. *Officio Sanctissimo,* 22-12-1887; Pius XI, Litt. *Singulare illud,* 13-6-1926, l. c., p. 258; Enc. *DIM,* l. c., pp. 50, 52, 58, 83; Pius XII, All. ad AIMC, 11-9-1948; All. ad Delegatas GIAC, 30-12-1953; *C.I.C.,* can. 1113, cf. 1013, 1372; Conc. Prov. S. Ludovici II, a. 1858, *CL* III, col. 1192, *d.*

[8] *Educatio imprimis respicit finem.* Pius XI: « Nulla veri nominis educatio esse potest quae ad *ultimum* finem non ordinetur tota » (Enc. *DIM,* l. c., p. 50), unde educatio pertinet ex ipsa natura sua *ad ordinem moralem.* Ideo totum pondus doctrinale huius paragraphi reponendum est in assertione: « hominem ad supernaturalem finem *personalem...* esse vocatum » (praecipue contra aberrationes marxismi). Ex quo sequitur hominem natura sua omnes societates humanas etiam Statum transcendere, quod non solum ex divina revelatione, sed ex ipso rationis lumine constat. Homo in societate continetur *totus sed non totaliter,* et si qua civis subest ordini *iuridico,* qua homo subest ordini *morali,* et quidem supernaturali.

[9] *Ex asserto finalitatis principio* duo clare eruuntur: *a*) totum hominem, quoad omnes suas facultates et virtutes, sive naturales sive supernaturales, esse educandum; *b*) omnes homines, absque ulla distinctione, habere ius ad hanc educationem recipiendam. Cf., ex documentis allatis, imprimis Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 56-58, 83; Pius XII, all. ad AIMC, 11-9-1948; All. ad Delegatas GIAC, 30-12-1953.

Ad par. 3

[10] Cf. Conc. Vat. I, *CL* VII, 627-628; Pius IX, Litt. *Quum non sine,* 14-7-1864; Leo XIII, Enc. *Officio Sanctissimo,* 22-12-1887; Pius XI, Litt. *Singulare illud,* 13-6-1926; Alloc. ad Alumnos Collegii de Mondragone, 14-5-1929; Enc. *DIM,* l. c., pp. 53, 54, 58-64; Enc. *Mit brennender Sorge, A.A.S.,* XXIX, 1937, pp. 182-183; Pius XII, Alloc. *ad AIMC,* 8-9-1946; Alloc. ad AIMC, 4-9-1949; Litt. Secr. Status ad XXVIII Hebd. Soc. Ital., sept. 1955; Conc. Prov. Coloniense, a. 1860, *CL* V, 364, *b*; Conc. Baltimorense II, a. 1866, *CL* 514, *b-c*; Conv. Episcoporum Herbipolensis, a. 1848, *CL* V, 970, *c-d.*

Uti fundamentum totius huius paragraphi sequentia sunt in mentem revocanda: *a*) *educatio media stat* inter subiectum educandum et finem assequendum, ad utrumque habens relationem; *b*) *principium finalitatis educationis,* quatenus educatio ad finem ordinetur oporteat (Pius XI, *DIM,* l. c., p. 51); *c*) *principium condicionis socialis* ipsius educationis, quae in societate et a societate recipitur

(PIUS XI, Enc. *DIM*, l. c., p. 52 et Enc. *Casti connubii, A.A.S.*, XXII, 1930, p. 545); *d*) *principium finalitatis uniuscuiusque societatis*, ex quo pendent officia et iura unicuique propria, et tandem *e*) veritas, qua subiectum educandum in ordine naturali ad Familiam, in ordine vero supernaturali ad Ecclesiam pertinet; ex qua veritate pendent officia et iura quae speciali modo educationem respiciunt.

Ex quibus principiis facile deducuntur *existentia, natura, prioritas et amplitudo* officiorum et iurium quae unicuique competunt. Cf. PIUS XI, Enc. *DIM*, l. c., pp. 59-60; Enc. *Mit brennender Sorge*, l. c., pp. 182-183; PIUS XII, in All. ad AIMC, 8 sept. 1946, vocat ius parentum « primario, di ordine naturale... inviolabile e anteriore a quello della società civile e dello Stato ».

Parentes enim per generationem vitam dederunt; et finis domestici consortii, ipsa sua natura, praeter procreationem est ipsa educatio filiorum. *Ecclesia* in regeneratione baptismali, vitam tribuit supernaturalem, et habet praeterea potestatem directam in finem ultimum supernaturalem, cui ceteri omnes fines subordinari debent. *Status*, et a fortiori ceterae humanae societates *nullam* potestatem exercent in finem ultimum supernaturalem, *sed solum* in finem terrenum sibi proprium, cuius assecutio neque processum educationis neque finis ultimi assecutionem impedire debet.

[11] « ... vi muneris ipsis (parentibus) proprii... », nempe vi naturalis fecunditatis et inde ortae potestatis et « auctoritatis », quam habent in subiectum educationis, atque vi ipsius finis domesticae consortionis, quae, si sub aspectu christiano consideratur, ampliora adhuc officia et iura implicat.

[12] Prior est obligatio, dein correlativum ius educationem tradendi.

[13] Iura Ecclesiae profluunt *tum* ex iure divino positivo, vi nempe maternitatis spiritualis et infallibilis magisterii, *tum* etiam ex iure ipso naturali, quatenus eo ipso quod constituta est societas perfecta atque completa, finem ultimum assequendum respiciens, habet ius in educationem ipsam et ad media, ad educationem impertiendam necessaria vel simpliciter utilia, etiam quoad adspectus ordinem naturalem respicientes; gratia enim et ordo supernaturalis neque naturam neque ordinationem naturalem destruunt, sed potius eas perficiunt atque complent, et adeo inter se cohaerent ut adaequata utriusque ordinis separatio omnino impossibilis sit. Cf. documenta allata in adnotatione [10]. Ex quibus praeterea patet ius Ecclesiae proprium, in materia educationis, esse *immediatum atque directum*.

[14] En praecipua munera et officia quae Statui competunt: *ex iure proprio et nativo*, formationem technicam impertiendi, ad reipublicae administrationem gerendam; *ex iure suppletivo et devolutivo*, tuendi iura prolis et familiae, necnon ipsam educationem, obsequendi iuribus Ecclesiae, consulendi causae educationis, adhibitis etiam subsidiis materialibus; promovendi educationem et instructionem, non solum negative, removendo scilicet obstacula, sed etiam positive; opitulandi operibus inceptisque familiae et Ecclesiae; perficiendi ipsam operam educationis, in defectu familiae et Ecclesiae; determinandi gradum culturae seu instructionis. Cf. PIUS XI, Enc. *DIM*, l. c., pp. 63-64; DE CLERCQUE CH., *Traité de Droit Canonique*, t. II, l. III, p. 186. — *Quoad mutuam et harmonicam cooperationem Familiae, Ecclesiae et Status*, cf. PIUS XII, Litt. Secr. Status ad XXVIII Hebd. Soc. Ital., sept. 1955, et plures declarationes Episcoporum, ex. gr. Episcoporum Siciliae, die 7-4-1961, *L'Osservatore Rom.*, 8-4-1961, p. 8, col. 6-7.

Iura Familiae, Ecclesiae et Civitatis ita inter se harmonice coordinanda videntur ex ipsa natura rei, ut *quo magis* in scholis *educatio*, et quidem moralis, inten-

ditur (scholae elementariae et secundae institutionis) *eo potiora* sint iura Familiae et Ecclesiae atque minora iura Status; *quo magis* vero *instructio* finem scholae constituit (Universitates, scholae professionales, technicae, specialisationis) *eo ampliora* iura Statui sunt agnoscenda. Quod ex ipsis documentis ecclesiasticis etiam eruitur. *Attamen,* cum *hodie* ob ipsam scientiae methodum ac spiritum, ob laicam vitae ducendae rationem, ob scientiae ac societatis a religione et ecclesiastico magisterio indebitam emancipationem, et ob gravissimos errores ubique grassantes, *scholae omnes,* maximum influxum exerceant in educationem et frequenter Universitates destruant educationem quam iuvenes in scholis inferioribus receperunt, cumque ex alia parte Familia et Ecclesia omnibus necessitatibus occurrere non valeant, *gravissime* monendae sunt Auctoritates civiles ut, in *iure suppletivo* exercendo, rectae educationi quam maxime provideant, et catholicorum omnium officium est omnibus mediis uti ut a scholarum exercitio et ministerio quidquid rectae educationi offendit, amoveatur.

Ad par. 4

[15] In hac paragrapho, plures sententiae, educationem respicientes, tamquam erroneae reiciuntur, et ita in forma mitiore respectivi errores damnantur. Cf. Pius IX, Litt. *Quum non sine,* 8-12-1864; *Syllabus,* prop. 1-18; Enc. *Quanta cura,* 8-12-1864; Leo XIII, Enc. *Humanum genus,* 20-4-1884; Enc. *Dall'alto,* 15-10-1890; Litt. *È giunto,* 18-7-1889; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., p. 50; Enc. *Non abbiamo bisogno,* l. c., pp. 302, 305; Pius XII, All. ad Foed. Intern. A. C., 18-4-1952; Conc. Vat. I, *CL* VII, col. 857, *d*; Conc. Prov. Quebecense, I, a. 1851, *CL* III, 616, *d*.

[16] In hac prima parte agitur praesertim de evolutionismo, de naturalismo (in paedagogia, in schola, in familia et in societate) et de humanismo exaggerato.

[17] In secunda parte huius paragraphi reiciuntur: rationalismus, socialismus, razzismus, individualismus, intellectualismus, voluntarismus, agnosticismus et pragmatismus, quatenus eorum doctrinae aequilibrio psychologico, in educatione tenendo, opponuntur, et totam educationem respiciunt ex quadam positione nimis unilaterali.

[18] Tandem in hac tertia parte, expressa fit mentio de Statalismo, qui acriter propugnat et exercet monopolium Status in materia educationis; cui accedunt laicismus, liberalismus, socialismus et communismus.

(II - Scholae catholicae momentum et dotes)

Ad par. 5

[19] Ecclesia, « teste historia, semper liberalissimam scholae matrem atque patronam sese » exhibuit. Immo dici posset scholam *uti nunc est,* nempe uti medium non solum instructionis *sed etiam educationis,* in Occidente originem trahere ex institutione ecclesiastica. Cf. Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., 76; Litt. *Singulare illud,* l. c. p. 258; Enc. *Deus scientiarum Dominus,* l. c., pp. 241-245; Conc. Prov. Coloniense, a. 1860, *CL* V, 364, *b*. Cf. praeterea auctores qui de educationis historia agunt: H. I. Marrou, *Storia dell'Educazione nell'antichità,* 1950; E. Lesne, *Les Ecoles de la fin du VIII*e *siècle à la fin du XII*e *siècle,* Lille 1940. Marrou ait: « Nemmeno la scuola si assumeva il compito di educare; nell'epoca arcaica

essa non esisteva, e una volta creata restò sempre un po' disprezzata... quando un moderno parla dell'educazione pensa in primo luogo alla scuola... È questa, in occidente, una eredità e una sopravvivenza medievale; fu nelle scuole monastiche delle età oscure che si stabilì un legame intimo tra il maestro e il direttore spirituale » (cf. *o. c.*, pp. 57-58, et etiam pp. 201, 355, et alibi). Cf. praeterea documenta allata ad par. 14.

[20] PIUS IX: « Nihil validius ad ipsius catholicae fidei incrementum, perennitatem et decus fingi unquam aut excogitari potest » (*Instr.* S. C. de Prop. Fide, 23-11-1845). Idem demonstrant quae LEO XIII dicebat de schola laica: « Nè saprebbe uno immaginare mezzo più universale e più efficace per sottrarre all'influsso della Chiesa e della fede la società, la famiglia, gli individui » (Enc. *Dall'alto,* 15-10-1890). PIUS XII: « La scuola, l'insegnamento impartito giorno per giorno, durante anni, agisce con una forza grandissima, lenta, ma persistente, quasi invisibile, ma per tanto più radicale » (All. ad Associationem Magistrorum Cath. Bavariae, 31-12-1956). Conc. Prov. Westmonasteriense I, a. 1852, asserit: « Scholam ita dispositam ut sacelli usum ad tempus praestare possit malumus institui, quam sine schola ecclesiam » (*CL* III, col. 1334, *a-b*). Conc. Baltimorense X, a. 1869: « Catecheses... necessitatibus puerorum spiritualibus minime sufficiunt. Quotidie enim quasi auram religionis hauriant necesse est in scholis ita compositis... » (*CL* III, col. 1276, *c*). Cf. Conc. Prov. Coloniense, 1860, *CL* V, col. 364, *b*.

[21] PIUS XI: « L'insegnamento, lo si può dire, è *veramente la forma più moderna di apostolato* e ne è l'aspetto più importante. Questa asserzione *Noi l'abbiamo fatta con riflessione*: *è veramente l'opera più apostolica, la forma più moderna di apostolato.* È la più apostolica: non dimenticatelo mai! Il Signore nostro, il nostro Re Gesù Cristo, ha detto agli apostoli: " Andate ed insegnate ". È questo che voi fate, *e perciò voi avete una diretta partecipazione* — non tanto per dire ma *nel vero senso della parola — a questo ufficio degli apostoli... È qui che si affacciano le più grandi possibilità di apostolato* » (All. ad Amicos S. Francisci, 31-8-1935).

« Cum sint (praesertim in quibusdam Congregationibus religiosis) qui dubitant num ministerium iuvenum instituendorum nostris difficillimis temporibus totam suam efficaciam servet, an potius expediat, illo neglecto vel relicto, ad apostolatum magis directum sese convertere; *optimum est ut Concilium Oecumenicum puerorum et iuvenum institutionem tamquam opus maxime nostris diebus necessarium declaret* » (*ACV2,* s. I, vol. III, pp. 373-374; cf. etiam pp. 364, 370, 371, 372).

Ad par. 6

[22] Cf. PIUS XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 77, 79; Enc. *Mit brennender Sorge,* l. c., p. 168; *ACV2,* s. I, vol. III, pp. 365, 370; WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* IV, vol. II (1935), p. 78.

En schematica enucleatio huius paragraphi, cuius exaratio non parvas habuit difficultates. In ea:

I. *Directe et explicite*: *a*) describuntur conditiones generales cuiusvis scholae *perfecte* catholicae; *b*) dein declaratur nonnullas scholas catholicas esse publicas et sensu stricto scholas Ecclesiae; *c*) tandem exprimitur conditio necessaria ut hoc eveniat.

II. *Indirecte* dicitur vel insinuatur: *a*) non omnes scholas esse pari iure catholicas; *b*) non omnes esse publicas; *c*) non omnes esse eodem modo scholas Ecclesiae; en ratio, cur in textu sermo sit de scholis *perfecte* catholicis. *Et ita liberae discussioni et ulteriori ac accuratiori studio* relinquuntur quaestiones: *a*) utrum sit possibilis distinctio inter scholas catholicas de iure et catholicas de facto; *b*) et quatenus affirmative, quomodo inter se distinguantur; *c*) utrum dari possint scholae catholicae privatae; *d*) et quatenus affirmative, utrum tantum de facto catholicae, an etiam de iure catholicae; *e*) et consequenter, quonam pacto; *f*) utrum omnes scholae de iure catholicae sint etiam stricto sensu scholae Ecclesiae.

[23] Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., p. 77.

[24] « ... *a publica ecclesiastica auctoritate approbantur vel eriguntur eique plene subsunt...* ». Differentia inter hos duos actus iuridicos, approbationem nempe et erectionem, haec est: *approbatio* exclusive pertinet ad auctoritatem pontificiam vel dioecesanam; *erectio,* servatis de iure servandis, pertinere *etiam* potest ad auctoritatem religiosis familiis aequiparatisque in iure societatibus praepositam. Aliae differentiae magis notae hic praetermittuntur. *Plena* dependentia ab Ecclesia in eo consistit quod scholae ab ipsa auctoritate pontificia vel dioecesana vel ab Institutis ecclesiasticis immediate ducantur vel regantur, etsi, ex ipsa rerum natura, plerumque legibus civilibus obtemperare et programmata ab auctoritate civili statuta sequi teneantur.

[25] « ... *sive mediante auctoritate religiosis familiis aequiparatisque in iure societatibus praeposita hoc fiat...* ». Haec clausula, etsi iuridice evidens (cf. *Normae* S. Congr. Rel., 6-3-1921, *A.A.S.,* XIII, pp. 312-319; Pius XII, Const. *Provida,* 2-2-1947, *A.A.S.,* XXXIX, p. 114, art. 4; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 57, 58, 61; *C.I.C.,* can. 487, § 1, 488 n. 3; 494; 497, § 2; 531; 497, § 4; 498; 674; 1498; 1497), *omnino videtur in textu retinenda,* imprimis ad affirmanda iura Ecclesiae, dein vero ad solvendas et vitandas plures controversias cum auctoritatibus civilibus in nonnullis regionibus exortas.

[26] « ... *scholae publicae sunt...* ». Declaratio haec necessaria est; indoles enim publica scholae desumitur a natura potestatis quae eam approbat vel erigit. « Scholae ab Ecclesia rectae, non inter scholas mere privatas, sed *inter scholas publicas sunt computandae,* utpote non a persona privata, *sed a publica Ecclesiae auctoritate fundatae...* Haec omnia uti patet, quia Ecclesia est societas perfecta, et *certe iisdem in hac re iuribus utitur, quibus vel ipsa potestas civilis gaudet* » (*ACV2,* s. I, vol. III, p. 365). « Status magis magisque scholae catholicae, *quam pertinaciter privatam vocat,* libertatem coërcet, pecuniariis tributis onerat, subsidia iusta negat » (ib., pp. 370-71).

Quoad *modum* vero hanc declarationem faciendi, in Commissione praeparatoria, non omnes fuerunt eiusdem sententiae, et diversi diversas formulas proposuerunt. Praeter illam in textu contentam, hae aliae duae studio fuerunt subiectae: « ... scholae publicae sunt *non secus ac statales...* » vel formula mitior « ... scholae publicae *dicendae sunt non minus quam statales...* ».

[27] « ... *et stricto sensu scholae Ecclesiae vocantur* ». Procul dubio, schola pleno iure catholica dicenda est illa quae a publica ecclesiastica auctoritate approbatur vel erigitur eique plene subest, *quaeque proinde est stricto sensu schola Ecclesiae; non secus ac schola a publica civili auctoritate erecta dicitur et est schola status seu schola statalis.*

Igitur denominatio « scholae Ecclesiae » et quidem sensu stricto nullo modo

est ad sola Seminaria restringenda. *Nec dicas* tot defectibus aliquando nonnullas scholas catholicas laborare, ut eas vocare « scholas Ecclesiae » minime expediat. Etenim: *a*) defectus alicuius rei non mutat eius naturam; *b*) etiam scholae statales defectibus aliquando laborant, quin suam indolem amittant.

Ad par. 7

[28] Pius IX, Litt. S. C. de Prop. Fide, 9-10-1847; *Instr.* S. Officii ad Episcopos Statuum Foederatorum, 24-11-1875; Leo XIII, Enc. *Affari vos,* 8-12-1897; Enc. *Caritatis studium,* 25-7-1898; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 80-81; Conc. Burdigalense, a. 1859, *CL* IV, col. 766, *c*; Conc. Parisiense, a. 1849, *CL* IV, col. 88, *c*; Conc. Westmonasteriense I, 1852, *CL* III, col. 1334, *c*; *ACV2,* s. I, vol. III, pp. 365-371.

[29] Leo XIII, Enc. *Affari vos,* 8-12-1897; Pius X, Litt. Card. Merry del Val ad Can. Lahargou, 6-11-1913; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 77, 79; Enc. *Mit brennender Sorge,* l. c., p. 168; Pius XII, All. ad Supr. Moderatorem publicorum cursorum Statuum Foed., 20-7-1946; Conc. Westmonasteriense I, 1852, *CL* III, col. 1334, *a-b*; Conc. Prov. Australiense II, a. 1869; *ACV2,* s. I, vol. III, p. 365.

[30] *ACV2,* s. I, vol. III, p. 371.

(III - Iura familiae et Ecclesiae circa scholas)

Ad par. 8

[31] In hac paragrapho duo inter se correlativa statuuntur: *a*) ius ad libertatem scholae, hodie tantopere impugnatum; *b*) iniustitia cuiusvis monopolii. Pius XII: « È doloroso rilevare che in questo campo in Italia (idem dicendum de pluribus aliis regionibus) esistono ancora fra i cattolici lacune e incertezze. Una lunga assuefazione al predominio della scuola di Stato *ha offuscato in molti la nozione stessa del diritto alla libertà scolastica* » (Litt. Secr. Status ad XXVIII Hebd. Soc. Ital., sept. 1955. Cf. Conc. Vat. I, *CL* VII, col. 575, *a*). Pius IX: « *Nè si creda che ... tralasci di reclamare la libertà dell'insegnamento; la reclamo, non come un principio che non ammetto, ma come una vera necessità* » (All. ad Studentes Romanos, 29-3-1874). Cf. All. ad Iuventutem Italicam, 6-1-1873; Leo XIII, Litt. *Spectata fides,* 27-11-1885; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 78-79; Conv. Episcoporum Herbipolensis, a. 1848, *CL* V, col. 970, *d*; Conc. Prov. Cincinnatense III, a. 1861, *CL* III, col. 1240, *e-d.*

[32] Schola considerari potest ac debet uti *medium communicandae veritatis* et uti *medium educationis impertiendae* (cf. par. 9). Ius libertatis ad utrumque extenditur, salvo semper bono communi et divino Ecclesiae magisterio. Ideo duplex fundamentalis ratio affertur: libertas veritatis et libertas educationis.

Libertas scholae, dummodo recte intelligatur (cf. ultimum comma huius paragraphi), est una ex pluribus libertatibus civilibus, uti sunt libertas conscientiae, religionis, preli, associationis, commercii, etc. (cf. omnino Conc. Prov. Cincinnatense III, a. 1861, *CL* III, col. 1240, *c-d*), quae ad nativa et inalienabilia iura Ecclesiae, Familiae (tam filiorum quam parentum), societatum privatarum et singulorum (cf. Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., p. 52 collata cum p. 54) pertinet et respicit tam *erectionem scholarum* quam *liberam earum electionem.*

« ... *et educatio iuxta rectam conscientiam tradatur oporteat...* ». Formulatio huius principii fortasse videatur esse nimis subiectiva. Paragraphus ita exarata est, ut nullius iura, etiam mere subiectiva, ullo modo laedantur. In hac delicata

quaestione plures formulae, ab illis magis obiectivis ad illas magis subiectivas gradatim procedentes, attento examini sunt subiectae. En praecipuae: « educatio *iuxta rectam rationem* tradatur oporteat »; « educatio iuxta *recte efformatam conscientiam* tradatur oporteat »; « educatio *iuxta rectam uniuscuiusque conscientiam* tradatur oporteat »; « educatio tradatur oporteat *ratione habita uniuscuiusque conscientiae* »; « educatio *iuxta rectam ac propriam uniuscuiusque conscientiam* tradatur oporteat ».

Aliae rationes quibus libertas scholae *absolute necessaria* evincitur, hae sunt: *a*) quia educatio debet esse religiosa et confessionalis et hodie ubique viget pluralitas confessionum religiosarum; *b*) quia non sufficit ut in schola religio tradatur, sed etiam aliae disciplinae spiritu christiano tradi debent (cf. *ACV2*, s. I, vol. III, p. 365); *c*) quia scholae neutrae et laicae, et mixtae religionis, non parva pericula pro fide et aliquando pro moribus constituunt.

Notandum insuper quod difficultates quae saepe in hac re proferuntur nonnumquam ex praeiudicatis opinionibus proveniunt. Quod valde dolendum est. Nempe: *a*) Aliquando abusus vel usurpationes a potestate civili factae tamquam inconcussa et probata iuris principia assumuntur (cf. Pius XII, textum allatum in adnotatione [31]); *b*) sensim sine sensu oblivioni traditur Ecclesiam, etsi oppressam, etsi ad minorem partem civium reductam, esse semper societatem publicam atque perfectam; quamvis enim clara principiorum vindicatio cursum eventuum vix umquam mutare valeat, perniciosius adhuc videtur quod sub influxu factorum etiam clara principiorum visio obnubiletur; *c*) quaedam formulationes doctrinae hucusque vigentes et pro tempore sufficientes, uti immutabiles atque immutandae considerantur; *d*) clara et obiectiva veritatis expositio aliquando timetur, vel quasi duplex mensura adhibetur, *absolutae nempe libertatis* ubi catholici minorem partem constituunt, *restrictae vero libertatis* ubi omnes vel fere omnes cives sunt catholici, et quod hic timetur illic ardenter desideratur.

Tandem *ne dicatur declarationem iurium supernaturalium* nullius esse utilitatis pro illis qui non credunt, et declarationem iurium naturalium nullum effectum habituram pro illis qui per viam facti et violentiae procedunt. Nam: *a*) Concilium imprimis loquitur pro illis qui credunt et pro illis qui bonae sunt voluntatis; *b*) etiam inimici magni faciunt declarationum Concilii Oecumenici: qui enim tanti aestimant Episcoporum declarationes, praesertim collectivas, pluris procul dubio aestimabunt declarationem conciliarem; *c*) veritas etiam si effectum immediatum non habet, tamen est proponenda, ne conscientiae magis adhuc vexentur; *d*) eadem difficultas moveri posset quoad omnes alias veritates magisterii ecclesiastici.

[33] Monopolium Status gravem iniustitiam et abusum constituit. En praecipuae rationes: *a*) Status *neque fons* est *neque custos veritatis*, ideoque nec unicus magister; *b*) est contra iura Ecclesiae, familiae et singulorum; *c*) teste historia, subordinat scholas non obiectivis veritatis postulatis, sed vicissitudinibus politicis; *d*) fundatur in positivismo iuridico (Pius IX, Enc. *Quanta cura*, 8-12-1864: « Professando il funestissimo errore del comunismo e del socialismo affermano: " la società domestica ossia la famiglia trarre tutta la sua ragione di esistere *solamente dal diritto civile, e di conseguenza dalla legge civile soltanto derivare e dipendere i diritti di tutti i padri sui figli e massime il diritto di procurarne l'istruzione e l'educazione* " »); *e*) Status abutitur auctoritate sua (cf. Leo XIII, Litt.

Nel giugno, 25-3-1879); *f*) abutitur praesertim mediis, quibus pollet, et publica pecunia, quod est contra iustitiam distributivam.

Ad par. 9

[34] *Quoad iura Ecclesiae cf. praecipue*: Conc. Vat. I, *CL* VII, col. 857, *d*; Pius IX, Litt. *Quum non sine,* 14-7-1864; Litt. *Maxime quidem,* 18-8-1864; Leo XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices*, 8-5-1881; Enc. *Officio sanctissimo,* 22-12-1887; Enc. *Caritatis providentiaeque,* 19-3-1894; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 54-56; Conc. Prov. Australiense, a. 1869, *CL* III, col. 1074; Conc. Plen. Baltimorense II, a. 1866, *CL* III, col. 514, *b-c*; Conc. Prov. Coloniense, a. 1860, *CL* V, col. 364, *b*; Conv. Episcoporum Herbipolensis, a. 1848, *CL* V, col. 960. *Quoad iura vero familiae*: Leo XIII, Enc. *Officio sanctissimo,* 22-12-1887; Enc. *Affari vos,* 8-12-1897; Pius XII, Litt. Secr. Status ad XXVIII Hebd. Soc. Ital., sept. 1955; Conc. Avinionense, a. 1849, *CL* IV, col. 682, *b*. Cf. etiam documenta circa educationem ad par. 3 allata, et *ACV2,* s. I, vol. III, pp. 364, 365, 368, 370.

[35] Inquantum schola est *medium educationis impertiendae* (schola enim, uti dictum est, considerari potest ac debet sive qua medium educationis impertiendae sive qua medium veritatis communicandae et divulgandae), omnes qui habent officium et ius educationem tradendi, habent officium et ius utendi schola. « *Cum autem educandi munus non singulorum hominum, sed necessario societatis sit* » (cf. Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., p. 52 et Enc. *Casti connubii, A.A.S.,* XXII, 1930, p. 545) *ius nativum et proprium in scholas,* iuxta uniuscuiusque competentiam quoad educationem (cf. commentum ad par. 3), ad familiam, Ecclesiam et Civitatem pertinet, *delegatum vero* ad praeceptores et magistros (cf. par. 13).

[36] Ex altero capite (cf. adnotationem 35), *quatenus nempe schola est medium communicandae ac divulgandae veritatis,* salvis iuribus ipsius veritatis, divini ecclesiae magisterii et boni communis, ius scholas aperiendi *omnibus competit qui habent cognitionem veritatis*: Familiae videlicet, Ecclesiae, Statui, privatis societatibus, singulisque individuis (cf. Pius XI, *DIM,* l. c., p. 54); *non tamen, uti patet, omnibus eadem ratione eademque mensura.*

[37] *Ex ipsa lege naturae,* hoc ius competit *omnibus,* etiam Ecclesiae, ratione, mensura et titulis quibus thesaurum veritatis unusquisque possidet. Omnino necessaria videtur haec declaratio iurium naturalium catholicorum et ipsius Ecclesiae ad scholas aperiendas; veritas enim commune omnium patrimonium est; catholici vero, sive qua singuli sive qua societate coniuncti, ex professione fidei catholicae et incorporatione Ecclesiae nullum ius naturale amittunt. Praeterea hoc ipsum postulat *existentia scientiae seu culturae catholicae* (cf. Pius XII, All. ad Socios Inst. Cath. Galliae, 21-9-1950). Nempe Ecclesia, quamvis institutionis divinae positivae, semel instituta, ex ipsa quoque lege naturali ius ad scholas habet, eo vel magis quod veritas potius ad patrimonium spirituale quam ad fines temporales Status pertinet.

Ex iure divino positivo munus in scholas competit Ecclesiae quatenus, vi infallibilis magisterii, officium habet docendi omnes gentes et propagandae praeservandaeque fidei (cf. par. 11, in qua sub forma positiva vindicantur iura invigilandi, praescribendi catholicis ut scholas catholicas adeant, eisque prohibendi ne scholas mixtae confessionis vel neutras frequentent).

Ad par. 10

[38] Hoc invigilandi ius extenditur ad doctrinam, libros et magistros, immo ad ipsam methodum instructionem religiosam tradendi. Cf. PIUS IX, Enc. *Nostis et Nobiscum,* 8-12-1849; All. Consistorialis, 1-11-1850; All. Consistorialis, Litt. *Les événements,* 12-5-1883; Enc. *Constanti Hungarorum,* 2-9-1893; Enc. *Deus humanae salutis auctor,* 3-11-1855; Litt. *Maximae quidem,* 18-8-1864 (etiam quoad scholas superiores). LEO XIII, Const. Ap. *Romanos Pontifices,* 8-5-1881; Litt. *Les événements,* 12-5-1883; Enc. *Constanti Hungarorum,* 2-9-1893; Enc. *Caritatis providentiaeque,* 19-3-1894. PIUS XI, Enc. *Divini illius Mag.,* 31-12-1929. CIC, can. 1381, 1382. Conc. Burdigalense, a. 1850, *CL* IV, col. 599, *b*; Conc. Albiense, a. 1850, *CL* IV, col. 444, *c*. Cf. quoque Concordata cum Nationibus inita.

[39] Notandus *duplex* conceptus scholae mixtae *ex pluralitate confessionum religiosarum sive alumnorum sive docentium.* Schola mixta, *ratione alumnorum,* maiora pericula praebet si agatur de sectis proselytisticis aut de regionibus in quibus vigebat unitas fidei quae nunc incipit frangi. Sed *longe periculosiores* sunt scholae mixtae *ratione docentium,* ob influxum quem exercent in alumnos, praesertim cum, sub specie scientiae, atheismum et irreligiositatem in animos alumnorum insinuant.

Ad par. 12

[40] Cf. PIUS XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 72-73; PIUS XII, Instr. S. C. de Rel., *A.A.S.,* L, 1958, pp. 99-103; Conc. Burdigalense, a. 1850, *CL* V, col. 765.

(IV - Magistrorum formatio, officia et iura)

Ad par. 13

[41] PIUS IX, Litt. S. C. de Prop. Fide 9-10-1847; Instr. S. O. 24-11-1875; LEO XIII, Enc. *Affari vos,* 8-12-1897; Enc. *Caritatis studium,* 25-7-1898; PIUS XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 80-81; PIUS XII, All. ad Religiosas docentes, 13-9-1951; All. ad UCIIM, 5-1-1954; NR ad Congr. Interam. Ed. Cath., 12-1-1954; Conc. Prov. Burdigalense, a. 1859, *CL* IV, col. 766, *c*; Conc. Prov. Parisiense, a. 1849, *CL* IV, col. 88, *c*; Conc. Prov. Westmonasteriense I, a. 1852, *CL* III, col. 1334, *c*.

[42] Huiusmodi formatio magistrorum omnino accurata et sub omni respectu completa sit oportet, et quidem ob sequentes praecipuas rationes: *a*) munus educandi est officium gravissimum, maioris momenti quam officium medici vel advocati vel his similia; *b*) ius filiorum ad optimam educationem recipiendam et officium parentum, Ecclesiae et Civitatis illis eam impertiendi; *c*) ratio quasi iustitiae e parte magistrorum, qui, *ex officio* stipendiis acceptis, vel ex vocatione et professione religiosa, in scholis laborant; *d*) bona fama Ecclesiae et scholarum catholicarum.

PIUS XII: « Inoltre: la maggior parte dei genitori affidano a voi le loro figlie per motivi di coscienza cristiana. Con questo però non debbono poi avere il danno di un insegnamento di minor valore nelle vostre scuole. Al contrario, voi dovete mettere il vostro vanto nell'assicurare a quei genitori la migliore istruzione per le loro figlie, fin dalle stesse scuole elementari.

Non dimenticate poi che anche il sapere e il buon insegnamento attirano alla religiosa il rispetto e la considerazione delle alunne. Allora essa potrà eserci-

tare un più profondo influsso sul loro carattere e sulla loro vita spirituale » (All. alle Religiose insegnanti, 13-9-1951).

[43] Hodie *tituli officiales* fere ubique requiruntur, sine quibus vix munus docendi exerceri potest; imo in pluribus regionibus, non nisi tituli Status uti validi agnoscuntur. Huic exigentiae, etsi aliquando iniustae, saltem quod attinet ad Ecclesiam, satisfaciendum erit pro bono educationis. *Haec autem ratio agendi nullo modo significat Ecclesiam agnoscere Statui ullum ius quod non habeat circa necessitatem titulorum vel eorum impositionem.* Conv. Episcoporum Herbipolensis, a. 1848 coactus, in sessione VIII, die 24 oct. celebrata, *ius quod Civitas plerumque sibi vindicat exigendi titulos et praevia examina dubium et incertum declaravit « cum nullam praecipuam ac propriam docendi potestatem iuste et legitime sibi uni vindicare possit »* (*CL* V, col. 970; cf. BARBERA M., *Libertà d'insegnamento,* 1919, pp. 22-25).

[44] PIUS XII, All. ad Unionem Cath. Institutionis Publicae, in Gallia, 26-3-1951; All. ad Assoc. Magistrorum Cath. Bavariae, 31-12-1956.

Ad par. 14

[45] PIUS XII, All. ad MMAC, 4-11-1945; All. ad Professores et Alumnos « Overseas School of Rome », 10-4-1948; All. ad UCIIM, 4-9-1949; All. ad UCIIM, 5-1-1954.

(V - Scholae catholicae fovendae)

Ad par. 15.

[46] Ecclesia, decursu saeculorum, semper et ubique iuxta temporum adiuncta, sollicitam sese ostendit de incremento scholarum deque earum maiore in dies perfectione. Cf. documenta allata in adnotationibus ad parr. 5, 13, 17 et 16; et praeterea Conc. Vat. I, *CL* VII, col. 860, *a*; Synodus Prov. Maronitarum M. Libani, a. 1736, *CL* II, pp. 394-397; Synodus Prov. Ruthenorum, a. 1720, *CL* II, col. 66; Conc. Tuamense, a. 1858, *CL* III, col. 879, *a*; Conc. Prov. Australiense II, a. 1869, *CL* III, col. 1074, *b;* 1075, *a*; Conc. Cincinnatense II, a. 1858, *CL* III, col. 1226, *c*; Conc. Prov. Westmonasteriense I, a. 1852, *CL* III, col. 920, *d* et 921, *a*; col. 1334, *a-b*; Conc. Nat. Thurlesianum, a. 1850, *CL* III, col. 802, *c* et 1894, *b-c*; Conc. Baltimorense I, a. 1829, *CL* III, col. 32, *c*; Conc. Quebecense III, 1863, *CL* III, col. 678, *b*; PIUS IX, Instr. S. O. ad Episcopos Statuum Foed., 24-11-1875; LEO XIII, Litt. *Spectata fides,* 27-11-1885; Litt. *Nel giugno,* 25-3-1879; All. ad peregrinos Hollandiae, 29-4-1888; Encycl. *Dall'alto,* 15-20-1890; PIUS XI, Enc. *Mit brennender Sorge,* l. c., p. 168; PIUS XII, All. ad Assoc. Mag. Cath. Bavariae, 31-12-1956; *ACV2,* s. I, vol. III, pp. 364, 370-372.

[47] Materna Ecclesiae sollicitudo, quae ex innumeris documentis in adnotatione praecedenti allatis evidenter patet, respiciebat et respicit non solum scholas elementares, medias et superiores, sed etiam speciales uti ex documentis Conciliorum evidenter apparet, in quibus saepe expressa mentio fit *de scholis reformatoriis, orphanotrophiis, artium, agriculturae, maternis seu asyliis, pro coecis, pro adultis, pro institutione surdorum-mutorum,* etc., quod praeclare quoque constat ex erectione Institutorum religiosorum. Cf. Conc. Burdigalense, 1850, *CL* IV, col. 599-601; Conc. Prov. Lugdunense, a. 1850, *CL* IV, col. 482, *d*; Conc. Plen. Baltimorense II, *CL* III, col. 519, *b*; 1266, *c-d*; et in pluribus aliis documentis. Hodierna commendatio scholarum technicarum, professionalium et adultorum,

perutilis est, sicut hodie etiam « scholae ope epistolarum » merentur maiorem Ecclesiae attentionem.

Ad par. 16

[48] Cf. plurimas declarationes Episcoporum ubique terrarum, ex. gr. hic in Italia, ubi hodie schola catholica maximo in discrimine versatur, *CEI* 15-10-1959; Episcopi Tridentini, 16-11-1960; Episcopi Regionis Flaminiae, 30-6-1961; Episcopi Piceni, 4-3-1961; Episcopi Etruriae, 7-3-1961; Episcopi Siciliae, 5-4-1961; Episcopi Liguriae, 18-4-1961; Episcopi Aprutii, 6-4-1961; Episcopi Umbriae, mense maio 1961; Episcopi Insubriae, 15-8-1961. Quoad Conventiones et Concordata cum auctoritatibus civilibus inita cf. Raccolta di Concordati a cura di A. Mercati, vol. II, Roma, 1954, ex quibus clare apparet quaenam iura quoad scholas et instructionem religiosam Ecclesia vindicare soleat. *ACV2,* s. I, vol. IV, pars I, pp. 186-189; *L'Osservatore Romano,* 12-7-1961, p. 4, Votum conclusivum VI Congressus Nationalis MMAC, Romae coacti initio mensis iulii a. 1961.

[49] Revera *efficax actio* requiritur et quidem diligens atque immediata ut catholici et publica opinio de momento et hodierno discrimine rei paedagogicae et scholasticae conscii reddantur. In hac paragrapho media adhibenda enumerantur.

Fines persequendi hi sunt praecipui: *a*) ut omnes clare edoceantur de absoluta necessitate libertatis scholae, quae inter praecipuas libertates civiles est recensenda; *b*) ut catholici doctrinam, iura et officia circa hanc materiam probe noscant; *c*) ut ad iura firmiter propugnanda et ad officia rite adimplenda stimulentur paratique inveniantur; *d*) ut subsidia oeconomica ad scholas catholicas sustentandas vindicentur; *e*) ut schola nullo modo speciem politicam habeat vel assumat, uti, proh dolor, in pluribus regionibus evenit, neque vicissitudinibus politicis obnoxia sit, sed functionem socialem educativam apoliticam exerceat.

Argumenta adhibenda differunt pro opportunitate et adiunctis: *a*) *in illis regionibus in quibus religio catholica agnoscitur* et populus pro maiore parte vel etiam fere totus est catholicus, adhiberi possunt ac debent non solum argumenta ex iure naturali deprompta, sed etiam et praecipue ex doctrina catholica et ex revelatione desumpta; *b*) *apud Status acatholicos vel paganos,* Ecclesia plerumque nullis poterit uti argumentis theologicis, sed proponere debebit argumenta deprompta:

— ex iure naturali,
— ex iure gentium et internationali,
— ex declarationibus iurium hominis, pueri, parentum et familiae,
— ex natura boni communi socialis,
— ex necessitate efformandi optimos cives iuxta rectam uniuscuiusque conscientiam.

Quam ob rem, supra actum est de opportunitate et necessitate hodierna declarandi iura quae ex ipsa lege naturae Ecclesiae et catholicis competunt.

(VI - Scholae catholicae sustentandae)

Ad par. 17

[50] Pius IX, Instr. S. O. 24-11-1875 ad Episcopos Statuum Foed.; Leo XIII, Litt. *Quae coniunctim,* 23-5-1892; Pius XI, Enc. *DIM,* l. c., pp. 78-79; Concordatum cum Austria, *RCM,* vol. II, p. 166; Conc. Coloniarum Angliae, Hollandiae et Daniae, 1854, *CL* III, 1100, *a*; 1102, *a*; Conc. Plen. Hiberniae apud Thurles,

a. 1850, *CL* III, col. 796, *a*; Conc. Prov. Cincinnatense III, a. 1861, *CL* III, col. 1240, *b*; Conc. Prov. Australiense II, a. 1869, *CL* III, col. 1075; Conv. Episcoporum Herbipolensis, a. 1848, *CL* V, col. 968, *c-d*; Conc. Prov. Cincinnatense II, a. 1858, *CL* III, col. 1226, *c*; *ACV2*, s. I, vol. III, pp. 370-73, vol. IV, pars I, p. 188.

[51] « ... *ut ipsae* (*scholae*) *revera liberae sint et omnibus... imprimis vero pauperibus pateant* ». Omnino est necesse ut scholae catholicae omnibus accessibiles sint (*ACV2*, l. c., p. 372). Hoc postulat: *a*) saepe saepius ipsa rei familiaris condicio seu civium paupertas; *b*) necessitas educationis praesertim moralis; *c*) ipsa conscientia socialis magis magisque in dies evoluta; *d*) desideria et propositiones Concilio Oecumenico delata (cf. *ACV2*, s. I, vol. III, p. 372). Quo praeterea ansa auferetur pluribus iniustis accusationibus contra scholas catholicas prolatas divulgatasque. Hinc necessitas propugnandi *plenam* scholae libertatem (cf. quae dicta sunt ad parr. 8 et 16), quae secum fert absolutam iurium et officiorum aequalitatem.

[52] Magna firmitate temporibus actis, plura Concilia iura Ecclesiae vindicaverunt:

« *Ius nostrum vindicamus* ut pro hisce scholis fundandis et moderandis *redituum publicorum,* qui quotannis peculiari educationi destinantur, *distributio pro rata perficiatur, ita ut nullius ius laedatur et nec catholicorum fidei nec acatholicorum conscientiae praeiudicium ullum inferatur.* Et pro viribus curabimus ut separata catholicae iuventutis educatio ubique propagetur » (Conc. Prov. Australiense II, l. c.).

« Quae religiosa institutio cum in publicis scholis (notandum hic « publicae scholae » idem esse ac « scholae statales ») ... haberi nullo modo possit, iuventutem nostram ab his... excludi necesse est... *Et idcirco, qui tributa ex lege pendimus sustentandis iisdem scholis, quae nobis perinde sunt ac clausae, iidem cogimur alias scholas, maximis sumptibus, constituere ad filios nostros christiano more educandos* » (Conc. Cincinnatense III, l. c.).

« Intractabiles adversarios et numero suo fretos *convincimus iniuriae quod nos scholarium pecuniarum aequa portione privent* » (Conc. Prov. Cincinnatense II, l. c.; cf. etiam Conc. Nat. Hiberniae, l. c.).

[53] Status rerum in quo scholae catholicae in diversis regionibus versantur valde differt iuxta diversum modum agendi, quem auctoritates civiles tenent erga scholas non statales. En praecipuae differentiae: *a*) *nonnulli status* neque subventiones dant, neque taxas ullas imponunt (ex. gr. USA, Aequator, Brasilia, Insulae Philippinae, Iaponia, Nicaragua, Peruvia); *b*) *Alii Status* aliquod adiutorium concedunt ob diversas rationes et non imponunt taxas (ex. gr. Germania, Austria, Helvetia, Gallia, etc.); *c*) *Alii Status* praestationes normales et regulares concedunt et aliquam taxam indirectam imponunt (ex. gr. Argentina, Chilia); *d*) *Alii Status* verum regimen praestationum habent, nullas taxas imponunt et eo usque aliquando devenitur ut instructio debeat esse gratuita (ex. gr. Belgium, Hollandia, Anglia); *e*) tandem *alii Status* non solum nullas vel parvas omnino praestationes concedunt, sed aliquando ingentes taxas pecuniarias, id est directas, et etiam indirectas scholis catholicis imponunt (Italia, Hispania et quodam modo limitato Lusitania).

[54] En praecipua media quae saepe saepius in documentis ecclesiasticis commendantur, et quibus Ecclesia decursu saeculorum usa est: *a*) taxae pro dispensationibus matrimonialibus vel alia simili causa imponendae; *b*) subsidia a guber-

niis accepta; *c*) redituum publicorum pro rata distributio, ut nullius ius laedatur; *d*) erogationes ex bonis superfluis christifidelium et ipsius cleri; *e*) reditus superflui Ecclesiae; *f*) constitutio societatum vel consociationum ad scholas catholicas sustentandas; *g*) ipsa venditio, ubi casus ferat, supellectilis Ecclesiae, quae non sit necessaria; *h*) quaevis media a legibus concessa vel permissa; *i*) incrementum Institutorum religiosorum, quae ministerium scholasticum exercent; *l*) moneri debent catholici, qui divitiis abundant, de obligatione adiuvandi scholas catholicas; *m*) tributa seu taxae christifidelium; *n*) Concordata seu Conventiones cum Nationibus inita.

(VII - Organisatio centralis et cooperatio)

Ad par. 18

[55] Organisatio de qua agitur imprimis *hierarchica* debet esse: hoc est, *organica, articulata, subordinata,* inde ab Officio centrali romano ad officium regionale seu dioecesanum. Ipsa aptetur oportet indoli, condicionibus et postulatis uniuscuiusque regionis et nullo modo impedire debet sanam libertatem, internam autonomiam et laudabilia etiam privatorum incoepta. Immo, organisatio, pro bono educationis, haec omnia fovere debet, ut Ecclesia, quae iura libertatis propugnat, ipsa sua agendi ratione sanae libertatis specimen praebeat; tandem necesse est ut nullum detrimentum afferat organisationibus cuiusvis generis, in bonum educationis et scholae iam existentibus. Difficultatibus, quae forte ex diversorum Dicasteriorum competentia oriri possent, apta solutio est invenienda.

Huiusmodi organisatio, quae praeterea *technica praesertim et practica* sit oportet, probe omnino distinguenda est a iure invigilandi, fidem et mores respiciente, quod exclusive spectat ad Ordinarios locorum eorumque delegatos. Hoc enim ius invigilandi pertinet ad magisterium auctoritativum ecclesiasticum. Procul dubio scholae subsunt magisterio auctoritativo Ecclesiae, *sed ne confusiones oriantur,* omnino distinguendae sunt *quaestiones technicae scholasticae* a *quaestionibus* etiam scholasticis *fidem vel mores respicientibus.*

In hac igitur organisatione *technica,* quae maximam peritiam ac rerum scholasticarum experimentalem cognitionem requirit, una cum peritissimis in hac re viris ex utroque clero et ex laicatu assumptis operam utiliter praebebunt Supremi Moderatores Maioresque Superiores Institutorum religiosorum ac Societatum, quae in Ecclesia, ex canonica erectione et missione, ministerium scholasticum exercent.

Necessitas huius organisationis, salvis iuribus uniuscuiusque Dicasterii, *oritur imprimis* ex finibus assequendis. Dantur enim aliquando fines, quorum assecutio non solum vires singulorum transcendit, sed etiam organisationum localium et nationalium, ita ut transitus ad organisationem quandam superiorem seu internationalem, ex ipsis rerum adiunctis, quasi sponte sua exurgat, uti apparet quoque ex actuali condicione societatum civilium. *Oritur deinde* ex mediis adhibendis, quae plerumque transcendunt confines nationales et ingrediuntur ordinem internationalem (cf. par. 16 cum adnotationibus).

Fines assequendi, praeter eos iam antea (cf. adnotationem 49), recensitos, commemorandi videntur praecipue hi:

a) quaedam generalis revisio scholae catholicae ut ipsa reapse ubique terrarum omnes condiciones, quoad magistros, libros, methodos, totamque eius ordinationem fideliter adimpleat, quae ex ipsa eius natura requiruntur, nam tota

scholae catholicae efficacia, maxima ex parte, ex hac eius perfectione interna pendet;

b) ut quam plurimum foveat, meliore quo possit modo, intimam cooperationem in opere educationis cum auctoritatibus civilibus etiam paganis;

c) ut promoveat erectionem scholarum catholicarum;

d) ut promoveat illam universalem cooperationem de qua in par. 19 agitur.

Munera denique, unicuique Officio centrali, nationali, regionali adsignanda, respicere possunt: *a*) cognitionem ac divulgationem doctrinae catholicae; *b*) accuratum examen legislationis civilis latae vel ferendae, ut pericula forte imminentia efficacius praecaveri possint; *c*) problemata nationalia vel internationalia, educationem et scholam respicientia; *d*) cooperationem cum auctoritatibus civilibus et cum organisationibus nationalibus et internationalibus; *e*) coordinationem virium usumque mediorum (cf. par. 16 cum adnotationibus) ad iura et libertatem scholae vindicanda; *f*) scholas catholicas cuiusvis gradus et generis fovendas; *g*) congressus nationales et internationales cogere, associationesque catholicas nationales et internationales provehere; *h*) libros, magistros, methodos in scholis catholicis adhibenda; *i*) alia id genus quae experientia suadeat.

Apud S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus iam existunt « Officium scholasticum pro Italia » (Epist. Secretariae Status, 14 aprilis 1932) et « Officium scholasticum pro America Latina » (Epist. Secretariae Status, 12 iunii 1949).

Ad par. 19

[56] Haec efficax cooperatio omnino imponitur *ex una parte* ab unitate Ecclesiae, fidei, magisterii et vineae Domini; *ex altera vero parte* exigitur a condicione hodierna scholae catholicae, quae nonnisi hac universali sociata opera, praesertim vero cleri dioecesani et religiosorum tam virorum quam mulierum sustentari, conservari et propagari valet. Quare tam Ordinarii locorum quam Superiores religiosi hanc efficacem cooperationem, ab omnibus tantopere desideratam, omni conatu fovere ac promovere curent.

Difficultates certo certius non desunt (cf. *ACV2,* s. I, app. vol. II, pars I, pp. 495-497; vol. IV, pars I, p. 408, vide etiam p. 144 et pp. 409-10); ast solutio quaerenda est et invenienda absque detrimento sive iurium Episcoporum, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, sive religiosorum.

V

DE OBSEQUIO ERGA ECCLESIAE MAGISTERIUM IN TRADENDIS DISCIPLINIS SACRIS *

CAPUT I

NOTIONES FUNDAMENTALES

1. [*Magisterium Ecclesiae*]. Christus Dominus Ecclesiae, dilectissimae suae sponsae fidei depositum concredidit, illamque magistram divinae veritatis infallibilem instituit.[1] Romanus autem Pontifex, Petri successor et Christi Vicarius, atque sub eius auctoritate Episcopi qui sunt successores Apostolorum, ita magisterium vivum et perenne Ecclesiae exercent, ut praeter ipsos alii magistri iure divino in Ecclesia non habeantur.[2]

2. [*Obsequium et coniunctio cum magisterio*]. Ideo qui magistri ad munus sacras disciplinas in scholis et Universitatibus [3] docendi ab Ecclesia vocantur, necesse est ut tamquam proximam in rebus fidei et morum veritatis normam divinum Ecclesiae magisterium agnoscant, ab illo dependeant, nihil antiquius habeant quam sentire cum Ecclesia et numquam sibi licitum retineant a mente Ecclesiae recedere.[4] Ita ergo quodam vivifico vinculo magistri sive in docendo sive in scribendo cum vivo Magisterio Ecclesiae coniunctos sese sentiant, ut discipulos sibi commissos cum ipso Christo, qui est veritas,[5] in corpore eius mystico, quod est Ecclesia,[6] strictius et intimius coniungere valeant.

3. [*Expositio et investigatio veritatis*]. Obsequium vero quod magister disciplinae sacrae magisterio Ecclesiae tribuere debet neque mere extrinseca dispositio neque quasi mortua relatio censeri debet, cum potius vitalis sit coniunctio cum magisterio vivo. Qui ergo in Ecclesia munus docendi sortitur, in documentis et monumentis scriptis Magisterii insistere debet ut antiquam atque ad propria usque tempora semper vivam fidei traditionem fideliter communicet et vitalem eius vim in societatem et in homines cuiuscumque aetatis

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis septimae, die 13 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 157-219.

insinuet et immittat. Sacrae ergo disciplinae magister non tantum rectam de fide et moribus doctrinam alumnos docere, sed etiam eos ad hanc doctrinam semper melius et profundius investigandam manuducere debet, ita ut, fide ipsorum roborata et illuminata, apti fiant simul ad propriam vitam Deo vivo et vero magis ac magis conformandam animasque quae ipsis committentur in viam salutis promovendas.

Quapropter, ipsius Doctoris Angelici exemplum sectando, nitantur magistri omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt, provehant; in quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, ea quidem qua par est prudentia et cautela,[7] novas doctrinas scientiarum progressu comparatas investigent et inquantum possibile est, ab omni errorum specie expurgatas, in propriam disciplinam assimilent et componant.[8] Caveant tamen ne doctrinam sacram perinde ac scientiam profanam tractare autument;[9] ita ut, si sententia aliqua neget vel deformet obvium sensum veritatis a magisterio propositae, iam erronea sit censenda.[10] Nemo autem absque solido fundamento fideles et doctos catholicos magistros redarguat et exprobret, novas investigationes et novas applicationes traditionalis doctrinae quaerentes atque profundiores enucleationes producentes.[11]

4. [*Refutatio errorum*]. Ideoque bene quisquis in suo campo magister de diversis opinionibus hinc inde exsurgentibus certior semper extet, ut in novis sententiis emendandis et assimilandis doctrinam Ecclesiae integerrime teneat discipulosque a praecipuis grassantibus erroribus immunes servet. Quos errores ita alumnis suis indicare debet, ut proprium cuiusque principium summa attentione detegat. Discernat etiam utrum error quisquis proveniat ex aliquo principio in se erroneo, vel ex cuiusdam veri principii indebita applicatione, vel etiam ex quodam methodi defectu, vel ex insufficienti problematis inspectione. Tandem in talium errorum expositione distinguat inter auctores, qui Ecclesiae Auctoritatem impugnant eiusque magisterium negant, et auctores catholicos qui Ecclesiae magisterii non satis rationem habent.

5. [*Magisterii ecclesiastici documenta cognoscenda et colenda*]. Promoveant ergo magistri doctrinarum sacrarum in alumnis suis cognitionem et existimationem documentorum Ecclesiae sive antiquorum sive modernorum, quae quasi fundamentum et columnae sacrae scientiae esse debent, eorumdem sensum verum aperiant, indicantes quomodo eorum doctrina cum veritatibus aliunde solide acquisitis bene componatur.

6. [*De diversis magisterii documentis*]. Clare etiam et utiliter alumnos suos doceant differentiam inter magisterium infallibile et irreformabile quod ab omnibus christifidelibus devotissime recipi debet, secluso lapsu in fide; et magisterium non infallibile, quod vero non solum silentium obsequiosum, sed etiam interiorem religiosum assensum exigit;[12] ita ut quando Romani Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, res illa, secundum mentem et voluntatem eorundem Pontificum, quae-

stio liberae inter theologos disceptationis iam haberi non possit.[13] Quare magister bene prae oculis habeat differentem valorem doctrinarum, apte distinguens quaenam secundum diversas notas theologicas de fide sint credenda, quaenam ut certa tenenda, quaenam ulteriori investigationi subicienda.

Cum vero Episcopi in communione cum Romano Pontifice in propria Ecclesia docentes vel in conciliis particularibus congregati, magistri authentici sint et evangelicae praedicationis testes,[14] sacrarum disciplinarum magistri supra et extra Episcoporum magisterium non sese existiment, quin immo in alumnis venerationem et amorem erga illud inducant.[15]

7. [*De auctoritate magistrorum*]. Exinde magister et in docendo et in scribendo differentiam bene percipiat inter auctoritatem doctrinalem Summorum Pontificum et Episcoporum, qui unice magistri authentici in Ecclesia a Christo statuti sunt,[16] et auctoritatem eorum, qui quidem ab Ecclesia delegationem docendi obtinent, quorum tamen doctrina non habet valorem authenticum nisi prout doctrinam ipsam magisterii Ecclesiae exponit vel etiam in quantum Ecclesia approbante et invigilante, communi et constanti consensu proponitur.[17] In aliis vero doctrinis vel opinionibus propriis et personalibus sacrae scientiae magistri nullam Ecclesiastici Magisterii habent auctoritatem, sed eam tantum quae eorum argumentis scientificis convenit.

Caveant ergo magistri ne suis opinionibus etsi bene fundatis valorem ipsius magisterii Ecclesiae tribuant. Quapropter prudentes et humiles sint, nec existiment suam opinionem in rebus disputatis esse ipsius Ecclesiae doctrinam neve eos qui illam opinionem reiciunt, de errore in fide vel de deficiente erga Ecclesiae magisterium obsequio arguant.

8. [*Conclusio*]. Quae tandem de obsequio erga Magisterium dicta sunt, valent de omnibus disciplinis quae directe vel indirecte relationem habent cum revelatione; quare non tantum de disciplinis sacris, sed, servatis prudenter differentiis, valent etiam de aliis scientiis, imprimis de philosophia, quippe quae ad Revelationis veritates penetrandas, illustrandas et defendendas tantopere conferre possit.[18] Quod quidem obsequium erga magisterium in ratione docendi Sacram Scripturam nec non in doctrina S. Thomae servanda hodie praecipue inculcandum esse haec S. Synodus censet.[19]

Schema decreti definitive approbatum est, suffragiis post VI Conventum generalem Commissionis scripto missis.

NOTAE

[1] Pius XII, *Si diligis, Discorsi e Radiomessaggi,* t. XVI (1954-55), p. 42: « Christus Dominus veritatem, quam e caelis attulit Apostolis et per ipsos eorum successoribus concredidit; Apostolos, sicut fuit ipse missus a Patre (*Io.,* 20, 21) misit, ut docerent omnes gentes quaecumque ipsi a Domino audierant » (cf. *Matth.,* 28, 19-20). Cf. Constitutio *De Ecclesia,* cap. *De Ecclesiae Magisterio,* § 1: « Existit

ergo in Ecclesia perenne et vivum magisterium, cui munus traditum est docendi cum auctoritate nomine Christi in rebus fidei et morum ».

[2] PIUS XII, Alloc. *Si diligis,* l. c.: « Apostoli igitur, iure divino sunt in Ecclesia statuti veri doctores seu magistri. Praeter Apostolorum autem legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis (cf. can. 1326), alii magistri iure divino in Ecclesia non habentur ».

[3] PIUS XII, Alloc. *Si diligis,* l. c.: « At tum ipsi, tum imprimis Supremus in Ecclesia Magister atque Christi in terris Vicarius, alios arcessere possunt suos in magistri munere operis socios consiliariosve, quibus facultatem (sive peculiariter sive ob collatum officium) docendi delegent ». Constitutio *De Ecclesia,* cap. *De Magisterio,* § 4: « Magistri Ecclesiae authentici, quo facilius munus sibi divinitus concreditum adimpleant, alios quos volunt sibi assumunt in adiutorium auxiliares, quibus peculiaria munera conferunt atque determinant ».

[4] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani Generis,* d. 12 aug. 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 567: « Et quamquam hoc sacrum Magisterium in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei — Sacras nempe Litteras ac divinam " traditionem " — et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit... ».

[5] Cf. *Io.,* 14, 6.

[6] Cf. *Coloss.,* 1, 24; cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis, A.A.S.,* 35 (1943), p. 193.

[7] PIUS XII, *Humani generis, A.A.S.,* 42 (1950), p. 578: « Nitantur utique omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt provehant; sed caveant etiam ne limites transgrediantur a nobis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, sed ea qua par est prudentia et cautela ».

[8] Cf. Constitutionem *De Ecclesia,* cap. *De Magisterio,* § 5: « Hac de causa monet Sancta Synodus ut omnes theologi semper meminerint ipsorum officium esse gravissimum, sive in perscrutandis revelationis fontibus, sive in divinis mysteriis profundius inquirendis, sive in catholica doctrina vel lege morali christiana evolvenda et applicanda, ut ad Ecclesiae magisterium tamquam ad normam veritatis proximam in rebus fidei et morum semper attendant ». — Cf. PIUS XII, *Alloc. iis qui interfuerunt Conventui sexto de hodiernis postulatis ac normis ad Pastorale ministerium aptius provehendum* (14 sept. 1956), *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 709-710: « Ciò non toglie certamente che i Teologi e gli scienziati si adoperino per dare un fondamento scientifico a tutta una serie di acute questioni della vita. Certamente la S. Sede ama, loda e promuove le erudite ricerche e le altre speculazioni dei Teologi, che approfondiscono le verità rivelate e che non esitano di considerare, spiegare e sostenere le dichiarazioni del Magistero ecclesiastico con serietà scientifica, al lume della ragione illustrata dalla fede (Conc. Vat., Sess. III, cap. 4), vale a dire, come affermava Pio IX, " *in sensu Ecclesiae* " ».

[9] PIUS IX, Alloc. *Singulari quodam,* 9 dec. 1854 (DENZ. 1642) et *Syllabus,* 8 (DENZ. 1708).

[10] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Membra Congressus Internationalis de Liturgia Pastorali: *Vous nous avez demandé,* 22 sept. 1956, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, p. 474.

[11] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* d. 30 sept. 1943, *A.A.S.,* 35 (1943), p. 319.

[12] Cf. Constitutionem *De Ecclesia,* cap. *De Magisterio,* § 2.

[13] PIUS XII, *Humani generis, A.A.S.,* 42 (1950), p. 568: « Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse ».

[14] Cf. Constitutionem *De Ecclesia,* cap. *De Magisterio,* § 2.

[15] PIUS XII, Alloc. *Si diligis,* l. c., p. 43: « Qui ad docendum ita vocantur, in Ecclesia proprie non nomine suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt, sed vi missionis, quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta, neque umquam fit sui iuris, seu nulli potestati obnoxia ». — PIUS XII, *Allocuzione ai partecipanti alla VI settimana di aggiornamento pastorale, A.A.S.,* 48 (1956), p. 709: « Particolari circostanze nel più recente periodo della vita ecclesiastica c'indussero a dire, nelle Nostre due allocuzioni al Sacro Collegio e all'Episcopato del 31 maggio e del 3 novembre 1954, una parola sul fondamento del magistero *iure divino* del papa e dei vescovi e sull'insegnamento dei teologi, i quali non per diritto divino, ma per delegazione della Chiesa, esercitano il loro ufficio, e quindi rimangono sottoposti alla autorità e alla vigilanza del legittimo Magistero. Se essi come teologi sono attivamente interessati nell' " Orientamento " e adducono argomenti scientifici, avrebbe potuto presentarsi il quesito se la parola dei teologi o quella del Magistero della Chiesa offre maggior peso e garanzia di verità. Al quale proposito nella Enciclica *Humani generis* si legge: " Quod quidem depositum (fidei) ... nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio... Quare decessor Noster imm. memoriae Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addidit verba: eo ipso sensu, quod ab Ecclesia definita est ". Decisiva dunque per la conoscenza della verità non è già la *opinio theologorum,* ma il *sensus Ecclesiae.* Altrimenti sarebbe fare dei teologi quasi " Magistri Magisterii "; il che è un evidente errore ».

[16] PIUS XII, Alloc. *Si diligis,* l. c., pp. 42-43.

[17] PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis, A.A.S.,* 42 (1950), p. 569: « Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio ». - Constitutio *De Ecclesia,* cap. *De Magisterio,* § 5.

[18] PIUS X, Litt. Encycl. *Pascendi dominici gregis,* d. 8 sept. 1907, *Ench. Cler.* n. 806; PIUS XII, *Humani generis, A.A.S.,* 42 (1950).

[19] Sequuntur enim immediate Caput II *De ratione docendi Sacram Scripturam* et Caput III *De Doctrina S. Thomae servanda.*

CAPUT II

DE RATIONE DOCENDI SACRAM SCRIPTURAM

Cum in instituendis Sanctae Matris Ecclesiae ministris Sacra Scriptura locum principem obtinere debeat atque eo firmius Christo Sacerdoti conformentur alumni quo profundiorem Sacrae Scripturae habeant cognitionem, iuxta illud Sancti Hieronymi: « Ignoratio scripturarum ignoratio Christi est »;[1] cum vero in huiusmodi disciplina tradenda propter ipsius verbi Dei sublimitatem necnon ob nova a progressu scientiarum orta problemata, eximia cura sit adhibenda, haec Sancta Oecumenica Synodus, ut iis quae in Constitutione de Fontibus Revelationis statuuntur, ipsa quoque Sacram Scripturam docendi ratio plene respondeat, has normas sequendas decernit.[2]

1. Omnes qui Sacrae Scripturae studio incumbunt Sancti Spiritus auxilio se indigere sciant, cum ea « quae a Deo donata sunt nobis », non spiritu huius mundi, sed Spiritu qui ex Deo est, scrutanda sint. Sacrae Scripturae magistri vero meminerint se munere fungi nomine Ecclesiae « quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos et interpres constituta est ».[3] Vivo Ecclesiae Magisterio igitur fidelissime inhaerentes, doctrinae revelatae non autem scientiae humanae, quantumvis insignis, agant magistros. Quare ad docendam Sacram Scripturam vocentur nonnisi ii qui debito studiorum curriculo expleto ac congruis gradibus academicis obtentis Sacra Theologia non minus ac linguarum antiquarum cognitione et criticae artis subsidiis profunde instructi, sana ac tuta doctrina eniteant, normis ab Apostolica Sede de re latis propriam docendi rationem omnino conforment ac sedulo curent ut alumni sacrarum litterarum incumbentes studiis Auctores omni exceptione maiores prae manibus habeant.[4]

2. In Sacra Scriptura tradenda initium sumatur ab origine divina sacrarum litterarum. Hinc doctrina catholica de inspiratione quam diligentissime exponatur; praecipuum eius consectarium, id est inerrantia, statuatur et declaretur « cognitis accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus »;[5] veritas historica et obiectiva Sacrae Scripturae sarta tectaque conservetur.[6] Interpretationis leges explanentur et diiudicentur. Ipsi vero Magistri interpretandi munere ita fungantur ut litteralem textuum et librorum sensum reperiant et exponant, ratione habita declarationum Magisterii Ecclesiae, interpretationum Sanctorum Patrum et analogiae fidei. Spiritualem seu typicam quoque verborum et gestorum significationem, dummodo eam a Deo intendi rite constet, debito modo explanare curent.[7]

3. Cum ingens rerum biblicarum copia nequeat tota tradi, curet potissimum magister clare monstrare quae sint doctrinae tum in Vetere tum in

Novo Testamento a Spiritu Sancto propositae: quae sit ratio atque coniunctio inter utrumque Testamentum: quae revelationis ab exordiis ad Christum et Apostolos detur historica progressio.

Ad accuratiorem explicationem seligantur ex Vetere Testamento imprimis doctrina de generis humani primordiis, Prophetarum textus quidam insignes et Psalmi qui sunt ipsius Ecclesiae preces quotidianae; ex Novo Testamento praecipue vita Iesu Christi ordinate tradatur, et Sancti Pauli Epistulae diligenter explicentur.

Insuper, in Facultatibus et Studiorum Universitatibus Professores peculiares quaestiones deligant penitiori indagationi subiiciendas, ad maiorem doctrinae sacrae profectum. Quaestionum nondum enodatarum solutionem quaerant eam quae cum Ecclesiae doctrina concordet et certis scientiae profanae conclusionibus satisfaciat; ac sancte caventes, ne fidei veritates laedantur neve fideles ipsique sacerdotes circumferantur omni vento doctrinae (cf. *Eph.* 4, 14), id mereantur, magistra semper Ecclesia, obtinere ut integra veritas divina clarius appareat, fortius possit vindicari, profundius adoretur.[8]

4. Magistri rei biblicae in singulis libris vel textibus imprimis ipsum verbi Dei inaestimabilem thesaurum ita patefacere quaerant, ut divinae Scripturae usus in universam influat Theologiam eiusque prope sit anima; sacrorum alumnos edoceant quantum Scripturae divinitus inspiratae cognitio et amor conferant « ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus » (cf. *II Tim.* 3, 16); futuros sacerdotes Dei sermoni vivo et efficaci (cf. *Hebr.* 4, 12) ita reddant familiares, ut « non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis », sed « in doctrina Spiritus » (cf. *II Cor.* 2, 4, 13) laetum nuntium communicare discant.[9]

Schema decreti definitive approbatum est in V Conventu generali Commissionis de Studiis et Seminariis (10-16 decembris 1961) unanimi Membrorum suffragio.

NOTAE

[1] S. Hieronymus, *In Isaiam Prol.* (*PL* 24, 17).

[2] De ratione docendi S. Scripturam in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis recenter agitur imprimis in Instructione Pont. Commissionis Biblicae, d. 13 maii 1950, *Ench. Bibl.* nn. 582-610.

[3] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Humani generis,* d. 12 aug. 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 569.

[4] Instructio Pont. Commissionis Bibl., *Ench. Bibl.* n. 579: « In exegetica expositione, magister ne umquam obliviscatur Ecclesiae a Deo traditam esse Sacram Scripturam non solum custodiendam, sed etiam interpretandam. Quare sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere ».

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* d. 30 sept. 1943, *Ench. Bibl.* n. 560.

[6] Cf. Monitum Supr. Congr. S. Officii, d. 20 iunii 1961, *A.A.S.,* 53 (1961), pp. 507 sq.

[7] *a*) Circa *inspirationis* doctrinam: cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Providentissimus Deus,* d. 18 nov. 1893, *Ench. Bibl.* n. 125; BENEDICTUS XV, Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus,* d. 15 sept. 1920, *Ench. Bibl.* n. 448.

b) Circa *inerrantiam*: cf. *Ench. Bibl.* n. 124; PIUS XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu, Ench. Bibl.* nn. 539-540: « Hanc igitur, quam Decessor Noster Leo XIII tanta cum gravitate doctrinam exposuit, Nos quoque auctoritate Nostra proponimus et, ut ab omnibus religiose teneatur, inculcamus ».

c) Quoad *obiectivam et historicam veritatem* S. Scripturae: cf. *Spiritus Paraclitus, Ench. Bibl.* n. 462; et tandem *Monitum Supr. Congregationis S. Officii,* d. 20 iunii 1961: « Biblicarum disciplinarum studio laudabiliter fervente, in variis regionibus sententiae et opiniones circumferuntur, quae in discrimen adducunt germanam veritatem historicam et obiectivam Scripturae Sacrae non modo Veteris Testamenti (sicut Summus Pontifex PIUS XII in Litteris Encycl. *Humani generis* iam deploraverat), verum et Novi, etiam quoad dicta et facta Christi Iesu.

Cum autem huiusmodi sententiae et opiniones anxios faciant et Pastores et christifideles, Em.mi Patres, fidei morumque doctrinae tutandae praepositi, omnes, qui de Sacris Libris sive scripto sive verbo agunt, monendos censuerunt ut semper debita cum prudentia ac reverentia tantum argumentum pertractent, et prae oculis semper habeant SS. Patrum doctrinam atque Ecclesiae sensum ac Magisterium, ne fidelium conscientiae perturbentur neve fidei veritates laedantur », *A.A.S.,* 53 (1961), p. 507 sq.

d) Normae pro exegesi catholica observandae: cf. *Instructionem Pont. Comm. Biblicae, Ench. Bibl.* n. 598; PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis, Ench. Bibl.* n. 612.

[8] Cf. *Instructionem Pont. Comm. Biblicae, Ench. Bibl.* nn. 593-597.

[9] « Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem Divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et praestiterunt » (*Providentissimus Deus, Ench. Bibl.* n. 114).

Quis sit finis, quae indoles lectionum Sacrae Scripturae quibus alumni instituantur, eo definitur quod ad futuros sacerdotes et apostolos parandos diriguntur...

« His enim lectionibus potissimum obtinendum est, ut futuri sacerdotes intellegant sibique persuadeant Sacros Libros tam ad fovendam suam ipsorum propriam vitam sacerdotalem quam ad munera sacerdotalia cum fructu peragenda plurimum conferre. Quapropter magister alumnis suis, nequaquam contentus, ut rerum biblicarum notitias et cognitiones utiles et necessarias tradat, data occasione id quoque naviter ipsis ostendat, quomodo Sacrarum Scripturarum solida cognitione, assidua lectione, pia meditatione vitae propriae sacerdotalis sanctitatem alere, firmare, promovere ministeriumque apostolicum, maxime sacrae concionis et institutionis catecheticae, fecundum reddere possint » (*Instructio Pont. Comm. Biblicae* citata, *Ench. Bibl.* n. 601).

CAPUT III

DE DOCTRINA S. THOMAE SERVANDA

1. Cum de studiis ecclesiasticis ordinare ad Apostolicae Sedis auctoritatem pertineat,[1] mirum non est si pluries Summi Pontifices instanter de re tam gravi providentes S. Thomam Aquinatem enixe laudaverint [2] illumque omnibus catholicis scholis proposuerint, utpote qui doctrina sua synthetica traditionis ecclesiasticae documenta nec non veterum doctorum sententias aperto animo collegerit, admirabili ordine digesserit ac magnis incrementis adauxerit.[3] Cuius doctrinam, cum prae ceteris consentanea sit et veritatibus Deo aperiente cognitis et Sanctorum Patrum documentis et rectae rationis principiis, Ecclesia Sancta sibi tamquam suam sumpsit [4] eiusdemque auctorem appellavit Doctorem Communem, id est universalem.[5]

2. Quam Doctoris Angelici electionem a quinque postremis Summis Pontificibus, ob errores e philosophia moderna in schola catholica tunc irruentes,[6] iterum atque iterum factam et confirmatam, suam solemniter facere decrevit sacrosancta oecumenica Synodus atque philosophiae et theologiae cultoribus denuo mandat ut S. Thomae Aquinatis doctrinae sedulo studeant, omnibus autem, quibus ab ipsa Ecclesia aliquod munus docendi concreditum est, ut eam fideliter teneant.[7]

3. Hanc vero sanctam legem sic reiterando, neque antiquae traditioni vel sapientiae Patrum aut aliorum catholicorum Doctorum derogare neque legitimam libertatem in veritatis cuiuscumque novae indagatione coarctare intendit oecumenicum Concilium;[8] sed omnibus ducem et exemplar proponere, qui eo firmius ac serius ad integram et liberam veritatis determinationem perducere valeat.[9] Nam qui Doctorem Angelicum magistrum eligunt, non tantum ad diversissimos et ditissimos traditionis fontes ducuntur, sed etiam eius magisterio egregie instruuntur ad falsa dogmata refellenda atque ad philosophiae vel theologiae cultorum placita quamvis aliena diiudicanda, rectificanda et illa quae probari possunt assumenda; et ipso duce in rationis exercitio ad eum libertatis usum, qui fidei christianae perfecte concordat, efficacissima paedagogia initiantur.[10] Rationem enim, ut par est, a Fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit.[11]

4. Universalis ergo auctoritas quam Ecclesia tribuit D. Thomae, non modo mere statico, sed sensu proprio et dynamico intelligenda manet, ita quidem ut omnes qui philosophicis et theologicis disciplinis dant operam in ipsis Angelici Doctoris scriptis eiusdem *doctrinam, rationem et propria principia,* sicut constanter monet Ecclesiae Magisterium, sedulo inquirant iisque informati tum progredientis aetatis inventa apte interpretari, tum novas exsurgentes quaestiones funditus solvere addiscant.[12]

5. Hanc S. Thomae universalem vindicationem, iam in Ecclesiae lege positam, agnoscit et confirmat Sacrosancta Oecumenica Synodus. Quam primo pro ecclesiasticis magistris, sed et pro eis qui in Universitatibus aliisque scholis docent, vigere statuit illamque deinde etiam ad ipsos christifideles extendi sua auctoritate disponit, ad illos potissimum qui in apostolatu quodam munere funguntur,[13] ita ut omnes, tali doctrina pro statu et captu suo fideliter imbuti, ipsius veritatis universalitatem percipere valeant et ad Christi revelationem melius cognoscendam, duce Doctore Angelico, securius firmiusque perveniant.

Schema definitive approbatum est in VI Conventu Generali Commissionis de Studiis et Seminariis (1-10 martii 1962); 32 Sodales suffragium dederunt « Placet », unus « Non placet ». Insuper a Commissione approbata sunt « Additamenta ad Schema Decreti », in fine notarum posita; quae additamenta, ex Commissionis mente, considerantur particularis nota integrativa ad schematis n. 4. In eis enim exponuntur quaedam prima principia tum philosophica tum theologica, quae ab Angelico Doctore ut fundamentum totius ulterioris investigationis traduntur.

NOTAE

N. B.: 1) Amplissimam documentationem restringimus consulto ad Acta officialia quae ad universam Ecclesiam diriguntur quaeque mentem SS. Pontificum recentium plene aperiunt.

2) Quae de S. Thomae doctrina dicuntur de mente Doctoris Angelici intelligi debent primo et per se prout in suis operibus manifestatur, quin haec ad Scholam thomisticam simpliciter extendantur.

[1] « Patet quod ordinare de studio pertinet ad eum qui praeest reipublicae, et praecipue ad auctoritatem Sedis Apostolicae, qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur » (S. THOMAS AQ., *Contra impugnantes cultum Dei et religionem,* c. 2, n. 68; *Opusc. theol.* ed. Taur. 1954, t. I, p. 21 a). Haec verba citantur a S. PIO X in Motu Proprio *Doctoris Angelici* (initio): cf. infra notam [5].

[2] Laudes et commendationes SS. Pontificum de doctrina S. Thomae breviter collegit LEO XIII in Litt. Encycl. *Aeterni Patris*; fusiusque ordine chronologico descripsit: J. I. BERTHIER, *S. Thomas Aquinas " Doctor Communis " Ecclesiae,* Romae, 1914. Ad synthesim redegerunt inter alios: J. MARITAIN, *Le Docteur Angélique,* Paris 1930, p. 197 ss.; S. SZABO, *Die Auktorität des hl. Thomas von Aquin in der Theologie,* Regensburg-Rom 1919; I. UDE, *Die Auktorität des hl. Thomas von Aquin als Kirchenlehrer und seine " Summa Theologica ",* Salzburg 1932; R. MARKOVICS, *Grundsätzliche Vorfragen einer methodischen Thomasdeutung,* Rom 1956; C. FABRO, *Breve introduzione al Tomismo,* Roma 1960. Documenta Pontificia ad rem respicientia usque ad a. 1932 damus secundum *Enchiridion Clericorum* editum a S. Congr. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Romae 1938. Cetera sequentia ex *A.A.S.*

[3] Verba haec sunt LEONIS XIII in Litt. Encycl. *Aeterni Patris* (4 aug. 1879) in quibus S. Thomas declaratur sicut ille « ... qui inter Scholasticos Doctores, om-

nium princeps et magister, longe eminet ». Post verba citata S. P. primo laudat plenitudinem sapientiae et methodi aptitudinem S. Thomae: apud *Enchiridion Clericorum,* n. 416, p. 226.

Deinde laudat S. Pontifex firmitatem principiorum et methodi amplitudinem S. Thomae in philosophia utpote qui *maximus fuit interpres ipsius aptitudinis naturalis rationis ad veritatem*: *Ench. Cler.,* n. 417, p. 226 s.

[4] PIUS XI: « Nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus ut non modo Angelicum, sed etiam Communem seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit » (Litt. Encycl. *Studiorum Ducem, Ench. Cler.,* n. 1174, p. 626).

Haec verba resumpta sunt a S. P. IOANNE XXIII f. r.: « Cuius (S. Thomae) doctrinam, cum prae ceteris consentanea esset et veritatibus, Deo aperiente, cognitis, et Sanctorum Patrum documentis, et rectae rationis principiis, Ecclesia sancta sibi tamquam suam sumpsit, eiusdemque auctorem appellavit Doctorem Communem, hoc est universalem » (cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Studiorum Ducem, A.A.S.,* 1923, p. 314). *Oratio* a S. P. IOANNE XXIII habita coram membris V Congressus Thomistici Internationalis die 16 septembris 1960; *A.A.S.,* 52 (1960), p. 821.

[5] Indicantur *Acta praecipua* seu officialia, utpote ad universam Ecclesiam directa.

LEO XIII (1878-1903), Litt. Encycl. *Aeterni Patris,* d. 4 aug. 1879. — S. PIUS X (1903-1914), Motu Proprio *Doctoris Angelici,* 29 iun. 1914. Mox cum connexione ad Motu Proprio S. P., S. Congreg. Studiorum proposuit cum adprobatione S. Pontificis XXIV « principia et pronuntiata maiora » S. Thomae quae « sancte teneantur » (d. 27 iul. 1914). — BENEDICTUS XV (1914-1922) iubet in novo Codice Iuris Canonici sive religiosos (can. 389, 1), sive clericos quosve (can. 1366, 2) S. Thomam veluti magistrum habere. — PIUS XI (1922-1937), dat Litt. Encycl. *Studiorum Ducem* in quibus in initio praescriptionem Codicis I. C. confirmat et laudes Alexandri IV (qui S. Doctorem a. 1256 promoveri Parisiis fecit) et praesertim IOANNIS XXII (qui illum a. 1318 canonizavit) memorat: « Ipse (S. Thomas) plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in cuius libris plus proficit homo uno anno quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae » (*Ench. Cler.*, n. 1174; S. C. de Sem. et Stud. Univ., Romae 1937, p. 625). — PIUS XII (1939-1958) renovat praescriptionem Codicis I. C. pro religiosis in Const. Apost. *Sedes Sapientiae* (Art. 44, § 2), pro omnibus studio addictis in Litt. Encycl. *Humani Generis,* d. 12 aug. 1950, et in Allocutione ad eos qui IV Conventui Internat. Thomistarum interfuerunt Romae die 14 sept. 1955 (*A.A.S.,* 32, 1950, p. 571 ss.; 47, 1955, p. 683 s., 691).

[6] LEO XIII, Litt. Encycl. *Aeterni Patris* (*Ench. Cler.,* n. 398; ed. cit., p. 212).

Errores praecipui in Theologia, qui saec. XIX apud catholicos ab Ecclesia damnati sunt, indicantur: *Indifferentismus* F. De Lamennais (GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832; DENZ. nn. 1613-1616); *Traditionalismus* L. E. Bautain et Aug. Bonetty (GREGORIUS XVI, Breve die 20 dec. 1835 et PIUS IX Decr. S. Congr. Indicis die 15 iun. 1855; DENZ. nn. 1622-1627, 1649-1652); *Criticismus idealisticus* G. Hermes, Günther et J. Frohschammer (GREGORIUS XVI, Breve *Dum acerbissimas,* 26 sept. 1835, in quo explicite damnantur « ... impiae

et insidiosae quorumdam scriptorum molitiones » [DENZ. nn. 1618-1621]; PIUS IX, Breve *Eximiam Tuam,* 15 iun. 1857, contra Günther, qui principia novae philosophiae ab Hermes in methodologia theologica assumpta, ad « demonstranda » mysteria suprema fidei, praesertim Trinitatis et Incarnationis, extendebat [DENZ. nn. 1655-1658]; PIUS IX, Epist. *Gravissimas inter* ad Archiep. Monac. die 11 dec. 1862 contra Frohschammer [DENZ. nn. 1666-1676]). J. Frohschammer minime se subiecit, immo contra Litt. Encycl. *Aeterni Patris* opus senectutis rescribere ausus est: *Die Philosophie des hl. Thomas von Aquin,* Leipzig, Brockhaus, 1889. In iuventute iam scripserat: *Ueber das Recht der neueren Philosophie gegenüber der Scholastik,* München 1863. — Nostra aetate facile principes in impugnando Thomismo inter Catholicos est presb. J. HESSEN qui neokantianorum aperte sequitur semitas (cf. eiusdem: *Die Weltanschauung des hl. Thomas von Aquin,* Stuttgart 1926; II ed. cum titulo: *Thomas von Aquin und wir,* München-Basel 1955).

[7] S. PIUS X in Motu Proprio *Doctoris Angelici, Ench. Cler.,* n. 829; ed. cit., p. 492. Iam eadem ederat S. Pontifex in Litt. Encycl. *Pascendi,* 1907: *Ench. Cler.,* n. 805; ed. cit., p. 437 s. Quae praescripta sunt in *C.I.C.* a S. Pio X parato et a Benedicto XV promulgato, can. 1366, 2: *Ench. Cler.,* n. 1040; ed. cit., p. 526. Pro religiosis eadem statuuntur: can. 389, 1. PIUS XI, Litt. Encycl. *Studiorum Ducem,* 29 iun. 1923: « *Studiorum Ducem* sacrae iuventuti in maioribus disciplinis..., *Iuris Canonici* statuta confirmantes, habendum esse ediximus *Thomam Aquinatem* » (*Ench. Cler.,* n. 1174; ed. cit., p. 624).

[8] Illud etiam innuit expresse PIUS XI: Litt. Encycl. *Studiorum Ducem, Ench. Cler.,* n. 1178; ed. cit., p. 628.

[9] Iam LEO XIII hanc magnanimitatem S. Thomae doctrinae declarabat: Litt. Encycl. *Aeterni Patris; Ench. Cler.,* n. 417; ed. cit., p. 226 s. Haecque firmiter fusiusque resumpsit S. PIUS X: Motu Proprio *Doctoris Angelici, Ench. Cler.,* n. 890; ed. cit., p. 490 s. Eadem fere proposuerunt BENEDICTUS XV (*A.A.S.,* VI, 1914, p. 576), PIUS XI (*A.A.S.,* XV, 1923, p. 324) et PIUS XII (*A.A.S.,* XXXI, 1939, p. 246 s.). Notionem thomisticam libertatis, contra licentiam modernorum, commendat adhuc LEO XIII: Litt. Encycl. *Aeterni Patris, Ench. Cler.,* n. 426; ed. cit., p. 232 s.

[10] S. PIUS X, Motu Proprio *Doctoris Angelici, Ench. Cler.,* n. 889; ed. cit., p. 490. Hoc universalis defensionis munus S. Thomae doctrinae contra haereses tribuit etiam LEO XIII: Litt. Encycl. *Aeterni Patris, Ench. Cler.,* n. 420; ed. cit., p. 229 s.

Antithomismum Reformatorum, de cetero notum apud historicos theologiae, tangit LEO XIII: Litt. Encycl. *Aeterni Patris, Ench. Cler.*, n. 420; ed. cit., p. 229 s. — Etiam S. PIUS X: Motu Proprio *Doctoris Angelici, Ench. Cler.,* n. 890; ed. cit., p. 491.

[11] LEO XIII: Litt. Encycl. *Aeterni Patris, Ench. Cler.,* n. 417; ed. cit., p. 227. Aptitudinem humanae mentis ad veritatem atque concordiam seu harmoniam fidei et rationis ponit veluti principium methodologicum in propria activitate doctrinali Doctor Angelicus: textus classicus est *Expositio super librum Boethii De Trinitate* per totam (praes. q. I, aa. 1-2; q. II, aa. 1-3; q. III. aa. 1-2; q. V, a. 4; q. VI, aa. 2-4); cf. etiam: *In I Sent.* Prologus, a. 1, *Utrum praeter physicas disciplinas alia doctrina sit homini necessaria.* - *Summa contra Gentiles,* lib. I, c. 4: *Quod veritas divinorum ad quam naturalis ratio pertingit convenienter ho-*

minibus credenda proponitur. - *Summa Theol.* I, q. I, a. 1: *Utrum sit necessarium praeter philosophicas disciplinas aliam doctrinam habere.* Analysim historico-doctrinalem huiusmodi novae methodologiae theologicae dedit doctissimus historicus Thomismi M. GRABMANN: *Die theologische Erkenntnis– und Einleitungslehre des Thomas von Aquin auf Grund seiner Schrift in Boethium de Trinitate,* Thomist. Studien IV, Freiburg i. d. Schweiz 1948.

[12] Secundum normam *C.I.C.,* can. 1366, 2: « Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris *rationem, doctrinam* et *principia,* eaque sancte teneant » (*Ench. Cler.,* n. 1040; ed. cit., p. 526). Pro religiosis, can. 589, 1. Commendatio et assumptio doctrinae S. Thomae ab omnibus fere ordinibus religiosis commemorantur a LEONE XIII in Litt. Encycl. *Aeterni Patris* (*Ench. Cler.,* n. 418; ed. cit., p. 217). Ipsos quoque Franciscanos ad S. Thomae sequelam vocavit idem S. Pontifex in Epist. *Nostra erga* ad Ministrum Generalem, 25 nov. 1898 (*Acta Leonis XIII,* vol. XVIII, p. 188 n.). Formula *C.I.C.* redit deinde habitualiter in documentis pontificiis: ultimo in Alloc. S. Pont. IOANNIS XXIII ad Rectores Seminariorum: « ... Anzitutto una soda formazione filosofica cristiana, secondo i principi, la dottrina, il metodo di S. Tommaso, che dia all'alunno di oggi e all'uomo di domani equilibrio di giudizio, profondità di vedute, buon senso e maturità intellettuale. Alla luce di quei principi chiarificatori potranno essere giudicati nel loro giusto valore i vasti movimenti culturali e letterari, le correnti del pensiero moderno, le lacune e i pericoli del tecnicismo » (*A.A.S.,* 1961, p. 564).

« Ratio » de qua in *C.I.C.* secundum pontificia documenta intelligitur « ratio seu methodus scholastica », seu per formam stricte *argumentativam* sive syllogisticam (*Ench. Cler.,* n. 1127; ed. cit., p. 584 s.). In huiusmodi methodi exercitio stricte ad propria principia S. Thomae attendendum esse graviter monet S. PIUS X in Motu Proprio *Doctoris Angelici*:

a) Non agitur de commemoranda Scholastica quadam generica, sed *unice* — et non tantum *praecipue* — de illa quae principiis S. Thomae nititur (*Ench. Cler.,* n. 889; ed. cit., p. 490).

b) Haec principia non ut opinionum capita sed ut *fundamenta* in veritatis sive naturalis sive supernaturalis investigatione sunt accipienda (l. c., n. 890; ed. cit., p. 491).

c) Monentur qui Philosophiae et Theologiae dant operam ne ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discedant, cum hoc *non sine magno detrimento erit* (*Ench. Cler.,* n. 491; ed. cit., p. 491).

d) *Principia* S. Thomae seu *pronuntiata maiora* stricte accipienda et recte sunt interpretanda (*Ench. Cler.,* n. 491; ed. cit., p. 491 s.).

e) Unde adprobatio doctrinae alicuius Doctoris vel Sancti, quae ab Ecclesia facta fuerit, hoc sensu intelligenda manet dummodo talis doctrina cum principiis Aquinatis concordat aut iis haudquaquam repugnet (*Ench. Cler.,* n. 491; ed. cit., p. 491).

Huiusmodi *principia seu pronuntiata maiora* vel theses numero XXIV, de ipsius S. Pontificis mandato, edidit S. C. Studiorum die 27 iulii 1914 (*Ench. Cler.,* nn. 894-918; ed cit., p. 493 ss.): quae nunc, ope methodi progressionis et novarum investigationum, possent sive in strictiori adhuc forma redigi sive ad alias partes (v. g. ad *ethicam,* ad ius *naturale,* ad *oeconomiam,* ad *politicam*...) extendi.

Immo *suadetur similis elenchus etiam pro principiis theologiae* sive speculativae, sive practicae.

[13] IOANNES XXIII f. r. in Allocutione ad participantes in V Conventu Thomistico Internationali: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 821.

ADDITAMENTA AD DECRETUM « DE S. THOMAE DOCTRINA SERVANDA »

N. B.: Haec additamenta ad ipsum schema decreti non pertinent.

1. Iam vero, si a philosophicis disciplinis exordiamur, philosophiam proprie sapientiam vocat Angelicus Doctor utpote quae causas ultimas totius universi considerat eiusque Finem ultimum, qui est simul origo omnis veritatis et primum essendi principium, per rationis lumen investigare habet.[1] Vocatur ergo *scientia veritatis* philosophia, in quantum ex intrinseca primorum principiorum evidentia ad rerum naturas cognoscendum procedit per ipsum naturalis rationis lumen cui omnes assentire coguntur.[2] *Capacitatem* seu aptitudinem *mentis humanae ad veritatem inveniendam* ex ipso lumine rationis,[3] utpote participatio quaedam est luminis divini,[4] agnoscere necesse est.

Proprium ergo munus philosophiae est intrinsecam evidentiam rationum quae afferuntur inquirere secundum proprium mentis obiectum: proinde ad res ipsas, non vero ad hominum opiniones attendendum esse, proclamat S. Thomas, eo quod « studium philosophiae non est ad hoc quod sciatur quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum ».[5]

2. Iura rationis proinde atque philosophiae christianae singularem dignitatem miro modo vindicat Angelicus Doctor:[6] cognitionis essentiam in praesentia vel assimilatione ipsius obiecti in anima manifestari,[7] propriam veritatis rationem in adaequatione seu conformitate mentis ad res ipsas consistere;[8] adaequatum vero obiectum seu primam et fundamentalem apprehensionem mentis humanae esse *notionem entis* in quantum ens connotat actum essendi seu esse, in quo omnia principia fundantur;[9] *principia prima,* quae dynamismum notionis entis patefaciunt et sine qua intelligi nequeunt, esse: *principium contradictionis* quod « non est simul affirmare et negare » quodque exigentiam ipsam veritatis in sua evidentia intellectuali statuit;[10] *principium totalitatis* scil. quod « omne totum est maius sua parte » [11] et *principium exclusi tertii* scil. « quae uni et eidem sunt aequalia, sibi invicem sunt aequalia »,[12] *principium causalitatis* quod dependentiam entis per participationem sive finiti ab Infinito seu Ente per essentiam sive etiam entium finitorum inter se affirmat;[13] *principium finalitatis* quod ordinem sive proportionem mediorum ad finem in cursu naturae et in vita intellectuali innuit atque omnia sive corporalia sive spiritualia divina regi Providentia plane ostendit.[14]

3. *Ad Dei cognitionem quod attinet* quaedam ergo sunt ad quae etiam ratio naturalis sive e rebus sensibilibus sive ex humanae activitatis experientia pertingere potest discurrendo veluti ab effectibus ad ultimam Causam: sicut est Deum esse, Deum esse unum, bonum, verum, omniscium, omnipotentem, infinitum, personalem, creatorem omnium rerum atque finem ultimum humanae vitae quaeque suo modo etiam antiqui philosophi demonstrative de Deo probaverunt ductu naturalis lumine rationis.[15] *Ad hominis naturam investigandam* ea quae a S. Doctore dicuntur de animae ad corpus unione substantiali,[16] atque de intellectus cum sensu, propria connexione exinde sequente,[17] de liberi arbitrii ratione atque fundamento,[18] de animi spiritualitate eiusque immortalitate;[19] exinde personae humanae magna dignitas quae in rationalis naturae subsistentia consistit[20] qua homo habet ordinem immediatum ad ipsum Deum atque capax Dei quodammodo efficitur.[21]

4. *Activitatem moralem* in tendentia ad ultimum finem per liberi arbitrii electionem ditiori sapientia exponit Angelicus Doctor.[22] Initium seu fons huiusmodi moralis activitatis ponuntur prima principia rationis practicae, quae habitum synderese os constituunt quaeque principia sunt iuris naturalis atque semina quaedam virtutum moralium[23] quorum primum venit illud quod bonum est faciendum et malum vitandum.[24] Haec vero prima principia legem naturalem constituunt quae participatio quaedam est legis aeternae in rationali creatura:[25] huic legi homo conformari mores suos tenetur per virtutum moralium exercitium, quibus firmius malum fugiat bonum prosequatur,[26] quaeque naturam humanam ad ultimum finem proxime ordinant atque ad vitae aeternae elevationem aliquo modo disponunt per gratiae donum participandum.[27]

In Sacra Theologia exponenda S. Thomam vel pleniore sapientia procedere haud difficile est ostendere, utpote qui consulto ipsius sacrae doctrinae novitios breviter ac dilucide instruere cum confidentia divini auxilii se prosecutum esse expresse testatur.[28]

a) *Fontes divini Verbi* sedulo investigans et traditioni ac supremo Ecclesiae magisterio firmiter obsequens,[29] veritates in revelatione implicitas modo analytico explicat et deducit easque secundum ordinem disciplinae in synthesim organicam reducit.

b) *Rationem a fide apprime distinguens,* fidem theologicam ad veritates supernaturales cognoscendas esse necessariam S. Doctor posuit:[30] lumen autem fidei, quod est quasi sigillatio primae veritatis in mente non potest fallere sicut Deus non potest decipere nec mentiri.[31]

c) *Ad Romani Pontificis auctoritatem,* utpote qui Vicarius est Christi et toti Ecclesiae praeest proprie et per se pertinere novam Symboli editionem ordinare, Synodum generalem congregare omniaque alia quae ad totam Ecclesiam pertinent disponere, Angelicus expresse docet.[32]

d) Pariter *naturae possibilitatem* seu capacitatem in suo ordine plane agnoscens, eam a gratia ita seiungit ut simul absolutam ordinis supernaturalis gratuitatem cum hominis naturali libertate servet.[33]

5. Doctrinae sacrae culmen est *Primatus Dei* sive secundum quod in se est sive secundum quod est principium rerum et finis earum,[34] et specialiter rationalis creaturae.[35]

Quare totam salutis dispensationem quasi tribus gradibus vel stadiis sic evolvit ut creatura rationalis a Deo procedens, sed per peccatum lapsa ad Deum redeat seu erigatur per Christum qui, secundum quod est homo, nobis est via tendendi ad Deum.[36]

6. Cum vero nonnisi in Deo ultimus hominis finis et perfecta beatitudo inveniantur, moralis consideratio in sacra doctrina nihil aliud est quam scientia ultimi finis eorumque quibus hominis libertas, per gratiam Christi, ad Deum pervenire possit.[37]

N. B.: Quod autem attinet ad illa « pronuntiata maiora » seu 24 theses, quas S. Congr. Studiorum de mandato S. Pii X edidit die 27 iul. 1914 (cf. *Ench. Cler.* nn. 894-918; et cf. *Acta et Documenta Conc. Oec. Vat. II apparando,* Series I, vol. III, pp. 348-350), mens Commissionis haec fuit:

Huiusmodi theses, ope ulterioris investigationis tum historicae tum critico-theoreticae a coetu peritissimorum in re instituendae, strictiore forma redigantur et ad alias quoque philosophiae partes extendantur (v. gr. ad ethicam, ius naturale, oeconomiam, philosophiam historiae et religionis, aestheticam etc.).

NOTAE

1 *C. Gent.* I, a. 1; Leon. man. p. 1 ab.
2 *C. Gent.* I, a. 2; Leon. man. p. 2 b.
3 *S. Th.* I^a-II^{ae}, q. 109, a. 1.
4 *S. Th.* I^a, q. 84, a. 5.
5 *In I De coelo et mundo,* lect. 22; ed. Parm. t. XIX, p. 58 b.
6 Litt. Encycl. *Humani Generis, A.A.S.,* 42 (1950), p. 571 ss.
7 *S. Th.* I^a, q. 12, a. 1.
8 *S. Th.* I^a-II^{ae}, q. 94, a. 2.
9 *In I Sent.* d. 8, q. I, a. 3 (Mandonnet I, 200); *De Pot.* q. IX, a. 7, ad 13; *Comp. Theol.* c. 219.
10 *In IV Metaph.* lect. 6, num. 605; ed. Cathala.
11 *S. Th.* I^a-II^{ae}, q. 51, a. 1; *C. Gent.* I, a. 10.
12 *S. Th.* I^a-II^{ae}, q. 94, a. 2.
13 *S. Th.* I^a, q. 2, a. 3 (5 viae); q. 44, a. 1 (de creatione).
14 *S. Th.* I^a, q. 2, a. 3 (V^a via); q. 22, a. 2; I^a-II^{ae}, q. 1, a. 4.
15 *C. Gent.* I, a. 3.
16 *S. Th.* I^a, q. 76, a. 1.
17 *S. Th.* I^a, q. 84, a. 7.
18 *S. Th.* I^a, q. 83; I^a-II^{ae}, q. 9, aa. 1, 3 et 4.
19 *S. Th.* I^a, q. 75, a. 2.
20 *S. Th.* I^a, q. 29, a. 3 ad 2um.

[21] *De Ver.* q. 22, a. 2 ad 5um; II-II^{ae}, q. 2, a. 3.

[22] *C. Gent.* lib. III; *S. Th.* I^{a}-II^{ae}; Q. disp. *De Virt. in Com.*

[23] *De Ver.* q. 14, a. 2; q. 16, a. 1; *S. Th.* I^{a}, q. 79, a. 12 et 13 ad 3; I^{a}-II^{ae}, q. 93, a. 6; q. 94, a. 1 ad 2um. — Habitus primorum principiorum dicitur etiam « scintilla animae » (*In II Sent.* d. 39, q. III, a. 1).

[24] *S. Th.* I^{a}-II^{ae}, q. 94, a. 2 (art. capitalis!).

[25] *S. Th.* I^{a}-II^{ae}, q. 91, a. 2 et ad 3um; a. 3 ad 1um; a. 4 ad 1um; q. 93, a. 2 et 3.

[26] *S. Th.* I^{a}-II^{ae}, qq. 55-56; qq. 71-81.

[27] *De Ver.* q. 27, a. 1; *S. Th.* I^{a}-II^{ae} q. 109, aa. 1-10.

[28] *S. Th.* Prologus.

[29] *S. Th.* II-II^{ae}, q. 10, a. 12; III^{a}, q. 68, a. 10; *Quodl.* II, q. 4, a. 2.

[30] *De Ver.* q. 14, a. 1; *S. Th.* II-II^{ae}, q. 2, aa. 3-8.

[31] *In Boeth. de Trin.* q. 3, a. 1 et ad 4um.

[32] *S. Th.* II-II^{ae}, q. 1, a. 10; *Ibid.* q. 11, a. 2 ad 3um, *De Pot.* q. 10, a. 4 ad 3um.

[33] *S. Th.* I^{a}-II^{ae}, qq. 109 et 112.

[34] *S. Th.* I^{a}, q. 1, a. 7.

[35] *S. Th.* I^{a}, q. 2, Prologus.

[36] *S. Th.* III^{a} Pars, Prologus.

[37] *Comp. Theol.* cc. 199-200.

APPENDIX

DE LINGUA LATINA IN STUDIIS ECCLESIASTICIS RITE EXCOLENDA [1]

1. Sancta et Oecumenica Synodus, quae in verbo Dei scripto, in cultu sacro celebrando et in Divina revelatione enucleanda ex longaeva traditione plures venerandas linguas, graecam praesertim, agnoscit atque colit, latinum sermonem Ecclesiae catholicae ministrorum insigniter proprium esse censet,[2] cum perspectum habeat eundem inde a prisco aevo thesaurum factum esse eximiae praestantiae ad ecclesiasticam traditionem asservandam, et veluti clavem qua scientiae sacrae aditus est reseratus; cum praeterea is sermo sit instrumentum quo Ecclesia suum magisterium exercet, et perspicuum unitatis signum atque aptissimum medium quo Romana Sedes universum alloquitur orbem, ecclesiastici vero viri ubique terrarum dissiti ea quae Ecclesiae Matris sunt altius promptiusque cognoscant et cum Ipsa ac inter se communicent.[3] Quae rationes ex iteratis Conciliorum et Summorum Pontificum commendationibus elucent.[4] Cum autem haec eadem Sancta Synodus compertum habeat quam gravi Ecclesiae detrimento in instituendis sacri ordinis tironibus linguae latinae studium hodie passim negligatur vel etiam oppugnetur,[5] eam constanti ac fideli cura ubique tutandam et colendam esse edicit.[6]

2. Proinde visum est Patribus statuere, ut antequam studia proprie ecclesiastica inchoantur, sacri ordinis tirones per peritos magistros, apta methodo congruoque temporis spatio hac lingua solide imbuantur.[7]

3. Eius vero scientiae et usui etiam iis annis quibus philosophiae theologiaeque incumbent, operam dabunt [8] et in potioribus disciplinis tum docendis tum discendis magistri discipulique eam congrue usurpabunt.[9]

4. Cum vero in his omnibus persequendis locorum, temporum et gentium condiciones prae oculis haberi debeant, Ordinariorum coetus in Ratione studiorum a Sancta Sede probanda proprias de cognitione et usu linguae latinae parabunt normas particularibus adiunctis adaptatas.[10]

5. Insuper secundum Ecclesiae traditiones latini sermonis cultus et studium in particularibus Facultatibus, Academiis, Institutis ita promoveatur, ut ubique viri ecclesiastici habeantur, qui non tantum ratione omnibus

sacerdotibus necessaria sed optime quippe hanc linguam callentes presso elegantique dicendi genere latine scribere et loqui valeant.[11] Quae Instituta ut in linguae latinae accommodata renovatione promovenda opportunum accipiant iuvamen et incitamentum, Academiae Romanae Latinitatis, a Patribus Concilii exoptatae [12] apte consocientur.

Textus schematis definitive adprobatus est in Sessione Generali Commissionis de Studiis et Seminariis habita diebus 2-10 octobris 1961; 33 Membra tulerunt suffragium « Placet », 4 Membra « Placet iuxta modum ».

NOTAE

[1] Schema Decreti « De lingua latina » non respicit linguam *liturgicam* Ecclesiae latinae sed tractat de sermone latino quatenus est lingua Magisterii et Regiminis Ecclesiae Universalis, ideoque in clericis instituendis maxime provehenda. Uti ex ipso exordio apparet, Decretum nullatenus excludit neque offendit alias linguas, quinimmo eas, quatenus in Ecclesiae historia ac vita particulare momentum acquisiverint, magna religione prosequitur; verumtamen necessitatem unius linguae communis Ecclesiae pro viris ecclesiasticis premit et rationes praecipuas adducit, quae iterum atque iterum in documentis Ecclesiae affirmatae prostant. Deinde status miserrimus latini sermonis apud nostrae aetatis sacrorum alumnos et ecclesiasticos viros notatur et remedia proponuntur quae sunt: institutio solida, per peritos magistros apta methodo et sufficienti temporis spatio; congruus usus; executio recta per Ordinarios; constitutio Institutorum, praesertim Academiae linguae latinae Romae condendae, ad sermonem latinum evehendum et excolendum.

[2] Latinus sermo Ecclesiae proprius est de facto, cum a primis fere Ecclesiae saeculis usurpatus sit; sed etiam ratione indolis, quatenus est universalis, immutabilis, non vulgaris, supernationalis ideoque instrumentum aptissimum et necessarium expressionis universalis et supernationalis Magisterii et Regiminis Ecclesiae Catholicae.

« Ecclesia... sermonem suapte natura requirit universalem, immutabilem, non vulgarem » (PIUS XI, Epist. Apostol. *Officiorum omnium,* d. 1 aug. 1922; *Ench. Cler.* n. 1154).

« In primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadverti volumus, linguam latinam iure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam » (S. C. Studiorum, Epist. *Vehementer sane* ad Episcopos universos, d. 1 iulii 1908; *Ench. Cler.* n. 820);

et cf. S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Epist. *Latinam excolere linguam,* d. 27 oct. 1957, *A.A.S.,* 50 (1958), 292: « Probe enim novimus hanc linguam esse sacerdotis insigniter propriam... ».

[3] In Decreto rationes praecipuae perstringuntur, quibus necessitas cognitionis et usus huius linguae elucescit. Quae rationes etiam quoad formam verborum transcriptae sunt ex documentis Ecclesiae:

Asservatur traditio ecclesiastica: Sermo latinus, a SS. Patribus et a magnis Scholae theologis egregie accommodatus et evolutus, Magisterii universalis et perennis voci receptaculum praebet firmum, uniforme, univocum (cf. S. C. Studiorum, Epist. *Vehementer sane,* d. 1 iulii 1908, Ench. Cler. n. 820).

Veluti Clavis scientiae sacrae: (cf. Leo XIII, Epist. *Depuis le jour* ad Episcopos et Clerum Galliae, d. 8 sept. 1899, Ench. Cler. n. 596), quia fontes genuinae traditionis et doctrinae ecclesiasticae vel versione latina authentica (e. gr. Versio Vulgata S. Scripturae) vel originali lingua exarati prostant [Acta plurimorum Conciliorum, Documenta RR. Pontificum et Curiae Romanae, Scripta SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum latinorum, opera theologorum praeclari nominis et momenti; acta authentica legislationis universalis (Codex Iuris Canonici latini et orientalis) et particularis (Synodi regionales et dioecesanae) etc.]. Quaevis authentica cognitio et interpretatio textu originali vel authentico fundari debet (saltem pro viris ecclesiasticis).

Instrumentum magisterii actualis: quamvis Sanctae Sedis documenta ex rationibus particularibus exarentur aliquando etiam lingua vernacula, documenta tamen auctoritatis magisterialis et iurisdictionalis pro tota Ecclesia sermone latino conscribuntur, ut ubique terrarum omnes, at praesertim uterque clerus, ipsa eodem modo accipiant et cognoscant.

« ... divinitus provisum est ut is (sermo latinus) mirifico esset usui Ecclesiae docenti » (Pius XI, Epist. Apost. *Officiorum omnium,* Ench. Cler. n. 1154; et cf. Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924, Ench. Cler. n. 1189).

Signum (*et vinculum*) *unitatis*: Sermone uno unitas et catholicitas Ecclesiae in toto orbe terrarum non solum apte ostenditur sed etiam quodammodo perficitur; sicuti enim ex confusione linguarum passim unitas extenuatur, ita ex unitate linguae consensio animorum comparatur et fovetur.

« ... eo ipso (sermone latino) Ecclesia utitur veluti ministro et vinculo unitatis... Romanus Pontifex latine universum alloquitur docetque catholicum orbem... » (Pius XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* Ench. Cler. n. 1189).

« ... perspicuum venustumque unitatis signum » (Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* d. 20 nov. 1947, *A.A.S.,* 39 [1947] 555 et cf. Ioannes XXIII, Litt. Apost. *Iucunda laudatio,* d. 8 dec. 1961, *L'Osservatore Romano,* d. 13 dec. 1961, pag. 1).

Aptissimum medium communicationis: non solum inter Romanum Pontificem et S. Hierarchiam omnesque sacros ministros, sed etiam inter ipsos viros ecclesiasticos qui communi lingua ecclesiastica utentes, absque multarum linguarum cognitione, non solum cum communi patre, sed etiam cum omnibus confratribus communicare possunt.

« Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, Sacerdotes disiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possunt » (S. C. Studiorum, Epist. *Vehementer sane,* Ench. Cler. n. 820).

[4] A medio saeculo elapso usque hodie multa habentur monita de necessitate institutionis, cognitionis, usus linguae latinae pro omnibus ecclesiasticis, praesertim pro sacrorum alumnis: *Concilia provincialia* totius Orbis Catholici: USA: Conc. Plen. Baltimorense III (a. 1884); America meridionalis: Conc. Plen. Americae Lat. (a. 1899); Anglia: Conc. Westmonasterien. (a. 1859); Gallia: Concc. Provv.: Parisien. (a. 1849), Rhemen. (a. 1849), Avenienen. (a. 1849), Albien. (a. 1850), Lugdunen. (a. 1850), Burdigalen. (aa. 1850, 1859, 1868), Senonen. (a. 1850), Aquen. (a. 1850), Bituricen. (a. 1850), Auscitanen. (a. 1851); Austria-Hungaria: Strigonen. (a. 1858), Vindobonen. (a. 1858), Pragen. (a. 1860), Colocen. (a. 1863); Germania: Colonien. (a. 1860); Hollandia: Ultraiecten. (a. 1865); Italia: Urbi-

naten. (a. 1859), Pisanum (a. 1850), Venetum (a. 1859), Siciliae (a. 1850); Orientis: Sutchnen. (a. 1803) (cf. *Collect. Lacensis,* voll. III-VI).

Vota Concilio Vaticano I exhibita a multis Episcopis, nominatim a Portugalen., Spiren., Civitatis Castellanae, a coetu theologorum Germaniae, ab episcopis Germaniae nominato (cf. MANSI, vol. 49, pagg. 324-338).

Documenta multa S. Sedis: RR. Pontificum et Curiae Romanae. Videas « Summorum Pontificum cum de humanioribus litteris tum praesertim de lingua latina documenta praecipua » collecta a S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Romae 1957; et cf. eiusdem S. Congregationis Epist. *De lingua latina rite excolenda,* d. 27 oct. 1957; et cf. Statuta Generalia adnexa Constitutioni Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 7 iulii 1956, art. 44, § 2, 2; art. 45, § 5.

[5] *Negligatur*: est factum universale, quamvis negligentia in variis regionibus sit maior vel minor. Causae sunt: regressus vel defectus studiorum classicorum in rationibus studiorum civilibus; nimia imitatio harum rationum ex parte scholarum, in quibus instituuntur sacrorum alumni; magistri imperiti, methodus inepta et obsoleta, defectus usus.

Oppugnetur: A fautoribus rationum Status; ab omnibus qui rerum condicionem fracto animo accipiunt propter difficultates remedia efficacia parandi; ab iis, qui rationes sermonis latini, praesertim eius usum, parum aestimant, nimis autem rationes sermonis vulgaris; ab iis quoque, qui actum esse dicunt, de latino sermone et qui ob speciosas rationes (uti « periculum latinisationis » et « offendiculum oecumenismi ») huius sermonis ulteriorem cultum repudiant. Ab iis denique qui Ecclesiae adversantur, lingua latina non secus ac cetera Ecclesiae bona impugnatur.

[6] RR. Pontificum vestigiis inhaerentes et totam traditionem ecclesiasticam suscipientes Patres Concilii Vaticani II nisus generosos excitare contendunt, ut gravissima quaestio sermonis latini restaurandi quam citius solvatur, cum sit res tam urgens quam momentosa.

[7] Consulto non fit sermo de Seminariis minoribus, quia ratio habenda est etiam eorum qui tardiore tantum aetate vel studiis mediis iuxta rationem studiorum insufficientem vel humanis litteris omnino carentem absolutis, ad statum clericalem accedunt. *Magistri periti, methodus apta, congruum tempus* sunt praecipua subsidia non solum indispensabilia sed etiam vere efficacia ad finem (cognitionis et usus linguae latinae) consequendum.

[8] Inculcatur necessitas prosequendi studium sermonis latini usque ad sacerdotium, apto quidem modo sive quoad cognitionem iam acquisitam sive quoad auctores et obiectum generale huius studii continui sive quoad gradum et indolem discipulorum. Insuper *usus* linguae latinae, una cum eius studio, premitur; cognitio enim sine usu intrinsece imperfecta remanet, ut probatur ex scientia philologico-didactica et ex experientia. De facto omnes viri methodi didacticae linguarum periti, in dies apertius declarant usum non solum optimum addiscendae linguae subsidium, verum etiam indispensabile esse ad linguam perfecte cognoscendam. Quod experientia universali plane confirmatur.

[9] Hic tangitur momentosa quaestio de usu in scholis philosophicis et theologicis. Ut sermo latinus munere suo in excolendis sacrorum alumnis plene fungi possit, ea quae de momento usus in genere dicta sunt, applicanda erunt praecipue in disciplinis tradendis. Res perardua talibus verbis definita est, ut omnibus necessitatibus ac difficultatibus temporis, locorum, gradus cognitionis ratio haberi possit, quin tamen ipsa conciliaris iussio enervetur aut inanis evadat.

[10] Exsecutio Ordinariorum coetibus demandatur, ut communi consilio in Statutis particularibus definiendis rationem habere possint locorum, temporum, adiunctorum specialium sive quoad cognitionem sive quoad usum (cf. Schema decreti *De Studiorum ratione in Seminariis,* I, n. 5).

[11] In ultima parte Decreti Centra cultus altioris linguae latinae exoptantur, quae praesidia et auxilia sint huius sermonis institutioni et usui necnon superiorum studiorum occasionem praebeant omnibus qui speciali amore hunc sermonem prosequuntur aut ratione officii altiore cognitione usuque indigent.

[12] Exoptatur insuper Academia Centralis Latinitatis, Romae condenda, quae Centris particularibus auxilio et exemplo sit et praesertim evolutionem sermonis latini ita excolat et dirigat, ut lingua latina, quamvis fixa, nihilominus progredientis aetatis necessitatibus sit accommodata; quae eam operam praebere pergat, quam praesertim SS. Patres in latinitate renovanda et Ecclesiae utilitatibus aptanda olim praestiterunt.

COMMISSIO DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

I

DE RITIBUS IN ECCLESIA *

Ad catholicitatis notam, qua insignitur Ecclesia Dei, magis magisque illustrandam, eius Divini Conditoris providentia et dispositione factum est, ut varii in Ecclesia ritus, qui antiquissima aetate sunt instituti, per saeculorum decursum, salva fidei unitate, in diversis Orientis regionibus religiose servarentur. Huiusmodi enim rituum diversitas in Ecclesiae unitate luce clarius demonstrat, Ecclesiam Christi ut divinum salutis institutum suapte natura ad omnes prorsus spectare populos, nullo habito nationis vel stirpis discrimine. « Hoc etiam modo et eius vitae nunquam senescentis proditur vis, et ipsa magnificentius Christi sponsa excellit, quam sanctorum Patrum sapientia veluti adumbratam in effato agnovit Davidico: " Adstitit regina a dexteris tuis... circumamicta varietatibus " (*Ps. 44*) » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894). Quare mirum non est si, vertentibus saeculis, hanc etiam ob causam, « Orientalem Ecclesiam peculiari quodam studio semper prosecuti sunt Romani Pontifices, qui, universitatem dominici gregis gubernantes, particularium Ecclesiarum saluti et incremento consuluerunt » (BENEDICTUS XV, *Alloc. cons.* 10 martii 1919); Christi enim in terris vicem gerunt et Principis Apostolorum sunt successores, cui a Domino pascendi oves agnosque commissa est cura (*Ioan.* 21, 15-17). Exinde pateant verba Benedicti Pp. XIV: « De ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali, aut episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorundem observationem imminuat » (BENEDICTUS XIV, *Demandatam,* 1743). Cui tandem favori et promotioni rituum orientalium Ecclesia nullum alium imponere voluit limitem, nisi « quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati » (*Conc. Lateran. IV,* cap. 4), sive de sacris agitur Liturgiis divinisque officiis, sive de moribus et disciplina, sive tandem de ecclesiastico ordine.

Spectaculum hoc unitatis in diversitate, et varietatis in unitate prae oculis habens, et Pontificum Romanorum perennem curam documentis probatam considerans, Sancta haec Oecumenica Synodus peropportunum duxit mentem

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis tertiae, diebus 17-18 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 179-196.

Sanctae Matris Ecclesiae clariore in sua luce ponere et unitatem Ecclesiae in varietate rituum confirmare, canonibus statutis, qui sequuntur:

I. [*De varietate « Rituum » in Ecclesia*]. 1. Sancta et Catholica Ecclesia, quae est corpus Christi mysticum, organice coalescit fidelibus individuis qui fide, sacramentis et regimine uniuntur in coetibus hierarchia iunctis, seu particularibus Ecclesiis, quae aliquoties ritus etiam dicuntur.

(Sess. plenaria XV, die 21-4-1961: unanimiter).

2. Isti ritus seu particulares Ecclesiae, etsi liturgia, constitutione, ecclesiastica disciplina spiritualique proprio patrimonio partim differant, aequali tamen modo concrediti sunt pastorali gubernio Romani Pontificis, qui Beato Petro in primatu super universam Ecclesiam divinitus succedit.

(Sess. plenaria XIV, die 20-4-1961: maioritate suffragiorum).

II. [*De utilitate varietatis « Rituum »*]. Varietas in Ecclesia nedum eiusdem noceat catholicitati, eam potius declarat. Ecclesia enim catholica intendit ut salvae et integrae maneant legitimae uniuscuiusque Ecclesiae traditiones, pariterque vult suam vitae rationem aptare variis pro tempore et loco necessitatibus.

(Sess. plenaria XIV, die 20-4-1961: maioritate suffragiorum).

III. [*De aequalitate « Rituum »*]. 1. Omnes particulares Ecclesiae seu ritus, quibus coalescit Ecclesia universalis seu catholica, aequali pollent sanctitate ac dignitate, aequalibus fruuntur iuribus ac privilegiis, atque aequalibus tenentur obligationibus.

2. Nulla proinde Ecclesia particularis seu ritus, ratione sui, caeteris praestat.

3. Eaedem vero Ecclesiae particulares seu ritus aequali pollent iure et aequali tenentur gravi obligatione fidem christianam ubique terrarum praedicandi, sub moderamine Romani Pontificis.

(Sess. plenaria XV, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

IV. [*De « Ritu » Romani Pontificis*]. Summus Pontifex, etsi quatenus est Episcopus Romae proprium habeat ritum, nullo tamen tenetur ritu prouti est successor Beati Petri in eiusdem primatu super universam Ecclesiam.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. [*De tuitione « Rituum »*]. 1. Omnes et singuli fideles proprium quem habent ritum ubicumque sunt servare debent; illumque colant et habitualiter exerceant.

2. Nemo proinde quemvis fidelem ad alium ritum assumendum ullo modo inducere praesumat.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: unanimiter quoad utramque paragraphum).

VI. [*De formandis novis « Ritibus »*]. Nihil neque ex doctrina, neque ex traditione et historia obstare quominus tempore debito debitaque adhi-

bita prudentia et matura praeparatione, alii etiam ritus in Ecclesia Christi exsurgant floreantque, unde universalitas Ecclesiae magis magisque eluceret, bonoque animarum earumque saluti fieret provisum.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

VII. [*De « Ritu » redeuntium ad unitatem catholicam*]. Baptizati acatholici, qui in Catholicam Ecclesiam admittuntur, proprium quem habent ritum servare debent, salvo iure, in casibus particularibus, recurrendi ad Sedem Apostolicam.

(Sess. plenaria XVI, die 21-4-1961: maioritate suffragiorum).

VIII. [*De transitu ad alium « Ritum »*]. 1. Nemo potest sine licentia Sedis Apostolicae ad alium ritum valide transire aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti.

2. Inter causas, ob quas solet concedi transitus ad alium ritum, eminet reditus ad ritum maiorum.

(Sess. plenaria XVII, die 22-4-1961: maioritate suffragiorum).

IX. [*De « Ritibus » orientalibus extra regiones orientales*]. 1. Provideatur ubique terrarum tuitioni atque incremento omnium rituum constituendo pro quoque ritu propriam hierarchiam, ubicumque id postulat numerus atque bonum spirituale fidelium.

2. Si tamen propria hierarchia constitui nequit, erigantur ad minus paroeciae personales pro variis ritibus ubicumque fideles alicuius ritus inveniantur et auctoritas illius ritus id postulat.

(Sess. plenaria XVII et XVIII, diebus 22/24-4-1961: unanimiter).

X. [*De cooperandis « Ritibus »*]. Locorum Hierarchae in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, debent, collatis in periodicis conferentiis consiliis, unitatem actionis fovere et, viribus unitis, communia adiuvare opera, ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam.

(Sess. plenaria XVII, die 22-4-1961. maioritate suffragiorum).

XI. [*Adaptatio « Ritibus » orientalibus*]. Enixe suadetur ut religiosorum atque religiosarum Ordines Congregationesque et Instituta similia originis latinae, quorum membra in oriente christiano laborant, sic dictos « Ramos » ritus orientalis habeant.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

XII. [*Institutio in rebus orientalibus*]. Illi qui sive ratione muneris in Ecclesiae universalis regimine sive propter apostolicum ministerium cum Ecclesiis Orientalibus earumque fidelibus frequens habent commercium, accurate, pro momento officii quod gerunt, in cognitione doctrinae, historiae ecclesiasticae atque indolis harum Ecclesiarum instituantur.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

II

DE PATRIARCHIS ORIENTALIBUS *

Romanus Pontifex, iure divino, et quidem directe et immediate a Christo Domino, Divino Ecclesiae Conditore, plenitudinem recepit potestatis regendi fideles totius orbis terrarum ad finem assequendum, qui Ecclesiae in terris est praestitutus.

Episcopi quoque, Apostolorum successores, ex divino iure, mediante tamen Romano Pontifice, plena pollent potestate in sua quisque eparchia gubernandi fideles in iis quae ad sanctitatem et salutem aeternam assequendam pertinent. Episcopi proinde ex eadem divina institutione aequalem inter se et parem cum ipso Romano Pontifice potestatem ordinis episcopalis habent. Si qua igitur potestatis diversitas inter Episcopos reperitur, ea in hierarchia ordinis non est nisi accidentalis vel ad hierarchiam iurisdictionis est referenda (Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 38, § 3; *Synod. Libanen.,* III, IV, *Coll. Lac.,* t. II, col. 289 sq., n. 4; WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* II, Romae 1943, n. 518).

Ex quo patet, ratione iurisdictionis ad sacram hierarchiam ex divina institutione duos tantummodo gradus pertinere, i. e. pontificatum supremum et episcopatum subordinatum, quibus, ex institutione ecclesiastica, alii gradus, supra-episcopalis nempe, quasi episcopalis et infra-episcopalis, successu temporum accesserunt (Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 38, § 3).

Patet etiam, Episcopos omnes iure divino aequales esse inter se quoad iurisdictionem et soli Romano Pontifici subici, ac neminem in alios superiorem auctoritatem exercere posse, nisi illam legitima consuetudine, aut expressa vel tacita concessione, aut legitimo consensu Summi Pontificis, ideoque iure humano obtinuerit.

Si autem legitimae consuetudines bene perpendantur, aut prae oculis iura habeantur, quae saeculorum decursu tacite vel expresse a Suprema Auctoritate concessa sunt et in canones sunt recepta, constat Patriarchis Orientalibus datam esse in Episcopos et christifideles potestatem ad normam iuris exercendam, cuius naturam Episcopi Melkitae, anno 1900, communiter hisce verbis declaraverunt: « Nos certissimum habemus, dignitatem patriarchalem non iure divino, sed tantum iure ecclesiastico constitutam esse, secus ac aucto-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis tertiae, die 18 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 197-229.

ritatem Romani Pontificis, quam solam agnoscimus divini esse iuris ac ceteris omnibus praestare. Huiusmodi enim auctoritas in universos terrarum orbis Episcopos exercetur, cum Iesus Christus Dominus Noster Petrum voluerit Principem Apostolorum suorum fratrum, eique successores constituerit Romanos Pontifices, quos quidem Universae Ecclesiae praeposuit » (*Elenco dei privilegi patriarcali, presentato alla Propaganda dall'Episcopato Melkita nel 1900*. C. KOROLEVSKIJ, *Studio di diritto comparato su l'odierna legislazione « de Patriarchis Orientalibus »*, Tip. Poligl. Vaticana 1936, P. III, p. 10).

Patriarchalis haec potestas canonibus sancita, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercenda, est potestas supra-episcopalis; immo, quaedam Pontificiae potestatis primatialis participatio dicenda est. Et proinde, ut talis maiore vel minore amplitudine gaudere potest, prout docet historia; quamobrem utpote institutum ecclesiasticum mutari, augeri vel minui potest.

Potestas igitur patriarchalis qua talis est proprie, formaliter et essentialiter potestas iurisdictionis institutionis ecclesiasticae, natura sua supra-episcopalis, vi cuius Patriarcha ex participatione Pontificiae potestatis propriam et ordinariam potestatem in alios Episcopos habet.

Hisce praemissis, ad quamlibet tollendam incertitudinem de patriarchalis potestatis natura et ad solidum quoddam eiusdem potestatis dignitatisque fundamentum constabiliendum, declarat Sancta Oecumenica Synodus quae sequuntur:

I. Nomine Patriarchae venit Episcopus cui canones tribuunt *iurisdictionem* in omnes Episcopos, haud exceptis Metropolitis, clerum et populum alicuius territorii seu ritus, ad normam iuris, sub auctoritate Romani Pontificis exercendam.

(Ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 216, § 2, n. 1; sess. plenaria XXV, die 24-6-1961: unanimiter).

II. Secundum antiquissimum Ecclesiae morem, singulari honore prosequendi sunt Ecclesiarum Orientalium Patriarchae, quippe qui amplissima potestate, a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico data seu agnita, suo cuique Patriarchatui seu ritui tamquam pater et caput praesunt, eorumque iura atque privilegia, in bonum animarum, salva maneant.

(Ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 216, § 1; sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter quoad textum, maioritate votorum quoad emendamenta).

III. In potestate vero hac patriarchali, ad normam iuris et sub auctoritate Romani Pontificis exercenda, Patriarchae gaudent inter alia potestate: *a*) ordinationis, custodiae et tutelae ritus; *b*) vigilantiae et inspectionis in doctrinam, disciplinam, pietatem et mores; *c*) directionis et coordinationis activitatis pastoralis et apostolicae; *d*) recursus et appellationis; *e*) devolutionis et suppletionis, etc.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: maioritate votorum).

IV. Ut patriarchalis dignitas, quae ab antiquo Ecclesiae Catholicae ornamento fuit, in pristinum splendorem quantum fieri potest restituatur, Concilium exoptat ut Patriarchatus orientales magis magisque vigeant et floreant, sive omni ope cleri populique ipsorum Patriarchatuum sive, praeterea, adiutorio totius orbis catholici et imprimis Sanctae Romanae Ecclesiae.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quoad textum primae partis: unanimiter; quoad secundam partem: maioritate suffragiorum).

V. Etsi Patriarchatus Ecclesiarum Orientalium alii aliis tempore posteriores sint, deinceps omnes aequali erunt dignitate patriarchali, salva praecedentia honoris Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano a Conciliis Oecumenicis ab antiquo agnita.

(Sess. plenaria XXVII, die 27-6-1961: maioritate suffragiorum).

VI. Inter hos Patriarchatus, qui diversi quidem ritus, unius vero eiusdemque sunt tituli, praecedentiam obtinet qui prior promotus est ad dignitatem patriarchalem, et, si eodem tempore fuerint promoti, senior aetate.

(Art. ex Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* can. 219, § 1, 2°, adiunctus in sessione plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

VII. Cum institutum patriarchale sit forma traditionalis et ingenio fidelium orientalium magis consentanea, Sancta et Oecumenica Synodus exoptat, ut, si opus sit, novi erigantur in oriente Patriarchatus. Constitutio autem novorum Patriarchatuum, si id bonum Ecclesiae postulare videatur, Concilio Oecumenico vel Romano Pontifici reservatur.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

VIII. Quia bonum fidei christianae in vastissimis plagis Indiarum Orientalium efficacius propagandae id postulat, statuit Sancta Oecumenica Synodus ut Patriarchatus Orientalis Indiarum Orientalium quamprimum constituatur, cui titulum Ecclesiae et sedem residentiae Patriarchae, praemissis praemittendis, Romanus adsignabit Pontifex.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate suffragiorum).

IX. Patriarchatus latini titulares sedium orientalium supprimantur, nec in posterum amplius concedantur, salvo Patriarchatu Latino Hierosolymitano.

(Sess. plenaria XXVIII, die 28-6-1961: maioritate votorum).

X. Ad bonum Ecclesiae in oriente efficacius promovendum, sacrosanctum Concilium exoptat ut unica sit in unoquoque territorio patriarchali auctoritas iurisdictionalis suprema, cui omnes sive Hierarchiae sive fideles cuiusvis ritus subordinentur, salva iurisdictione personali Hierarcharum cuiusvis ritus in proprios fideles.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: probatus maioritate suffragiorum).

XI. Sacrosanctum Concilium Romanum Pontificem rogat, ut, salva eius omnimoda libertate, Collegium Cardinalium aliquorum Patriarcharum Orientalium praesentia semper honestetur.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: maioritate suffragiorum).

XII. Sacrosanctum Concilium exoptat, ut Patriarchis Orientalibus, etsi dignitate cardinalitia non insignitis, ius concedatur ad electionem Romani Pontificis.

(Sess. plenaria XXIX, die 30-6-1961: maioritate suffragiorum).

XIII. Patriarchae qui non sint mere titulares, omnibus praelatis praecedunt, etsi dignitate cardinalitia insignitis, sive in proprio territorio sive extra proprium territorium, excepto Romani Pontificis legato qui dicitur *a latere*.

(Sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: maioritate suffragiorum: 11 ex 19).

* * *

Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudeant in proprio territorio etiam super Cardinalibus; extra proprium territorium, super omnibus locorum Hierarchis et Legatis Pontificiis, cardinalitia dignitate non insignitis.

(Art. in eadem sessione obtinuit: 6 vota ex 19).

* * *

Patriarchae Orientales praecedentiae iure gaudeant ubique terrarum super omnibus Hierarchis locorum et Legatis Pontificiis cardinalitia dignitate non insignitis.

(Art. in eadem sessione obtinuit: 2 vota ex 19).

ADD. – Studio benevolo submittatur, an non in dignitatem Sedis Patriarchalis sublevanda sit pro Ucrainis Catholicis Sedes ex antiquis temporibus clarissima Kioviensis.

(Propositio ad modum desiderii: sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: 13 ex 18 obtinuit vota, ut nomine Commissionis proponatur).

Studium fiat etiam de erigendo Patriarchatu pro Ecclesia Aethiopica.

(Propositio ad modum desiderii: sess. plenaria XXX, die 1-7-1961: obtinuit 14 ex 18 vota, ut proponatur nomine Commissionis).

III

DE COMMUNICATIONE IN SACRIS CUM CHRISTIANIS ORIENTALIBUS NON CATHOLICIS *

Ecclesia Dei, quam Christus Dominus ad omnium prorsus hominum salutem condidit cunctisque sanctificationis instrumentis huic explendo muneri necessariis instruxit, materno amore semper prosecuta est non solum christifideles, qui catholico gloriantur nomine, verum etiam ceteros homines, quibus opportuna salutis media abunde praebuit, tamquam rationem de animabus eorum redditura.

Quodsi ipsa numquam destitit Evangelii praecones mittere ad gentes nondum Christo adiunctas, omnino par est, ut impensiore etiam sollicitudine afficiatur erga eos, qui etsi extra catholica septa degentes, tamen inter ipsius filios per lavacrum Baptismatis recensentur.

Horum filiorum saluti Ecclesia prospicit in primis illorum mediorum ope, quibus iidem, licet separati, adhuc potiuntur. Ad rem quod attinet, constat profecto Ecclesiae actionem circumscribi lege illa de « communicatione in sacris », a qua, si formalem errori adhaesionem includat, nemo iure divino eximi potest. Attamen praeter « communicationem in sacris » formalem, alia est quae dicitur materialis, et iure regitur ecclesiastico.

Id autem manifesto ostendit ipsa agendi ratio Ecclesiae, quae non eadem semper erga omnes dissidentes fuit, cum alia sit conditio auctorum separationis, alia eorum qui illos bona fide sunt secuti, in qua conditione, ut in comperto est, vix non omnes Orientales christiani dissidentes versantur.

Nihil inde mirum si aliquando Ecclesia ita se exhibuit ut, nedum rigidam de communicatione in sacris disciplinam urgeret, illam valde mitigatam voluerit.

Neque ceterum huic praxi decretisque obstant iuris canonici canones, cum de haereticis schismaticisque formalibus agant.

Nonnulla enim occurrunt adiuncta quae mitiorem rationem agendi suadent cum agatur de bono animarum. Suprema nempe *necessitas* aeternae salutis procurandae exigit ut omnis fidelis Sacramenta petat ubi valide conficiuntur et administrantur; deinde magna spiritualis *utilitas* intercedit, si per longum temporis spatium fidelis catholicus vel acatholicus proprio sacerdote orbatus sit; denique *caritatis ratio* sufficiens esse videtur ad christianorum officiis fungendum.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis tertiae, die 19 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 229-247.

Plurimum in id conveniunt multi Antistites et evangelici operarii in Orientalium plagis, pertimescentes ne « impedimento propter sententiae severitatem simus iis qui salvantur » (S. BASILIUS, *Ep. can. ad Amphil.*; PG 32, 669 B).

Quapropter suadenda est haec mitior ratio communicationis in sacris cum Orientalibus christianis non catholicis, nimirum:

A) *Quoad Sacramenta*

I. Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis formalibus, donec cum Ecclesia reconciliati fuerint.

(Sess. III, die 20-2-1961 et V, die 22-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Orientalibus, qui non formaliter separati sunt ab Ecclesia, et in sua confessione valida Sacramenta retinent, si sponte petant, rite sint dispositi et bene afficiantur erga veram Christi Ecclesiam, sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis conferri possunt ad mentem sacrorum in loco praesulum, adhibitis cautelis ad arcendum scandalum et periculum indifferentismi.

(Sess. VI, die 23-2-1961 et VIII, die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Catholicis licet sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae seu Viatici et Extremae Unctionis petere a ministris acatholicis, in quorum confessione habeantur valida Sacramenta, in mortis periculo; et extra mortis periculum, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, deficiente catholico ministro per longum temporis spatium, vel recurrente gravi necessitate, ad mentem sacrorum in loco praesulum, adhibitis, in quantum licet, cautelis de quibus supra.

(Sess. V et VIII, die 22-2-1961 et die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Nova haec communicationis in sacris cum orientalibus christianis ratio prudentissimae commendatur curae et vigilantiae sacrorum in loco praesulum.

(Sess. VIII, die 25-2-1961: maioritate suffragiorum).

B) *Extra Sacramenta*

Cum vero christianorum sacra conversatio non solum in iis, quae Sacramentorum usum et ministrationem spectant habeatur, sed etiam in iis omnibus perficiatur, quae ad cultum Dei publicum vel privatum hominumque christianam pietatem in locis, functionibus caerimoniisque sacris exercendam pertinent, quaeque saepe cum profana hominum conviventia, ob civile officium vel honorem misceatur et evitari sine discrimine non possit, placuit huic Sanctae Synodo sequentia statuere:

I. Non licet catholicis formaliter partem habere in sacris acatholicorum.

(Sess. XXXV, die 14-10-1961: maioritate suffragiorum).

II. Materialis vero in sacris communicatio extra-sacramentalis catholicos inter et orientales separatos iusta de causa permittitur, sub vigilantia tamen sacrorum in loco praesulum et adhibitis debitis cautelis.

(Sess. XXXV, die 14-10-1961: maioritate suffragiorum).

Hortatio

Studeant tamen omnes Christifideles, qui divinae gratiae veritatisque sunt participes, ut, christiana conscientia moderante, in omnibus functionibus officiisque sacris, quibus glorificatur Deus et christiana promovetur pietas, in sacris locis, ubi divina peraguntur Deoque funduntur preces, in tota denique christianorum sacra profanaque conversatione, magis magisque quotidie eluceat veritas et mutua promoveatur charitas, quae omnia in unum iungit.

Sacrorum vero ministri populos gentesque christianas instruere et edocere de Ecclesiae unitate deque eius ad salutem aeternam necessitate ne cessent, ut scandala vitentur, ut indifferentismus undequaque serpens profligetur, et errores late grassantes eradicentur e christianorum sacra profanaque conviventia.

Locorum tandem sacri Antistites, consiliis secum Sanctaque cum Apostolica Sede collatis, curent ut, opportunis efficacibusque praeceptis et dispositis, christianorum populorum moderentur conversationem, ad maius animarum bonum obtinendum, et Ecclesiae Christi in terris propagationem habendam.

(Sess. XXXIX, die 18-10-1961: unanimiter).

IV

DE USU LINGUARUM VERNACULARUM IN LITURGIIS *

Romani Pontifices, quibus sollicitudo omnium Ecclesiarum a Domino fuit commissa, Ecclesiarum Orientalium ritus sartos tectosque custodientes, admodum laudaverunt et probaverunt usum linguarum quibus Orientales in suis Liturgiis laudes Deo tribuunt. Ecclesia enim Dei, quae a Divino suo Conditore mandatum accepit docendi omnes gentes (*Matth.* 28, 19), quaeque die Pentecostes, teste Petro et Apostolorum collegio, Parthos, Medos, et Aelamithas, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam, et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Iudaeos quoque, et Proselytas, Cretes et Arabes audivit loqui suis quisque linguis magnalia Dei (*Act.* 2, 9-11), numquam iam oblivisci potuit, laudare fas esse Dominum non una vel tribus tantum, sed linguis omnium gentium. Quae doctrina saeculorum decursu praxi quotidiana probata, mirabilem illam in Ecclesia Christi rituum varietatem effecit, qua Ecclesia Christi unitas non solum ullomodo vulnus passa est, sed magis refulsit in maius bonum animarum maioremque gloriam Dei. Eadem proinde praxi sollicitudineque ductus, Pius Pp. XI, rescripto quodam dato, noluit restringere Orientalium facultatem illas adhibendi in Liturgiis linguas, quas magis opportunas ad maius bonum animarum procurandum aestimarent (20 febr. 1929).

Proinde Sancta Oecumenica Synodus, doctrinam hanc et praxim laudare et comprobare percupiens, Orientalibus omnibus Ecclesiis ius hoc consuetudinarium confirmat, et Patriarchis supremisque singulorum rituum ecclesiasticis auctoritatibus ius id moderandi committit. Omnes tamen hortatur, ne abusus in hoc subrepant et ut semper servetur concordia et ecclesiasticae disciplinae observantia. Rituum enim diversitas et linguarum in Liturgiis celebrandis varietas, mutuae caritati nedum nocere, eorum mutuam aestimationem ita augere debet, ut omnes uno ore et uno corde, in eadem fidei christianae confessione, orbe terrarum mirante, magnalia proclament Dei. Quod ut fauste feliciterque eveniat, Sancta Oecumenica Synodus sequentia declarare et statuere proponit:

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis tertiae, die 19 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 248-258.

I. A tempore immemorabili Ecclesiae rituum orientalium iure consuetudinario gaudent in celebratione liturgica illas linguas adhibendi quas magis opportunas aestimant ad bonum animarum.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961: unanimiter).

II. Patriarchae cum Synodo vel Supremae cuiusque Ecclesiae Orientalis Auctoritati cum Consilio competit ius approbandi et moderandi huius consuetudinis usum.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961, et sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

III. Versiones textuum liturgicorum in linguam vernaculam, antequam in Liturgia celebranda adhibeantur, Auctoritati, de qua in n. II, subiiciendae sunt.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Sacerdos ritus orientalis qui propter bonum spirituale praesentium, in perficiendis sacris, ex parte vel integre linguam adhibere vult diversam ab illa vel ab illis quibus sua Ecclesia traditionaliter utitur, ne inconsulto Hierarcha loci, quo celebrat, hoc faciat.

(Sess. plenaria XIII, die 19-4-1961, et sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

V

DE ECCLESIAE SACRAMENTIS *

I

DE MINISTRO SACRAMENTI S. CHRISMATIS

Sancta Mater Ecclesia de bono spirituali filiorum suorum semper sollicita, nihil umquam omisit, ut Christifideles sacro Baptismatis lavacro regenerati, gratia Sacramenti Chrismatis roborentur, qua idonei ad pugnam adversus animae hostes effecti, victoriam reportarent et aeternam salutem assequerentur. Quare, quamvis Episcopus isque solus sit minister ordinarius huius Sacramenti (EUGENIUS IV, *Exultate in Deo* in Conc. Florentino, 22-XI-1439; Conc. Trident., sess. VII: *De Confirmatione,* can. 3), notum tamen est in Orientis partibus ab antiquo praxim invaluisse, ut, Apostolica Sede annuente, etiam simplices presbyteri Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum in collatione Baptismi suis fidelibus ministrarent, adhuc et ministrent. Huius praxis testes sunt Sancti Patres, qui Orientalem Ecclesiam sua doctrina et sanctitate illustrarunt; et ipsi Pontifices Romani, qui non semel illam disciplinam in bonum fidelium sua Apostolica Auctoritate confirmare dignati sunt; quamvis, ubi maius Ecclesiae animarumque bonum id postulare visum est, Romani Pontifices non dubitaverint illam facultatem presbyterorum orientalium pro determinatis locis aut limitare aut etiam penitus revocare. Hanc igitur praxim haec Sancta Oecumenica Synodus iterum sollemniter approbat et confirmat. Monetque autem presbyteros hac facultate donatos, ne modum excedant; meminerint se in administratione huius Sacramenti extraordinarios tantum esse ministros, qui tam venerandum Sacramentum conferre valent nonnisi per Supremae Auctoritatis Ecclesiae concessionem, et intra limites in praesenti Decreto definitos.

Haec Sancta Synodus maxime exoptat, ut Christifideles hoc Sacramentum a Christo Domino nostro institutum magni aestiment omnesque, quantum fieri possit, eiusdem gratia muniantur, qua roborati et signati, uti milites boni pro fide, in aedificationem Corporis Christi, nostris praesertim temporibus audacter decertare valeant omniaque maligni tela ignea extinguere

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis tertiae, die 19 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 258-279.

(*Eph.* 6, 16). Quod ut efficacius obtineatur, et ne fideles tanto bono priventur, necessarium visum est opportuna illa adhiberi media, quibus disciplina de Chrismatis administratione nostri temporis necessitatibus et conditionibus, in quibus plerique fideles orientalium rituum versantur, sit accommodata. Quare haec Sancta Oecumenica Synodus, bonum spirituale omnium cuiusvis orientalis ritus Christifidelium maxime exoptans, quae sequuntur pro Ecclesiis Orientalibus dignata est decernere:

I. Episcopus est solus minister ordinarius Sacramenti Chrismatis.

(Ex Conc. Tridentino).

II. Iuxta traditionalem disciplinam orientalem, presbyter etiam illud administrat, chrismate ab Episcopo benedicto.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

III. Presbyter orientalis hoc Sacramentum Chrismatis omnibus fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, valide confert.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

IV. Presbyter latinus, qui indulto vel facultate hoc Sacramentum conferendi gaudet, etiam fidelibus cuiusvis ritus orientalis illud valide administrat.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. Presbyter orientalis, nisi iure particulari aliud caveatur, Sacramentum Chrismatis una cum Baptismo conferat.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

VI. Separatim a Baptismo, Chrismatis Sacramentum ne administretur nisi de mandato Hierarchae loci.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

VII. In periculo mortis, presbyter cuiusvis ritus orientalis facultate gaudet administrandi Chrismatis Sacramentum fidelibus cuiusvis ritus, latino haud excluso, sive cum Baptismo, sive etiam separatim.

(Sess. plenaria XVIII, die 24-4-1961: unanimiter).

II

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE

Sacramentum Poenitentiae, misericordia Domini Nostri Iesu Christi institutum, potestate data apostolis discipulisque ligandi et solvendi in coelis et in terra, Sacramentorum unica et universalis dispensatrix — Ecclesia, nunquam cessavit peccatoribus poenitentibus dispensare, eadem ducta miseri-

cordia. Ne tamen Sacra indigne tractarentur, sive ex humana fragilitate sive ex ministrorum negligentia, Sancta Mater Ecclesia potestatem hanc quibusdam normis et regulis circumsepsit, earumque curam Hierarchis commisit.

Aetate nostra, novis exsurgentibus necessitatibus et difficultatibus, Ecclesia Dei meliori qua potest mensura ac materna sollicitudine providere cupit, attenta praesertim illa hominum hinc inde cursitantium per orbem terrarum conditione et quidem considerato ministrorum Sacrorum insufficienti numero.

Ad hunc finem, Sacrosancta Oecumenica Synodus de Ministris Sacramenti Poenitentiae, penes Ecclesias Orientales, sequentia statuere opportunum censuit:

I. Ad confessiones sacramentales excipiendas potiuntur:

A) Ordinaria iurisdictione:

1) pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinales et Patriarchae;

2) pro suo quisque territorio, ad normam iuris: Archiepiscopi, Metropolitae, Hierarchae locorum, parochi aliique qui loco parochorum sunt;

3) pro suis subditis, ad normam statutorum, Superiores religiosi exempti.

B) Delegata a iure iurisdictione:

1) pro universa Ecclesia: omnes Episcopi, titulares quoque;

2) omnes Presbyteri, in determinatis casibus, iuxta articulos qui sequuntur.

(Sess. plenaria XXIV, die 23-6-1961: maioritate suffragiorum).

II. Ut ulterius provideatur necessitatibus Christi fidelium, statuit Sacrosancta Oecumenica Synodus, ut:

1) Confessarii a proprio loci Hierarcha sine ulla restrictione approbati, valide ac licite absolvere possint omnes fideles, cuiusvis ritus, in patriarchatibus, archiepiscopatibus, metropoliis, eparchiis vel exarchiis.

2) Extra autem haec territoria facultas haec limitetur ad fideles proprii ritus.

3) Ubi facultas, de qua supra, habitualiter exercetur, certiorari debet ad liceitatem, Hierarcha loci.

4) Curent tamen locorum Hierarchae, ne iurisdictionem hanc sacerdotibus delegent, nisi de eorum idoneitate ipsis sufficienter constiterit. Qui vero sacerdotes eam receperunt, dignos se tantae potestatis monstrare satagant.

(Sess. plenaria XXIV, die 23-6-1961: maioritate suffragiorum).

III. 1) Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia, vel oratorium publicum aut semipublicum.

2) Confessarii cuiusvis ritus non adscripti servitio alicuius ecclesiae vel

oratorii, nequeunt ibi licite audire confessiones, nisi cum licentia, in casu urgenti praesumpta, rectorum horum locorum.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Sacerdotes omnes maritimum, aereum, ferreum vel aliud quodque iter arripientes, dummodo a proprio Hierarcha facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum itinerantium confessiones excipere in navi, aereo vel curru quocumque, quamvis in itinere transeant vel etiam aliquamdiu consistant in locis diversorum Hierarcharum iurisdictioni subiectis.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter).

V. Quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, transiens per loca ubi catholicus sacerdos deficiat, potest confessiones audire fidelium qui ad ipsum accesserint.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter quoad textum, maioritate suffragiorum quoad emendationes).

VI. Licite, nulla requisita licentia Hierarchae loci, confessarii legitime approbati absolvunt fideles diversi ritus, etiam latini, in aegritudine versantes, qui postulent apud ipsos confiteri.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quasi unanimiter, uno voto dempto).

VII. In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis praescriptis iuris de complicibus et censuris.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: unanimiter).

VIII. Ne fidelium libertas coarctetur vel bona dispositio pessum eat, quilibet sacerdos ad confessiones audiendas approbatus potest confessiones excipere cuiuscumque fidelis, ubique terrarum, si ab eo ad personam requisitus fuerit.

(Sess. plenaria XXVI, die 26-6-1961: quasi unanimiter, duobus votis demptis).

III

DE DIACONATU PERMANENTI

« Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 2-4). Hisce verbis diaconorum

permanentium in Ecclesia quodammodo data fuit origo et adsignatum munus. Diaconis Ecclesia saepe usa est ad opera caritatis ac pietatis promovenda. Orientales praesertim Ecclesias « diaconos... non turpe lucrum sectantes: habentes mysterium fidei in conscientia pura » (*I Tim.* 2, 8) diu retinuisse et hucusque retinere, ad oblationem fidelium distribuendas, ad populum instruendum in fide in ecclesiis et scholis, ad supellectilem sacram curandam, ad quaedam officia divina celebranda, immo et nonnulla Sacramenta ministranda, omnino compertum est.

Cum vero ultimis hisce temporibus Ecclesia ad omnes gentes propagata, de innumeris fere spiritualibus temporalibusque necessitatibus hominum fidelium infideliumque curans, sacerdotum inopiam, magis magisque in dies experitur, magno cum discrimine animarum, placuit propterea huic Sanctae Oecumenicae Synodo ut diaconorum permanentium institutum, secundum antiquas traditiones, in Ecclesiis praesertim Orientalibus iterum vigeret. Ad hoc ipsa Synodus hortatur Ecclesiarum Orientalium Christifideles, quos Dominus in messem suam operarios vocaverit, ut, humanis terrenisque postpositis, gratia manuum impositionis roborati, propius ad Dei altaria promoveantur et sacerdotes uti diaconi adiuvent in spiritualibus temporalibusque iuxta antiquas traditiones.

Propterea Sancta haec Oecumenica Synodus sequentia constituit:

I. Plurima dantur argumenta et motiva, praesertim liturgica et pastoralia, pro reviviscendo instituto diaconatus permanentis in Ecclesia Orientali. Commendatur ergo ut Hierarchae locorum hoc institutum permanens restituendum studeant ipsumque revera reviviscere curent, communi tamen consilio Hierarcharum uniuscuiusque provinciae ecclesiasticae.

(Sess. plenaria XXI, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

II. Quod attinet ad coniugatos, ad subdiaconatum vel ad maiores ordines admittendos aut absolute aut cum dispensatione sive Patriarchae sive loci Hierarchae, non autem syncelli, vel etiam ad eosdem ab iisdem ordinibus arcendos, Sancta Synodus Oecumenica nihil innovat circa vigentem in unoquoque orientali ritu disciplinam.

(Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* a. 1957, can. 71).

III. Diaconi dissidentes uxorati redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, in ritu orientali ministerium sacrum exercere poterunt, iudicio Hierarchae loci.

(Sess. Plenaria XXI, die 26-4-1961: unanimiter).

IV. De aliis in instituto hoc reviviscendo providendi datur facultas Synodis singularum ecclesiasticarum provinciarum vel patriarchatuum.

(Ex mente Sess. plenariae XXI, die 26-4-1961).

IV

DE FORMA CANONICA CELEBRATIONIS MATRIMONIORUM MIXTORUM

Sancta Mater Ecclesia, unica Sacramentorum dispensatrix, per Litteras Apostolicas Pii Pp. XII Motu proprio datas (*Crebrae allatae,* 22 febr. 1949), unicam formam celebrationis ad validitatem matrimoniorum statuit, ab omnibus fidelibus rituum orientalium servandam, etiam in matrimoniis inter partem catholicam et non catholicam baptizatam (can. 90, § 1, n. 2).

Cum vero non raro contingat, praesertim in regionibus Medii Orientis, ut cum praedictae legis observantia incommoda quaedam non levia coniungantur, quae ipsam validitatem matrimoniorum pessumdant et domesticam pacem non modice perturbant, remedium adferre censuit Sancta Synodus ad consulendum matrimoniorum sanctitati et firmitati.

Ad hunc finem Sancta Mater Ecclesia in hac Oecumenica Synodo adunata decernit ut facultas in ipsa lege condita et promulgata Patriarchis orientalibus concessa (*Crebrae allatae,* can. 32, § 2, n. 5), dispensandi nempe a lege de forma celebrationis matrimoniorum mixtorum, extendatur ipso iure ad omnes Hierarchas locorum orientales, Syncellis sine speciali mandato exceptis. Quare, ad matrimonia mixtae religionis quod spectat, in derogationem legis vigentis (can. 90, § 1, n. 2), quae sequuntur sollemniter probat:

Ad praecavenda matrimonia invalida christifidelium rituum orientalium, qui cum acatholicis baptizatis — rite obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis cautelis praestitis saltem ex parte catholica sincere parata praestare quod potest ut proles catholice baptizetur et educetur —, matrimonia contrahunt,

1) concedit Sancta Mater Ecclesia auctoritate Oecumenicae Synodi omnibus Ordinariis locorum rituum orientalium, exceptis Syncellis sine speciali mandato, facultatem dispensandi proprios subditos a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis contrahendis, si pars acatholica nequeat suaderi ut se competenti parocho sistat, et timendum sit ne partem catholicam sibi adhaerendum adigat si praescriptum de servanda forma urgeretur in casu;

2) in ceteris onerata conscientia eorundem christifidelium ad observandam fideliter disciplinam canonicam de communicatione in Sacris cum christianis orientalibus non catholicis.

(Sess. plenaria XXII, die 26-4-1961: maioritate suffragiorum).

VI

DE ECCLESIAE PRAECEPTIS *

I

DE DIEBUS FESTIS

Inter praecepta populo Israel data, celebratio festorum dierum et cultus Deo tribuendus eminent. « Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis » (*Exod.* 23, 14); « septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegit Dominus » (*Deut.* 16, 15). Dominus vero Iesus Christus, qui non venit ut solveret legem, sed adimpleret (*Matth.* 5, 17), quique divino exemplo suo omnibus ut exsolvant quae Dei sunt, et ut omnia secundum legem Domini fiant demonstrare sategit (*Luc.* 2, 39; 2, 41-42), necessitatem cultus Deo debiti amplissime confirmavit. Quo exemplo et doctrina Ecclesia dies Dominicos festosque instituit et semper pro locorum temporumque circumstantiis celebravit.

Celebris est solemnitas et dierum festorum observantia penes ritus orientales. Huius pietatis monumenta et documenta extant numerosa ac varietatibus conspicua.

Nostrorum temporum conditio postulat ut nova festorum quidem dierum celebratio aptiorem redigatur in formam, ut novis necessitatibus magis aptetur et melius provideatur circa ea quae quodammodo sunt communia.

Propterea Sancta Oecumenica Synodus undequaque orbis terrarum adunata, re mature considerata, de festorum dierum aptiori norma providere cupiens, quae in usum Orientalium omnium Ecclesiarum constituere statuit, sequentia proponit:

I. Dies festi de praecepto, in omnibus Ecclesiis Orientalibus servandi sunt: omnes et singuli dies Dominici, festa Nativitatis D. N. Iesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Dormitionis Almae Genitricis Dei Mariae, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, salvo iure legitimae Auctoritatis alios dies festos stabiliendi pro suo quaeque ritu.

(Sess. plenariae VII et X, diebus 24-2-1961 et 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima congregatione sessionis quartae, die 27 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 862-877.

II. Alii dies festi, ubi iure particulari vel ex praescripto probatae Synodi vel probatae consuetudinis vigent, etiamsi de praecepto non obligant, tamen exhortantur christifideles ut eos secundum cyclum liturgicum proprii ritus celebrent, sub vigilantia loci Ordinarii.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Diebus festis de praecepto interveniendum est divinis officiis et abstinendum ab operibus servilibus.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: unanimiter; quoad determinationem « operis servilis » remittitur ad Comm. de disciplina cleri et populi christiani).

IV. Obligationi interveniendi divinis officiis satisfaciendum est assistendo divinae Liturgiae aut, ubi legitima consuetudo viget, celebrationi Divinae Laudis.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum) .

V. Facultas datur fidelibus satisfaciendi obligationi de qua supra inde a vespere vigiliae usque ad finem diei festi.

(Sess. plenariae VII et X, diebus 24-2-1961 et 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

VI. Suadendum est fidelibus diebus festis impeditis, ut intra hebdomadam obligationi assistendi divinae Liturgiae suppleant.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: maioritate suffragiorum).

VII. Facultas etiam datur satisfaciendi praecepto assistendi divinae Liturgiae in oratoriis privatis et ubicumque legitime et licite celebretur.

(Sess. plenaria VII, die 24-2-1961: unanimiter).

II

DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

Semper in Ecclesia inter media et subsidia, quae vitae christianae consulunt, eminent maximoque in pretio habenda sunt ieiunium et abstinentia. In Vetere Testamento et in populi israelitici historia plurima adsunt exempla (*Exod.* 28, 18; *Iudic.* 20, 26; *I Reg.* 7, 6; *II Paralip.* 20, 5; *I Esdr.* 8, 21-23; *Ierem.* 36, 9; *Dan.* 10, 5). Ex Evangeliis vero edocemur, Dominum N. I. Christum ieiuniorum necessitatem et filiis Legis Novae suoque exemplo inculcasse. Ecclesia vero Christi per apostolos discipulosque ad omnes gentes propagata, doctrinae exemplique sui Divini Conditoris nunquam oblita est.

Ex scriptis Sanctorum Patrum abunde patet, inde a temporibus apostolorum fixa devenisse quaedam anni ecclesiastici tempora, quibus praesertim vigiliae maiorum celebrantur festorum ieiuniis et abstinentiis. Orationibus et ieiuniis recolebatur Domini Iesu Christi Passio eiusque gloriosa resurrectio.

Immo, generalis quidam invaluit usus, ut quacumque feria sexta, memoriae mortis et passionis Domini N. I. Christi dicata, saltem abstinentia quaedam ab omnibus observaretur. In orientalium regionibus Christifideles in hoc eminuere, iam ab illis desertorum Aegypti caenobiorumque Asiae incolis.

Saeculis quidem vertentibus, dum refriguit plurium christianorum fervor, attamen opportunitas et necessitas visa est alicuius mitigationis huiusmodi observantiae. Sarta tectaque manere debet de ieiuniis abstinentiisque doctrina; sed quaedam sunt statuenda et ad hoc indicanda.

Sancta Oecumenica Synodus observantiam ieiuniorum abstinentiarumque omnibus Christi fidelibus iterum iterumque commendat. Ad refraenandas carnis illecebras, ad iram Dei de commissis mitigandam, sacrum ieiunium non minus necessarium esse quam vulneribus medicina pro comperto habetur. Ut tamen iustis novisque hominum conditionibus provideatur, pro rituum populorumque diversitate, in quantum possibile fas est, Sacra Oecumenica Synodus haec pro omnibus Ecclesiis Orientalibus constituere statuit:

I. Abstinentiae lex vetat carne, ovis et lacticiniis vesci, salvo iure particulari quod vetet esum piscium vel permittat usum ovorum et lacticiniorum.

(Sess. plenaria IV, die 21-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Ieiunii lex vero observanda est secundum usum proprii ritus.

(Sess. plenaria IV, die 21-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Lex solius abstinentiae in omnibus Ecclesiis Orientalibus servanda est singulis feriis sextis, iis exceptis quas indicant leges liturgicae.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter, uno dempto).

IV. Lex abstinentiae et ieiunii servanda est: 1) prima die Magnae Quadragesimae et Feria Sexta Hebdomadae Sanctae; 2) etiam aliis diebus Magnae Quadragesimae secundum ius particulare uniuscuiusque ritus.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. Alii dies abstinentiae, ieiunii vel ieiunii et abstinentiae unicuique ritui proprii, determinantur probatae Synodi praescripto vel legitima consuetudine.

(Sess. plenaria XIX, die 24-4-1961: unanimiter).

VI. Diebus Dominicis et festis de praecepto lex abstinentiae vel abstinentiae et ieiunii cessat.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

VII. In familiis mixti ritus facultas datur ut omnes unius eiusdemque ritus praecepta in ieiuniis et abstinentiis servent.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter).

VIII. Extra regiones proprii ritus singuli fideles facultate gaudent legem ieiunii et abstinentiae servare modo in loco vigente.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

IX. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint; lege vero ieiunii adstringuntur omnes ab expleto aetatis vigesimo anno ad inceptum sexagesimum.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: unanimiter).

III

DE COMMUNIONE PASCHALI

Mirabile Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum pro salute hominum haberi debet tamquam christianae vitae centrum; fornax est ardentissimae caritatis et arbor vitae. Salvator noster, ait Concilium Tridentinum (Sess. XIII, cap. 2), discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Dominus Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vita illius, quia dixit: « Qui manducat me et ipse vivet propter me » (*Ioan.* 6, 58), et « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis » (*Ioan.* 6, 54). Manducaverunt proinde cibum hunc et potum caelestem biberunt Iesu Christi apostoli eorumque discipuli; itemque Christi fideles « uno ore et corde » laudantes Dominum; manducavit martyrum candidatus exercitus, manducavit virginum agmen, confessorum manducarunt veritatis exurentia labia, manducarunt doctorum sapientissimi coetus, cibum hunc angelicum pro quotidiano etiam usu commendantes. Prostant homiliae orationesque Cypriani, Origenis, Ambrosii, Augustini, Basilii illius Caesariensis, qui Caesario commendabat: « Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi, bonum est et perutile, cum ipse perspicue dicat: Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » (*Enchir. Patr.*, n. 916). S. Ioannes Chrysostomus, cui nomen inditum fuit « Doctoris Eucharistici », alte conquestus est de christianis Antiochiae, qui semel vel bis tantum in anno hoc caelesti reficiebantur pane (*Hom. ad Hebr.* XVII, PG 63, c. 131). Ut ter saltem in anno fideles reciperent Panem Caelestem hortabantur Patres Agathenses (506) et Turonenses (813), ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum suscipiendum omnemque fidelem, postquam ad annos discretionis pervenerit, iubere non omiserunt Lateranenses Patres (1215), alioquin vivos ab ingressu ecclesiam prohibendo et mortuos a christiana sepultura arcendo (DB, *Ench.* 437), quam obligationem Tridentinum confirmavit Concilium (Sess. XIII, cap. 2 et n. 9).

Quae si occidentalem disciplinam magis spectant, bene scitur quod Orientales semper spectatissima dederunt exempla attamen multa cum varietate usque ad nostra tempora. Cum vero nostra aetate populi magis inter se communicent, ad vitam christianam rite ordinandam, quasdam normas communes

statuendas opportunum visum est. Quapropter haec Sancta Oecumenica Synodus omnibus Christifidelibus ferventissime commendat, ut saepe et etiam quotidie ad sacrum convivium accedant, praesertim vero ut laudabilem consuetudinem sacram Communionem maximis quisque anni festis diebus sumendi observare nitantur. Firma obligatione sumendi semel saltem in anno SS. Eucharistiam, haec statuere censuit:

I. Omnis fidelis, postquam ad annos discretionis, idest rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae Sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.

(Sess. plenaria IX, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

II. Praeceptum paschalis Communionis impleatur a Feria V Magnae Hebdomadae ad Dominicam post Pascha; sed locorum Hierarchae possunt, si ita adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante initium Quadragesimae, et prorogare, non tamen ultra Dominicam post festum Pentecostes. Solummodo ex rationibus valde gravibus iisdem locorum Hierarchis liceat ut, animarum saluti consulentes, rem ad aliam et aptiorem normam constituant.

(Sess. plenariae IX et X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

III. Obligatio praecepti Communionis sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, idest in parentes, tutores, confessarios, institutores et parochum.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

IV. Praecepto Communionis recipiendae non fit satis per sacrilegam Communionem.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

V. Curent locorum Hierarchae ut morem antiquissimum ac laudabilem Sacram Communionem maximis anni festis recipiendi, Christifideles sancte servent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

VI. Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, divina Eucharistia reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas, utque celebrationi divinae Liturgiae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam divinae Eucharistiae receptione, rite dispositi, communicent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

VII. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles Sacrae Communionis recipiendae praecepto tenentur.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter, duobus demptis).

VIII. Praeceptum paschalis Communionis pergit urgere, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter, duobus demptis).

IX. Suadendum ut suo quisque ritu et in sua quisque paroecia fideles praecepto Communionis paschalis satisfaciant et morem de quo supra (V) servent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

IV

DE DECIMIS SEU CONTRIBUTIS

Ecclesia Christi, etiamsi iam una ex parte cum Christo in caelis consummatur, tamquam « Ierusalem nova » (*Apoc.* 3, 12), « quae sursum est libera » (*Gal.* 4, 26), ex altera tamen parte ut societas electorum in terra degens, « in templum sanctum in Domino » (*Eph.* 2, 21) construi debet, et ut corpus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13) crescere. Oportet proinde ut secundum structuras societatis humanae sit disposita, cum ordine rerum temporalium connectatur rebusque creatis ad maiorem Dei gloriam et hominum aeternam salutem procurandam utatur. A necessitate hac vitae terrenae nunquam abstrahere potest nec iuri ad bona terrena sibi a Domino dato sponte renuntiare vel quadam humana auctoritate ab eorum usu impediri valet.

Cui iuri et necessitati respondet fidelium obligatio ut Ecclesiae necessitatibus ex abundantia opum pro posse et sponte contribuant. Nunquam revera, teste historia, liberalis haec contributio defecit, sed potius superabundavit, prout ad oculos demonstrat splendor, arte et antiquitate, sacrarum aedium, diversarum tum charitatis tum educationis operum per orbem terrarum diffusio, fideique christianae in plagis longinquis propagatio.

Novis tamen nunc exsurgentibus Ecclesiae necessitatibus, quae totum orbem terrarum respiciunt, Sancta haec Oecumenica Synodus pro orientalium etiam plagarum christifidelibus sollemniter sequentia statuit:

I. Ecclesiae ius est, a civili potestate minime dependens, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria.

(Ex Motu Proprio *Postquam Apostolicis,* can. 233, et CIC, can. 1496; sess. plenaria X, die 27-2-1961: unanimiter).

II. Exhortentur fideles ut obligationem subveniendi necessitatibus Ecclesiae secundum leges et propria statuta legitimasque consuetudines in unaquaque regione vigentes observent.

(Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

V

DE SOLLEMNITATIBUS NUPTIARUM

Sacramentorum dignae administrationi et receptioni Ecclesia semper omnem adhibuit et adhibet vigilantiam eorundem characteri et circumstantiis accommodatam. Nil mirum si etiam nuptiarum christianarum celebrationem, quae hominum socialem tangit naturam, aptis circumsaepsit praeceptis, ne earum sacer character detrimentum capiat vel tempora sacra anni ecclesiastici aliquomodo perturbentur usibus alioquin probatis gentium vel nimia externa pompa et sollemnitate, ad quas homines nostri temporis procliviores monstrantur.

Proinde, iterum sacro charactere matrimoniorum christifidelium inculcato, quo ipsa primordia familiarum christianarum coram Deo et hominibus consecrantur et roborantur subsidiis gratiae, Sancta haec Oecumenica Synodus omnes christifideles monet ne huius Sacramenti receptionem nimia mundana pompa distrahere sinant, sed eam potius temporibus sacris anni ecclesiastici accommodent, quo maiorem fructum obtinere et gratiam uberiorem sacramentalem percipere valeant. Qua de causa sequentia pro fidelibus orientalibus statuit:

I. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, firmo praescripto sub II.

II. Tempore sacro ante Nativitatem Domini et Magnae Quadragesimae, nec non aliis temporibus iure particulari statutis, vetatur ipsa nuptiarum celebratio.

III. Hierarchae tamen locorum possunt, ex iusta causa, vetito tempore permittere sive ipsam nuptiarum celebrationem sive sollemnem earundem benedictionem, monitis sponsis ut a pompae apparatu abstineant.

(Ex Motu Proprio *Crebrae allatae,* can. 97, §§ 1-3, emendata § 2. Sess. plenaria X, die 27-2-1961: maioritate suffragiorum).

VII

DE FACULTATIBUS EPISCOPORUM *

Christus Dominus suam voluit Ecclesiam ut societatem visibilem hierarchice constitutam, atque super Petro fundatam, quem quidem omnium Apostolorum principem et totius Ecclesiae militantis caput instituit, eique verae et propriae iurisdictionis primatum super universam Ecclesiam contulit. Petrus in suo primatu successorem habet Romanum Pontificem, qui et Vicarius Christi in terris, et totius Ecclesiae caput, et omnium christianorum Pater et Magister est, plena praeditus potestate universalem Ecclesiam pascendi, regendi et gubernandi.

Praeter Petri primatum, etiam Collegium Apostolorum Christus instituit, quorum successores sunt Episcopi, qui a Spiritu Sancto positi sunt, ut singuli tamquam veri pastores assignatos sibi greges, potestate quidem propria, atque ordinaria, pascant et gubernent, sub auctoritate Romani Pontificis.

Episcopi legitime constituti munere doctoris ac magistri in sua eparchia funguntur, ac simul iure et officio adstringuntur propriam ecclesiam gubernandi tum in spiritualibus tum in temporalibus, potestate legislativa, iudiciaria et executiva ad normam sacrorum canonum exercenda.

Certe hoc munus, quo Episcopi in regimine propriae ecclesiae funguntur, non excludit vel minuit sollicitudinem pastoralem ad procurandum bonum universalis Ecclesiae, cum huiusmodi sollicitudo etiam eis incumbat. Sunt enim membra Collegii episcopalis, quod succedit Collegio Apostolorum, a Domino ad regendum populum Dei constituto sub auctoritate S. Petri.

Neminem etiam latet Episcoporum potestatem ex ipsa Christi voluntate subiectam esse supremae Romani Pontificis iurisdictioni et auctoritati, cuius est omne exercitium iurisdictionis in Ecclesia moderari.

Bonum vero universalis Ecclesiae assequendum non raro causa fuit cur Suprema Auctoritas ambitum auctoritatis Episcoporum in exercitio potestatis ecclesiasticae coarctaret, limitationibus et reservationibus inductis, quae sive a Conciliis Oecumenicis, sive ad ipsis Romanis Pontificibus statutae sunt.

Attentis tamen hodiernis apostolatus necessitatibus ac temporum adiunctis, huic Sanctae Synodo opportunum visum est ut Episcoporum auctoritas

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in octava congregatione sessionis sextae, die 11 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1280-1291.

pastoralis in ecclesiarum regimine pro bono fidelium efficacior et promptior evadat, atque eorum dignitas coram clericis et fidelibus magis magisque eluceat.

Quamobrem haec Sancta Synodus sequentia decernere statuit:

I. Episcopi legitime instituti, propria ac ordinaria iurisdictionis potestate ad suam ecclesiam gubernandam pollent.

II. Episcoporum potestas in regendis suis ecclesiis et in bono fidelium procurando non aliis limitationibus ac reservationibus restringatur, nisi quas temporibus hodiernis bonum commune Ecclesiae necessarias aut convenientes esse probaverit.

III. Episcopis singulis facultas sit a lege generali Ecclesiae in casu peculiari dispensandi, quoties id ad bonum spirituale animarum conferre iudicent, dummodo agatur de re in qua Sancta Sedes petitam dispensationem concedere solita sit, nec specialis reservatio a Sede Apostolica sibi vel Patriarchis vel alii Auctoritati facta fuerit.

IV. In dubiis iuris vel facti de reservationibus vel limitationibus, praesumptio stat pro ordinaria Episcoporum potestate, donec interveniat Romani Pontificis in contrarium declaratio.

(Sess. plenaria XXXVII, die 16-10-1961: unanimiter et ad mentem).

[*Mens Commissionis*:]

1) Visum est Commissioni de Eccl. Orientalibus non expedire elenchos plus vel minus perfectos facere facultatum (ex. gr. quinquennalium), sed potius limitationes a Suprema Ecclesiae Auctoritate inductas vel inducendas redigere et promulgare ad modum cuiusdam elenchi reservationum, Apostolicae Sedi vel aliis (ut ex. gr. Patriarchis) reservatarum.

2) Ideo praesumendum est, quod favor iuris stat pro ordinaria et propria potestate Episcoporum in iis quae ad gubernium propriae eparchiae pertinent; etiam in dubiis, quae varias ob rationes evenire possent, praesumptionem stare, in casibus singulis, in favorem potestatis Episcoporum, donec dubium, rite propositum et excussum, a Romano Pontifice dirimatur.

3) In casibus peculiaribus vel ad actum, in iis quae a Sede Apostolica dari solent, et in quibus non obstat expressa reservatio, proponitur ut detur Episcopis facultas dispensandi, ita ut modo expeditiori et promptiori bono spirituali fidelium provideatur.

4) Hisce attentis et declaratis Commissio de Ecclesiis Orientalibus satis provisum esse censuit votis Episcoporum, ad Commissionem Antepraeparatoriam missis, ut Episcoporum orientalium figura et momentum eorumque potestas ordinaria et propria affirmetur, respectu etiam habito ad fratres dissidentes.

(*N. B.*: Praesens schema consideratur ut ulterius elementum ad redigendum schema Decreti unici « de Ecclesiis Orientalibus » in Concilio proponendum).

VIII

DE CATECHISMO ET CATECHETICA INSTITUTIONE *

Postquam Sacrosancta Tridentina Synodus catechismum Romanum, qui praesto esset omnibus curam animarum habentibus, a Sancta Sede edendum decreverit, Concilium Oecumenicum Vaticanum I unum pro omnibus fidelibus universae Ecclesiae catechismum conficiendum statuit (*Conc. Trident.*, sess. 24, cap. 7; MANSI, *Conc. Vat.* 51, col. 454, 513), quam causam « Commissio super missionibus et ecclesiis ritus orientalis » suam libenter fecit, eique ut quae peculiaria sunt Orientalibus inserantur proposuit (MANSI, 53, col. 733).

Cum tamen homines mandatum divinum: « replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 28), hodie ad litteram fere exsecuti sint, et tempora et spatium aliquo modo sub dominium suum redigerint, longinquitatem itinerum regionumque distantias superarint, et in unitatem quamdam populorum gentiumque coaluerint, necesse est ut cognitiones substantialiter easdem apprehendant et veram doctrinam significare valeant, etiam sibi invicem, de Deo, de homine et de creaturis. Quia omnibus, qui christiano gloriantur nomine, « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis » (*Ephes.*, 5, 4-6) in corde, ore et opere sit necessum. Ac pariter de iis quae sunt Ecclesiae omnibus una sit mens et cogitatio opus est, et idem sentiant ac dicant; et ita mutua Orientis Occidentisque cognitio melius promoveatur et Ecclesiae unitas in varietate et varietas in unitate magis magisque in dies elucescat.

Quae cum ita sint, manifesta in dies apparet necessitas, ut quae de christiana doctrina sunt necessaria ad discendum vel docendum, eodem quodammodo compendio praesto sint, ut veritas, quae « per Iesum Christum facta est » (*Ioan.* 1, 17) omnibus sit praesto, « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei » (*Ephes.* 4, 13), utque « communicet is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis » (*Gal.* 6, 6).

Quapropter Sancta haec Oecumenica Synodus sequentia in bonum animarum, ut eruditi fiant iuxta veritatem infantes et adulti, docentes et discentes, censuit constituere:

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in octava congregatione sessionis sextae, die 11 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1291-1304.

I. Perplurimis ecclesiasticis Praesulibus et animarum Pastoribus nec non Evangelii praeconibus instantibus et enixe petentibus ex omni natione, regione vel ritu, statuit Sancta Oecumenica Synodus ut pro universali Ecclesia Christi, occidentali orientalique, unicus edatur catechismus christianae doctrinae addiscendae gratia, cui suam auctoritatem et commendationem sollemniter apponit.

(Sess. plenaria XX, die 25-4-1961: maioritate suffragiorum).

II. Hic catechismus seu doctrinae christianae compendium totius institutionis in christiana doctrina sit fundamentum et manuductio tum pro docentibus cum pro discentibus, secundum optimas quasque nationum regionumque methodos et christifidelium particulares exigentias.

(Sess. plenaria XX, die 25-4-1961: maioritate suffragiorum).

III. In catechismo hoc universali auctoritate Concilii Oecumenici edendo respectus debitus habeatur varietatum et particularitatum rituum orientalium quod hierarchiam, disciplinam, liturgiam, traditiones cultumque ecclesiasticum, ut mutua Orientis Occidentisque cognitio melius promoveatur et Ecclesiae unitas in varietate et varietas in unitate magis magisque in dies eluceat.

(Sess. plenaria XX, die 25-4-1961: maioritate suffragiorum).

IV. Constituatur proinde coetus virorum rei catecheticae peritorum, cui quidam rerum orientalium periti sunt adnumerandi, quique catechismo hoc apparando manum quantocius apponant, ut rei gravissimae, in qua moras trahere non licet.

(Sess. plenaria XX, die 25-4-1961: maioritate suffragiorum).

V. Hierarchis locorum, singulis vel in Synodis congregatis, sacerdotibus omnibus, saecularibus religiosisque, aliisque omnibus qui Fidei christianae propagandae et in animis etiam fidelium radicandae adlaborant, Sancta Oecumenica Synodus catecheticam institutionem gentium populorumque, uti negotium gravissimum et urgens, enixe inculcat et commendat omni conatu, methodo et studio assequendum.

(Sess. plenaria XX, die 25-4-1961: unanimiter).

(*N. B.*: Praesens schema consideratur ut ulterius elementum ad redigendum schema Decreti unici « de Ecclesiis Orientalibus » in Concilio proponendum).

IX

DE KALENDARIO PERPETUO ET CELEBRATIONE PASCHATIS *

Vitae humanae socialis rectus ordo omnino exigit ut homines, sive singulis sive in coetibus familiaribus et nationalibus coniuncti, activitatem et industriam suam ita disponant ut rerum naturalium cursus ratio habeatur. Universorum enim conditor Deus, sapientissima providentia tamquam humanae in terris vitae mensuram caelestium corporum evolutionem adsignavit. Ex quo factum est ut humanum genus inde ab ipsis primordiis dies annosque serie quadam stabili et perpetua numerare nunquam intermiserit. Immo, sacra Dei ad homines locutio in libris sacris enarrata seriem hanc annorum agnovit eaque usa est.

Ubi vero temporum plenitudo venit atque Dominus Iesus Christus inter homines apparuit, ipse secundum dies et annos confortabatur plenus sapientia (*Lc.*, 2, 40). Ecclesia deinde constituta, terrenisque conditionibus et necessitatibus subiecta, mensuram hanc dierum annorumque miro quodam modo locupletavit, diebus Dominicis et festis Deigenitricis et Sanctorum inductis per decursum totius anni, quem deinde annum ecclesiasticum seu liturgicum vocavit, in quo vitam Domini N. I. Christi commemorare consuevit. In hac mirabili dierum serie eminent quidam dies festi, quorum praecipui celebrant ipsius Domini Nativitatem eiusque e mortuis resurrectionem, quam Pascha populus christianus vocat.

Humanarum tamen rerum imperfectio causa fuit cur non una habeatur de temporum successione et divisione sententia. Exinde illa ecclesiastica festorum celebrandorum differentia orta est, qua non omnibus iisdem diebus communia veniunt spiritualia gaudia. Quae diversitates nostris praesertim temporibus cernuntur, quibus civilis vitae ratio efficit ut homines arctioribus in dies necessitudinibus devinciantur. Haec autem christianorum in celebrandis diebus festis discordia miram quamdam excitat admirationem et exprobrationem.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis sextae, die 12 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1304-1322.

Sacra proinde Oecumenica Synodus, quae compertos habet conatus qui eo spectant ut unum quoddam Kalendarium commune et perpetuum pro toto orbe terrarum constituatur, iisdem non solum non obstat sed eos laudat ac vult promoveri, hoc unice sibi cavens ut in hac re Kalendarii etiam christiani ratio habeatur, et dies Deo dicati in tuto ponantur.

Desiderat praeterea Sancta Synodus ut christianorum omnium quidam habeatur concentus, quo Pascha christianum una eademque celebratur stabili die. Difficultates tamen prae oculis habens, quae huic mirabili concordiae et unitati in praesens opponuntur, concedit variis christianorum orientalium communitatibus ut ad interim rem in meliorem formam et ad maiorem bonum animarum et gloriam nominis christiani ita componant, ut saltem per singulas orbis terrarum plagas una eademque die personent paschalia gaudia.

Ideo sequentia statuere ac declarare proponit:

I. Sancta Oecumenica Synodus studia et incepta, quae spectant ad introducendum Kalendarium perpetuum in societatem civilem, omnino laudat eisque se favere declarat.

II. Sancta Synodus tamen valde exoptat ut unum Kalendarium ubique introducatur, in quo hebdomada 7 dierum et dies Dominici serventur et Pascha ab omnibus christianis eodem die celebretur.

III. Votum etiam profert, ut catholici, christiani dissidentes, protestantes, aliique christiani non catholici conveniant ad unicam diem, qua festivitatem Paschatis omnes celebrent, stabiliendam.

IV. Ad unitatem tandem inter omnes christianos in eadem regione aut natione degentes fovendam, donec meliore et generaliore modo pro toto orbe terrarum provideatur, committitur Patriarchis vel supremis ecclesiasticis in loco Auctoritatibus, ut, collatis consiliis cum iis quorum interest, rem ita componant pro bono religionis christianae, ut omnes christiani eadem Dominica die festum Paschatis celebrent.

(Sess. plenaria XL, die 18-10-1961: maioritate suffragiorum).

[*Mens Commissionis*:]

1) Quaestio de Kalendario pluribus ex partibus et varias ob rationes promovetur; Orientales dissidentes etiam, in proxima Synodo Rodiensi, eam tractare in propositis habent. Res omnino utilis ergo si antea iam mens Ecclesiae Catholicae, etiam ad Orientales quod attinet, pateat, nacta occasione Concilii.

2) Kalendarium apud Orientales usque ad nostra tempora est adhuc sub iudice et magis urget ob migrationem hominum eorumque frequentiores contactus.

3) Praeter partialem tantummodo acceptationem Kalendarii Gregoriani in rebus ecclesiasticis, qua in re saepe differunt a computo civili, apud Orien-

tales insoluta permanet etiam quaestio computationis temporis paschalis (inde a saec. IV), quae etiam apud communitates cum Kalendario Gregoriano differt et vitam religiosam populorum difficilem reddit. Differentia haec saepe etiam ad 5 hebdomadas ascendit.

4) Exinde Orientalibus imprimis interest introductio Kalendarii perpetui et universalis, in quo differentiae supra dictae disparere sperantur, praesertim si in sinu unius eiusdemque populi vigent. Hac spe et necessitate ducta, Commissio votum exprimit, servata omnino conditione de charactere christiano Kalendarii seu hebdomadae 7 dierum et dierum Dominicorum.

5) Ad interim proponitur ut fiat quidam communis omnium Christianorum consensus quoad celebrationem diei Paschatis, recedendo etiam, si opus esset, a computo nunc vigente. Quae res est ecclesiastica et ab ecclesiasticis omnino pendet Auctoritatibus.

6) Ut necessitas magis pateat, allegatur tabula celebrationis dierum festorum Nativitatis et Paschatis D. N. I. C. apud communitates orientales vigentis.

DIES CELEBRATIONIS NATIVITATIS ET PASCHATIS IN VARIIS RITIBUS ORIENTALIBUS

N.	Ritus	Nativitas		Pascha		
		25 Dec.	7 Jan.	Greg.	Julian.	Animadv.
1	Alex. Copt.: Cath.	partim	partim	partim	partim	3 Dioec. cum Diss., 1 Lat.
	» » Diss.		7 Jan.		Julian.	
2	Alex. Aeth.: Cath.		7 Jan.		Julian.	
	» » Diss.		7 Jan.		Julian.	
3	Armen.: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» Diss.		7 Jan.	Greg.		
4	Chaldaeus: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» Diss.		7 Jan.		Julian.	
5	Syro-Ant.: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» » Diss.	partim	partim		Julian.	
6	Syro-Malab.: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» » Nest.		7 Jan.		Julian.	
7	Syro-Malan.: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» » Jacob.	25 Dec.		Greg.		Ita ab a. 1955
8	Syro-Maronita	25 Dec.		Greg.		A saec. XVII
	Byzantini					
9	Graeco-Melchiti	25 Dec.		Greg.		
	» -Orthod.	partim	partim		Julian.	
10	Ukrain-Cathol.	partim	partim	partim	partim	In Diaspora ubique
	» -Orthod.		7 Jan.		Julian.	

N.	Ritus	Nativitas		Pascha		
		25 Dec.	7 Jan.	Greg.	Julian.	Animadv.
11	Italo-Alban: Cath.	25 Dec.		Greg.		
	» » Diss.	25 Dec.			Julian.	
12	Slavi: Cathol.	25 Dec.		Greg.		
	» Dissid.		7 Jan.		Julian.	
13	Russi: Cathol.	partim	partim	partim	partim	Dispersi
	» Orthod.		7 Jan.		Julian.	
14	Bulgari: Cathol.		7 Jan.		Julian.	
	» Diss.		7 Jan.		Julian.	
15	Rumeni: Cathol.	25 Dec.			Julian.	Ab a. 1924
	» Orthod.	25 Dec.			Julian.	
16	Rutheni: Cathol.	partim	partim	partim	partim	
	» Orthod.		7 Jan.		Julian.	
17	Graeci: Cathol.	25 Dec.			Julian.	
	» Orthod.	25 Dec.			Julian.	

(*N. B.*: Praesens schema consideratur ut ulterius elementum ad redigendum schema Decreti unici « de Ecclesiis Orientalibus » in Concilio proponendum).

X

DE OFFICIO DIVINO ECCLESIARUM ORIENTALIUM *

Dominus Iesus Christus, divinus veritatis sanctitudinisque Magister, cum mortalem vitam degeret, doctrina exemploque suo numquam destitit eam tradere atque inculcare vitae rationem, quae Dei filios apprime deceret; atque dum sine intermissione homines hortabatur, ut orando mentem ad Deum eveherent cultumque Deo debitum persolverent, illud nos intimum edocuit commercium, quod cum caelestium luminum Patre habemus, quotiescumque filiorum more Deo supplices preces admovemus (cf. *Lc.,* 18, 1; 21, 36).

Quibus quidem exemplis, doctrina praeceptisque permoti, Iesu Christi discipuli ceterique primaevae Ecclesiae Evangelii praecones hanc eandem ducendae vitae rationem praedicare nunquam omiserunt (*Thess.,* 5, 17).

Ecclesia Dei deinde, postquam apud omnes gentes propagata et constituta fuit, obligationis huius Deum exorandi et laudandi semper memor, clericos fidelesque incitavit ad templa Deo dicata frequentanda laudesque Deo canendas, atque eis semper novas occasiones praebuit Deum precandi, praesertim praeclara illa lege condita, vi cuius Divinae Liturgiae atque Officia per totum orbem terrarum, in varietate quidem rituum, in unitate tamen cordium, incessanter celebranda sunt.

Lege hac orandi tota Christifidelium communitas, Episcopis clericisque praeeuntibus, obstrictam se semper professa est et adhuc profitetur. Nostris tamen temporibus, cum rerum humanarum curae et sollicitudines quam plurimos a caelestibus bonis assidue quaerendis abducunt et in terrenis et caducis demergunt, atque etiam homines impellunt ad novum quemdam ordinem rerum instaurandum, in quo temporalia aeternis anteponuntur, ut in ipsorum necessitatibus fiat satis, Sacrosancta Oecumenica Synodus, hisce periculis, magis magisque imminentibus, consideratis, omnes christifideles instantissime hortatur, ut ad Deum fusis precibus e laqueis maligni et ab illecebris rerum caducarum animos mentesque liberare omnibus viribus contendant: quam ad rem sequentia statuit et declarat:

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis sextae, die 12 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1307-1322.

I. Oratio ad Deumque precatio semper fuit et esse debet, eorum omnium qui christiano gloriantur nomine, nobilissimum et primarium munus, prout docuit D. N. Iesus Christus atque eius Ecclesia iteratis praedicavit vicibus. Nemini proinde licet hunc christianae vitae ordinem perturbare, mutare, aut in eius locum alium praedicare, quasi hodiernis hominum condicionibus magis consonum, in quo scilicet profanum quoddam rerum agendarum studium et curae rerum temporalium praecipuas habent partes.

II. Hic vitae christianae ducendae ordo, qui pro omnibus valet christifidelibus ubicumque degentium locorum, maiore tamen vi et gravitate eos omnes adstringit qui in sacris sunt constituti, cum eos Dominus N. I. Christus ad vestigia sua pressius sequenda vocaverit et sacrorum ministros in Ecclesia sua constituerit.

III. Omnibus proinde Orientalium Ecclesiarum clericis fidelibusque Sacrosancta haec Oecumenica Synodus enixe commendat, ut Deum incessanter omni tempore exorent, adhibito illo mirabili precum orationumque thesauro, quem decursu saeculorum, operam ferentibus christianis sanctitudine praestantissimis, Ecclesia Dei comparavit, quemque iure meritoque Officium vel Laudes vocat Divinas.

IV. Officium Divinum publicum in communitatibus christianis orientalibus, ad normam librorum liturgicorum itemque secundum traditas consuetudines et ius particulare singularum Ecclesiarum Orientalium sancte devoteque celebretur.

V. Religiosorum vero familiae, quarum domus monasteriaque veluti templa quaedam ad fundendas Deo orationes habentur et revera sunt, monentur ut nomine totius Ecclesiae Deo fundant instantissimas cotidianas orationes laudesque eius canant omnique tempore benedicant nomini Domini.

VI. Clerici orientales in maioribus ordinibus constituti adsint imprimis Officio Divino publico, quod celebratur secundum legitimas consuetudines et ius particulare unicuique Ecclesiae Orientali proprium.

VII. Diebus autem, quibus Officium Divinum publicum non habetur, vel si eidem celebrando non interfuerint, tenentur clerici id persolvere iuxta praescripta iuris particularis propriae Ecclesiae.

VIII. Diligentissimam curam adhibeant Patriarchae et supremae cuiusque Ecclesiae Auctoritates ut, secundum legitimas consuetudines uniuscuiusque Ecclesiae Orientalis, redigatur, ubi desit, vel reformetur, ubi opus sit, forma brevior Officii divini ad privatam recitationem magis apta.

(Sess. plenariae XXXIII-XXXIV, diebus 10/13-10-1961: maioritate suffragiorum et ad mentem).

[*Mens Commissionis*:]

1) Commissio de Ecclesiis Orientalibus maioritate suffragiorum censuit nihil innovandum quoad obligationem clericorum Officium divinum privatim recitandi (cf. can. 76 Motu Proprio *Cleri sanctitati,* 1957); et quidem ne maior adhuc differentia disciplinae ecclesiasticae inter catholicos et dissidentes orientales introducatur et praesertim ob defectum librorum ad recitationem privatam aptorum, qui apud quasdam tantummodo communitates prostant.

2) Mens Commissionis fuit ut potius momentum celebrationis publicae Officii Divini affirmetur, in ecclesiis cathedralibus, paroecialibus et religiosorum, cui clerici ratione eorum characteris clericalis, interesse tenentur. Absentes in celebratione publica, praescripta iuris particularis sequantur, ad quae remittitur ad gravitatem obligationis quod attinet.

3) Maioritate suffragiorum Commissio noluit etiam ut eadem lege et obligatione subdiaconi orientales etiam adstringantur. Item non placuit maioritati propositum ut Officium Divinum per determinatum temporis spatium privatim recitetur, ut obligationi clericali sit satis.

4) Ut clericorum et etiam fidelium privatae Officii Divini recitationi provideatur, singulas Ecclesias orientales Concilium sollemniter hortatur, ut ex thesauro liturgico proprii ritus brevoriem formam Officii Divini conficiant et ad praescripta iuris particularis, maioris devotionis causa, adhibeant.

5) Ordo rerum humanarum in plagis orientalibus, doctrinis atheismi et materialismi ut plurimum perturbatus, suadet ut momentum orationis in vita christiana quadam gravi hortatione Concilii sublevetur.

(*N. B.*: Praesens schema consideratur ut ulterius quoddam elementum ad redigendum schema Decreti unici « de Ecclesiis Orientalibus » in Concilio proponendum).

XI

DE ECCLESIAE UNITATE « UT OMNES UNUM SINT » *

[I. *Opus redemptionis*] 1. Conditor et restitutor generis humani, Deus verus et unus, « elegit nos (in Christo) ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate » (*Eph.*, 1, 4), id est in communione cum Ipso et inter nos homines, quia « Deus charitas est » (*I Io.*, 4, 16), « et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum » (*I Io.*, 4, 21). Per peccatum, quod est odium (*Io.*, 15, 22-25), homines seiuncti sunt a Deo et ab invicem, sicut testatur historia generis humani, in Libris Sanctis enarrata. Per mortem et resurrectionem Iesu Christi facta est « nova creatura » (*II Cor.*, 5, 17; *Gal.*, 6, 15), « ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » (*Col.*, 3, 11; cf. *I Cor.* 12, 13; *Gal.*, 3, 28). Induentes Christum ut Novum Hominem per baptismum (*Gal.*, 3, 27; *Eph.*, 4, 24; *Col.*, 3, 10), fideles in unitatem cum Christo et inter se renovantur: omnes enim unum sunt in Christo Iesu (*Gal.*, 3, 28). Fiunt « corpus Christi et membra de membro » (*I Cor.*, 12, 27).

[II. *De Ecclesia terrestri et caelesti*] 2. Hoc Corpus Christi est Ecclesia (*Eph.*, 1, 22-23; 5, 23. 29-30; *Col.*, 1, 18. 24; cf. *I Cor.*, 12, 27-28), societas electorum qui Christo uniuntur et ab eo salutem consequuntur.

3. Salus autem nondum plene consummata est. Christus ipse « sedet ad dexteram Dei » (*Mc.*, 16, 19, etc.), plenus gloria aeterna et consummata: « Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur » (*Rom.*, 6, 9). Fideles autem Christi peccato et morti adhuc subiiciuntur, quia mundus hic nondum per secundum adventum Christi absolutus est.

4. Hinc et duplex Ecclesiae status. Ex una parte, iam cum Christo in coelis consummatur, tamquam « Ierusalem nova » (*Apoc.*, 3, 12), « quae sursum est, libera » (*Gal.*, 4, 26), « Sponsa Agni » (*Apoc.*, 21, 9 ss.). Ex altera vero parte, ut adhuc in hoc mundo constricta, est imperfecta et construi debet « in templum sanctum in Domino » (*Eph.*, 2, 21), crescere ut

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta et sexta congregatione sessionis septimae, diebus 16-18 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 436-467.

corpus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.,* 4, 13). Oportet proinde ut structuris societatis humanae utatur, cum ordine rerum temporalium connectatur, et contra elementa mundi (*Gal.,* 4, 3) certet. Ad hoc autem eget iuncturis, nexibus et coniunctionibus ad compaginem et subministrationem corporis Christi (*Col.,* 2, 19; Eph., 4, 16). Hic remanent ad tempus leges et poenae, auctoritas et iurisdictio, hierarchia, inaequalitas superiores inter et inferiores.

[III. *Ecclesia hierarchica*] 5. Christus prospiciens et volens hanc aedificationem visibilem suae Ecclesiae in terris, providit ei ministros qui eam suo nomine educerent et gubernarent. Inter quos ministros eminent apostoli (*Eph.,* 4, 11; cf. *I Cor.,* 12, 28), super quos Ecclesia aedificatur tamquam « super fundamentum » (*Eph.,* 2, 20). Et inter apostolos Christus elegit Petrum tamquam principem et caput, super quem aedificaret Ecclesiam (*Mt.,* 16, 18), per eum alios apostolos in fide confirmans (*Lc.,* 22, 31-32), illosque una cum universo grege pascens (*Io.,* 21, 15-17). Ille qui promisit se cum suis « usque ad consummationem saeculi » futurum esse (*Mt.*, 28, 20), manifeste voluit ut ista auctoritas permaneret quamdiu Ecclesia in terris versaretur. Unde Traditio catholica tenuit et tenet apostolos suam potestatem a Christo acceptam sucessoribus transmisisse, qui sunt episcopi, sicut Petrus ipse suum munus successori transmisit, qui est caput collegii episcopalis et simul cum eo Ecclesiam gubernat.

[IV. *Unitas visibilis Ecclesiae sub Petro*] 6. Graviter autem erraret qui ex dictis concluderet Petrum vel eius successorem Christum aliquo modo supplantare. Christus est Caput omni modo, in omni ordine, sub omni respectu: est fons gratiae (*Io.,* 4, 14; 7, 37 ss.; *Apoc.,* 21, 6), « lumen vitae » (*Io.,* 8, 12), dator Spiritus Sancti (*Io.,* 7, 39), rex (*Apoc.,* 19, 16), legislator (*Mt.,* 5, 17; *Iac.,* 4, 12), iudex (*Mt.,* 25, 31 ss.; *Act.,* 10, 42). Petrus vero, vel eius successor, non est caput nisi modo vicario, et quidem in ordine iurisdictionis, seu Ecclesiae terrestris et visibilis; ubi gubernat, leges fert, iudicat in nomine Christi. In ordine gratiae, ipse Successor Petri eam recipit sicut omnes fideles Christi, et communicat ut instrumentum sacerdotale sicut omnes ministri cultus. Ordinat tamen quae ad exercitium temporale pertinent rerum spiritualium, ut sunt sacramenta et praedicatio verbi, de usu potestatis ordinis disponendo per potestatem iurisdictionis. Item de formulatione fidei iudicat et decernit, sive solus sive cum collegio episcopali, per magisterium infallibile a Christo concessum.

[V. *Unitas Ecclesiae indivisibilis*] 7. Sic acquisita per sanguinem Christi (*Act.,* 20 28) et super Petrum et Apostolos fundata, sancta Ecclesia voluntati sui divini Fundatoris non respondebit nisi una permaneat. « Rogo... ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint » (*Io.,* 17, 21). His verbis, Dominus noster Iesus Christus non intendit tantum unitatem Ecclesiae consummatae in coelis, sed etiam construendae in terris; nam addit: « ut credat mundus quia tu me misisti ». Unitas vero haec Ecclesiae non perficitur nisi sub aspectu etiam visibili vel

temporali, quem voluit Christus, et quidem per submissionem auctoritati ab eo institutae in terris, scilicet collegio episcopali et eius capiti, Petri successori. Heic autem, proh dolor! lamentatur Mater Ecclesia divisiones et schismata, quae in sinum suum per iniuriam temporum et fragilitatem hominum irrepserunt. Sicut saepe accidit in rebus humanis, dissensiones mentium vel cordium, oppositiones individuales vel regionales, ignorantia vel alienatio, post se traxerunt separationes in ipso grege Christi, ita ut partes quaedam Ecclesiae se ab auctoritate Vicarii Christi subtraxerint et in coetus independentes se constituerint. Haec est calamitas nimis dolenda, qua Ecclesia Christi crudeliter laesa est et laeditur. Itaque sollemniter profitemur et declaramus unam tantum esse Ecclesiam, etiam secundum conditionem eius terrestrem, et istam veram Ecclesiam eam esse quae a Petri successore gubernatur. Alia proinde non datur Ecclesia quae seipsam veram et unicam profiteri valeat. Neque etiam dicenda est superflua communio cum sede Petri, ita ut quaecumque Ecclesia terrestris ab hac Sede separata, eodem modo ad eamdem Ecclesiam invisibilem et coelestem vere pertineat. Error adhuc perniciosior, quando regimini temporali cuiusdam civilis gubernii agnoscitur indebitum ius sese ingerendi in gubernium Ecclesiae, quasi civitas christianorum mere terrestris esset et non primo coelestis (cf. *Phil.,* 3, 20).

[VI. *Unitas in diversitate*] 8. Erraret tamen qui unitatem in capite cum nimia uniformitate in corpore confunderet. Corpus unum diversa membra habet, et non parum suae fortitudinis et pulchritudinis ex ista diversitate trahit. Sic Ecclesia Christi, se circumstantiis locorum et temporum aptans, debet et vult servare traditiones, consuetudines, necessitates proprias uniuscuiusque regionis terrae ubi filii sui degunt, praesertim illarum ubi venerabiles Ecclesiae Orientales florescunt. Talis autem opportuna diversitas non impedit, sed e contra postulat auctoritatem unicam quae omnia coordinet, coadunet et coniungat.

[VII. *Damna ex divisione*] 9. De cetero neminem latet multos qui bona fide in separatis Ecclesiis vivunt et a Vicario Christi materialiter tantum et quasi per traditionem seiunguntur, ab Ecclesia vera quodam modo alienos non esse, et suam salutem consequi posse. Privantur tamen multis mediis salutis quae in vera Ecclesia inveniuntur, praecipue institutionibus et directionibus Magisterii, sine quibus fides et mores christiani non perfecte praeservantur. Et quidquid sit de salute individuorum, certum est divisionem in sinu societatis christianae nocumentum secum ferre nec non magnum damnum, tam in expansione interiore et exteriore familiae Christi quam in eius contra adversas Portas Inferi certamine. « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.,* 13, 35).

[VIII. *Vestigia unitatis*] 10. Unde cum omni fraterna sollicitudine exoptat Sacrosancta Synodus ut fratres christiani dissidentes perfectae unitati gregis Christi consulant et in « unum ovile » conveniant. Certo non ignorat vincula spiritualia, in praeteritis saeculis connexa, quae calamitas divisionis totaliter solvere non potuit. Immo cum intimo gaudio de communi cogitat

patrimonio, cuius fratres Orientis simul ac Occidentis haeredes facti sunt, necnon de traditionibus peculiaribus, quibus a Sanctis Patribus locupletati sunt, ut ex eis haurientes se ad invicem exornent. Haec sunt communia bona vi quorum fratres, etsi separati, remanent fratres.

[IX. *Opera Ecclesiae de unitate instauranda*] 11. Fraternitatis in Christo et communis historiae luctarum victoriarumque pro Eius Regno in terris instaurando memor, Ecclesia catholica veritatem in charitate promovens, nunquam ab opere cessavit ut communionem omnium in Christum credentium ubique instauraret, mediis divinis ac humanis adhibitis; Dei in unitate et trinitate adiutorium incessantibus adprecavit orationibus, Concilia oecumenica sacrorum Dominici gregis pastorum adunavit, dubia declaravit, credenda proposuit, obnubilata illustravit. Romani vero Pontifices, quibus a Christo Domino expresso mandato fuit commissum in Beato Petro ut agnos ovesque Eius pascerent (*Io.,* 21, 16-17) et fratres confirmarent (*Lc.,* 22, 32), nunquam ab hoc officio charitatis et veritatis saeculis labentibus cessabant nec cessant, paternis monitis fraternaque invitatione et hortamentis adhibitis, confisi voluntatem Domini eiusque testamentum « ut omnes unum sint » (*Io.,* 17, 20-21) tandem aliquando Deo Domino dante consummari « sicut in caelis, et in terra », ut credat mundus Verbo incarnato a Patre misso (*Io.,* 17, 21).

12. Sancta proinde haec Oecumenica Synodus ex toto orbe terrarum adunata, muneris sui esse censuit enixa hortatione mentes et corda omnium qui christiano gloriantur nomine ad hoc adducere ut iunctis precibus et opere, instantius Deum exorent de ea unitate, quam Christus Dominus, antequam transiret ex hoc mundo (*Io.,* 13, 1) a Patre exoravit (*Io.,* 17, 11) et efficaciora adhibeant media, quibus omnia quae obsunt auferantur, quaeque prosunt promoveantur.

[X. *Media supernaturalia*] 13. Sursum imprimis habenda sunt corda mentesque et manus nostras extollamus in Sancta unde veniet adiutorium nostrum (cf. *Ps.* 120; 133). Etsi enim hoc coniungendi disiuncta opus non paucos hucusque attulerit fructus, fatendum tamen est tentaminum exitum spem omnem non implevisse. Quinimmo, tot et tanta adhuc remanent obstacula unioni verae, sincerae et firmae adversantia, ut de felici successu illis qui tot viribus in sedanda controversia elaborant, desperandum esset, nisi Dominum Iesum in Evangeliis dicentem audiamus: « Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt » (*Mt.,* 19, 26) et iterum: « Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis... Omnia possibilia sunt credenti » (*Mc.,* 11, 24; 9, 23).

14. Si ergo ad tollendum lamentabile discidium, quod a saeculis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesias orientales invaluit et adhuc perdurat, media humana sint omnino imparia, orationi tamen, dummodo fidem invictam habeat sociam, omnipotentia quaedam inest, iuxta ipsius Christi promissum, ad ea efficienda quae videntur hominibus impossibilia vel ardua. Omnes igitur qui unitati restituendae operam navant, ad hoc supernaturale medium

recurrere imprimis necesse est. Instauratio enim pacis et concordiae inter christianos opus est non humanum, sed gratiae, opus utique supernaturale in quo exsequendo in vanum desudabunt operarii, si Deus cooperator non exstiterit (*Ps.* 126). Unde iubet haec Sancta Synodus ut preces non solum privatim, sed et publice fundantur ut Deus Ecclesiam suam in unum congregare dignetur.

15. Ad huiusmodi spiritualem conspirationem omnium obtinendam, commendat haec Sancta Synodus, ut preces pro Ecclesiae unitate concinnatae et commendatae ubique instituantur terrarum; imprimis vero promantur supplicationes novendiales ante diem Pentecostes, a Leone Pp. XIII decretas « ad maturandum christianae unitatis bonum » (*Divinum illud,* 9-5-1897) et perdurante « octavario orationum pro unione » mensis Ianuarii, prout iam usu inter christianos venit.

16. Cum autem « permagnum unitatis christianae praesidium divinitus oblatum est in Maria » (Leo XIII, *Adiutricem populi,* 5-9-1895), ad hanc adiutricem populi christiani potentem et clementissimam, Virginem et Dei et hominum viatorum Matrem maiore cum fiducia oportet ut accurratur. Eam nempe sanctus Germanus Constantinopolitanus hisce vocibus orabat: « Christianorum memento, qui servi tui sunt; omnium preces commenda, spem omnium adiuva, fidem solida, tu Ecclesias in unum coniunge » (*Or. in Dorm. Deiparae*). Deigenitrici Mariae igitur fidendum, humani generis Protectrici supplicandum. Et cum de Orientalibus agatur Ecclesiis, specialis de eius mediatione et protectione militat titulus: egregia scilicet quae in ipsam fuerunt earum Ecclesiarum merita. Hisce multum sane debetur de veneratione eius propagata et aucta; in orientalium Ecclesiarum plagis memorabiles dignitatis eius vixisse assertores et vindices, pietate et scriptis gravissimos, laudatores ardore et suavitate eloquii insignes. Repleatur Oriens et Occidens ad Deigenitricem et Matrem et refugium omnium christianorum laudationum et deprecationum vocibus, ut Ipsa fiat felix et diuturnum unitatis Christifidelium vinculum et columen, cuius firma lenique materna vi eorum omnium qui sunt Christi quique diligunt Dominum Iesum, unus fiat populus fratrum.

17. Meminerint tandem omnes christifideles orationes eo efficacius suos effectus obtinere, quo ex puriore humilioreque procedunt corde. Unde morum integritas et ardens charitas in deprecantibus Deum eiusque Matrem eluceant. Sciant insuper omnes qui in catholica vivunt unitate haud parvo pro fratribus procul degentibus offendiculo esse irreligiositatem illorum qui hoc excelso catholico nomine decorantur, et econtra, sanctitatem vitae catholicorum spem esse et germen futurae omnium christianorum concordiae et unitatis. Quare haec Sancta Synodus iterum enixe commendat christianae vitae renovationem.

[XI. *Media theologica*] 18. Ad hanc ecclesiasticam unitatem omnium christianorum instaurandam multum praeterea confert recta de divinis et ecclesiasticis cogitatio. Methodo enim diversa Oriens et Occidens ad divina

cognoscenda et contemplanda protenduntur. Non tamen necessarium est ut mordicus defendatur externa et temporibus locisque accommodata expressio, dummodo veritas revelata salva in tuto ponatur.

19. Multum sane ad unionem conferet, si in terminis, in conceptibus, immo in ipsa methodo res theologicas tractandi genio etiam orientali plus tribuatur et debitus habeatur respectus. Divinarum rerum studiosi igitur, qui non causas dissidii et differentiarum arte studioseque quaerunt, sed potius irenicos prosequuntur fines, caveant ne proprios scribendi loquendique modulos aliis imponere velint, sed sacra quadam harmonia in rebus creatis prae oculis habita, communia imo identica ostendant sacrae de divinis scientiae lineamenta et dogmata.

20. Ad hanc vero concordiam et harmoniam in re theologica obtinendam magnopere refert recursus ad fontes communes scientiae sacrae. Quare praeter assiduam diligentiam in Sacris Libris excolendis, studium quoque Patrum tum orientalium tum occidentalium, quod nostris diebus magno quidem in honore iam est, magis in dies adhuc promoveatur, ut commune Ecclesiae occidentalis orientalisque patrimonium clarius pateat communisque ostendatur origo.

21. Curent etiam sacrae scientiae cultores ut in tractandis quaestionibus theologicis ab acerbis verbis quae ad discidium augendum animosque alienandos non parum contulerunt abstineant et methodum positivam merae apologiae anteponant. Quod potissimum valeat in exponenda doctrina de Ecclesia. Quapropter exoptat Sacra haec Oecumenica Synodus, ut in universitatibus, athenaeis, facultatibus et Seminariis sacrorum studiorum argumenta ecclesiologica de Ecclesiae unitate assidue tractentur, verus oecumenismus clare explicetur, catholica veritas a variis formulis et systematibus accurate distinguatur.

22. Caveant tamen theologi et qui unioni ecclesiasticae adlaborant, ne falso irenismo quodam ducti, doctrinam catholicam ita conforment vel quodammodo accommodent doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae eiusque claritas detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

[XII. *Media liturgica*] 23. Omnibus quoque notum est quanto cum amore christiani orientales sacra liturgica peragant, quibus fidem suam roborant, Deum hominum amatorem filiali prosequuntur devotione, Domino Iesu debitum exhibent obsequium Eiusque Genitrici amorem pietatemque ostendunt, pro necessitatibus suis aliorumque quamplurimis ardentes et incessantes exhibent supplicationes. Sacramentorum vero usu animarum regenerationem, refectionem et perseverantiam in vita christiana quaerunt atque inveniunt. In hisce utuntur peculiari quodam patrimonio liturgico et spirituali, a maioribus tradito, et linguis propriis laudes canunt Deo. Quae omnia Sacra haec Oecumenica Synodus non solum aestimatione debita et laude iusta amplectitur, sed etiam tamquam patrimonium commune universae Christi Ecclesiae considerat, commendat et custodiendum iubet. Haec enim rei liturgicae

orientalis iure probata varietas et peculiaritas nec non et « augusta antiquitas et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894). Propterea eadem ratione et modo quo in Concilio Florentino declaratum est, etiam haec Sancta Synodus declarat ritus et caeremonias Orientalium, quae fidei catholicae integritatem et mutuam coniunctionem nequaquam impediunt, esse retinendas et maxima diligentia colendas.

24. Idque sciant ac secum reputent tum qui in catholicae Ecclesiae gremio sunt nati, tum qui desiderio ac voto eidem assequendae velificantur, se nunquam coactum iri ad proprios legitimos ritus relinquendos qui quidem aequali aestimatione aequalique decore habendi communem matrem Ecclesiam exornant. Maxima igitur religione praeprimis ipsi Orientales suos ritus liturgicos observent in eisque cognitionem semper maiorem usumque semper perfectiorem capiant et in quibus, si ob temporum vel personarum adiuncta aliquomodo defecerint, ad avitas venerandasque memorias redire gaudeant.

25. « Quo loco illud apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendideque declarant. Quapropter vera Christi Ecclesia, sicut magnopere studet ea custodire inviolata quae, utpote divina, immutabilia accepit, ita in usurpandis eorumdem formis nonnunquam concedit novi aliquid vel indulget, in iis praesertim quae cum venerabili antiquitate conveniant » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894).

26. Haec tandem S. Synodus verba a Paulo Pp. V prolata sua facit de omnibus sacris ritibus et caeremoniis, quibus Orientales iuxta SS. Patrum instituta in divinis officiis et sacrosanctae Missae sacrificio, caeterorumque Sacramentorum administratione aliisque sacris functionibus utuntur, quae, « dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per Unionem tollere aut extinguere Ecclesiae Romanae intentio, mens et voluntas non fuit, nec est, neque id dici vel censeri potest nec potuit » (*Solet circumspecta,* 1615). Nulli proinde criminationi aut timori dari potest locus ne Orientales in Ecclesia catholica non propriam sed alienam inventuri sint domum. Ad hanc enim Ecclesiam ipsis late reserata patet ianua, in qua « orientalium dignitas Ecclesiarum, pervetustis rerum monumentis eisque insignibus commendata, magnam habet toto christiano orbe venerationem et gloriam » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894).

[XIII. *Media canonica seu disciplinaria*] 27. Quod de ritibus dictum est, idem valet etiam de legitimis populorum moribus et consuetudinibus, SS. Patrum institutionibus et ecclesiastica disciplina sancitis, quas Ecclesia catholica semper retinuit, exceptis illis « quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati » (*Conc. Lat. IV,* cap. 4), vel unitati obstant. « Quippe rei catholicae valde nimirum interest eam omnino tolli ac dilui opinionem quae quosdam ex Orientalibus antehac tenuit, perinde ac

si de ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent Latini detractum quidquam aut deminutum » (Leo XIII, *Auspicia rerum,* 1896).

28. Sancta haec Oecumenica Synodus vestigiis hisce inhaerens plane agnoscit et confirmat ius quo Orientalis Ecclesia pollet se secundum propriam ac peculiarem disciplinam regendi, utpote moribus suorum fidelium magis congruam, atque bono animarum consulendo aptiorem. Id tamen minime obstare debet unioni quae inter occidentalem et orientalem Ecclesiam vigere debet, cuius mutuam cognitionem hoc Concilium promovere intendit, unde et mutuus amor provenit et mutua aestimatio.

[XIV. *Media psychologica*] 29. Iam necessitas urget ut novis quibusdam rationibus Oriens et Occidens intueantur ad invicem animosque disponant. Cum omnes quorum « unus est magister Christus », fratres simus (*Mt.,* 23, 8), charitas fraternitatis, monente Apostolo, maneat in nobis (*Hebr.,* 13, 1). Veri enim Christi agnoscimur discipuli si dilectionem habuerimus ad invicem (*Io.,* 13, 35). « Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? » (*I Io.,* 4, 20). Omnes igitur Ecclesiae Catholicae filii eadem erga fratres separatos se gerant fraterna et sincera charitate. Magnam aestimationem ac dilectionem fratribus eodem pretiosissimo Sanguine Christi redemptis mente et corde sincere exhibeant. Sermo cum fratribus separatis sit simplex et rectus, quo « cogitationes pacis et non afflictionis » (*Ier.,* 29, 11) manifestentur, corda demulceantur et suavi vinculo pacis et concordiae adstringantur. Qui modus cogitandi quam diligentissime observetur in libris de fide, de liturgia, de historia ecclesiastica fratrum dissidentium scribendis, in quibus animus auctoris irenicus et solo studio veritatis et charitatis ductus luce solis clarior eniteat.

30. A vera et sincera charitate quam longissime typhus falsi et perniciosi zeli abest. Quem Dominus in discipulis suis ignem de caelis minitantibus, verbis non ambiguis reprobavit: « Nescitis cuius spiritus estis » (*Lc.,* 9, 55). Spiritus enim veritatis est spiritus charitatis et verbis utitur blandis et benignis. Verba autem dura et acerba animum produnt illum, quem Dominus duro iudicio damnavit: « Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis » (*Mt.,* 5, 22). Caveant igitur quam studiosissime omnes Christifideles ne ullo modo et quovis praetextu animis fratrum dissidentium offensas, quantulaecumque sint, qua loquendo qua scribendo inferant. Nemini liceat iudicio contendere cum fratribus, cum omnium nostrum unus iudex sit Deus, « scrutans cor, et probans renes » (*Ier.,* 17, 10). « Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor » (*I Reg.,* 16, 7). Abstinendum igitur deinceps erit ab illis terminis, qui iudicium aliquod malignum exprimunt vel secundum aestimationem fratrum dissidentium exprimere reputantur, quamvis iam diu usu venerint. Veritas historica obiective et irenice statui potest et debet.

31. In documentis quibus historia scissionis Ecclesiae illustratur, multa proh dolor! inveniri possunt quae spiritui charitatis fraternae et mutuae comprehensionis contraria esse videntur. Qua in re qui intra et extra Ecclesiam

sunt ante omnia verba orationis Dominicae corde compuncto et humiliato iterum atque iterum repetant: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». Illud etiam Domini nostri Iesu Christi in memoriam revocare iuvat: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat » (*Io.*, 8, 7). Gravissimum etiam illud Apostoli animo trepido volvamus: « Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis » (*I Io.*, 1, 10). Non tumidum pharisaeum, sed humilem secuti publicanum, pectora percutiamus, misericordiam divinam supplici voce implorantes: « Parce, Domine, parce populo tuo » (*Ioel*, 2, 17). Erroribus tempore acto utrimque commissis, unius populi christiani fratres in varias abierunt partes. Spiritu poenitentiae et expiationis omnium christianorum tandem fiet, ut in una paterna domo seu Ecclesia iterum aduentur.

32. Unitas in necessariis esse debet, ut docet Apostolus: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis » (*Eph.* 4, 5-6). In caeteris vero praeluceant verba eiusdem Apostoli: « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.*, 4, 2-3), omni spiritu rivalitatis, aemulationis et amoris proprii reiecto, ut revera « super omnes, et per omnia et in omnibus » sit Deus et quaerantur quae sua sunt.

33. Quoniam inter causas diuturnae separationis, qua adhuc hodie Ecclesia scinditur, magni est momenti mutua ignorantia, plurimum iuvabit, si viri rerum controversarum periti cum fratribus separatis amica instituant colloquia, in quibus opiniones diversas animo sereno et christiana charitate inter se discutiant.

34. Ipsi sacri locorum Praesules et Antistites quibus portio gregis Christi commissa est, colloquia et conversationes cum fratribus dissidentibus opportune foveant et promoveant. Pastor enim bonus non solum oves in caulis cubantes, sed ad instar Pastoris Boni etiam extra ovile vagantes inquirit. Qua in re si negligens fuerit, meminerit antiqui Prophetae acerbis verbis pastores carpentis: « Vae pastoribus Israël!... Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis; quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesivistis » (*Ez.*, 34, 2 ss.).

35. Potestas tenebrarum et « princeps mundi huius » magnam partem generis humani iugo suo subegit. Divina et humana iam periclitari videntur. Commune patrimonium christianae civilitatis nobis defendendum est non solum in religione, sed etiam in modo et ratione vivendi sociali et civili; in litteris, in artibus, in oeconomia, in re politica, domestica et familiari. Libertas et dignitas personae humanae nisi collatis viribus omnium christianorum efficaciter vix defendi poterit. Exhortatur proinde haec Oecumenica Synodus omnes qui Christi nomine gloriantur ut aciem communem contra gliscentem atheismum et materialismum constituant. Virulentus hostis qui

commune omnibus christianis et in Deum credentibus machinatur et minatur exitium et ruinam, viribus unitis sustinendus et repellendus est. Qua in pugna spiritum, homines civitatesque christianae solo auxilio divino freti, armis spiritualibus confligere debent, « quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus » (*Eph.*, 6, 12).

36. In via hac, qua « peregrinamur a Domino » (*II Cor.*, 5, 6), non semel fratres, qui tenuitate rerum aguntur, obviam habebimus. Absque ulla « acceptione personarum » (cf. *Iac.*, 2, 1) effuso corde manus porrigamus adiutrices omnibus in Christo fratribus Apostolo graviter monente: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate » (*I Io.*, 3, 17).

37. Sed et antiquorum promeritorum grata memoria multum conferre solet ad emulcendos animos amaritudinibus discidii exacerbatos omnino constat. Monet proinde haec Sancta Synodus omnes Ecclesiae fideles ut fratribus orientalibus separatis ea libenter agnoscantur in historia, traditionibus et institutis propriis, quibus de universa Ecclesia bene meriti fuere, prout clare testantur documenta. « Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in caeteros late populos mire profluxit » (LEO XIII, *Orientalium dignitas,* 1894). In illis etiam plagis primi illi magni floruerunt fidei et veritatis indefessi propugnatores, quam inviolatam servarunt, quam ipsam « splendore virtutum, magnitudine ingenii, excellentia doctrinae certatim illustravere Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, uterque Cyrillus, aliique magni complures, quorum gloria ad Orientem atque Occidentem, tamquam communis haereditas aeque pertinet » (LEO XIII, *Praeclara gratulationis,* 1894). De orientalibus etiam Ecclesiis dictum illud praedicatur ut de Ecclesia « septem Conciliorum », quibus fides et doctrina christiana praeclaras obtinuit de errore victorias. De his omnibus Ecclesia Christi gratam servat memoriam, cuius testes saeculorum decursu Romani exstant Pontifices et Sancta haec Oecumenica Vaticana Synodus suam sociat solemnem vocem.

[XV. *Media practica*] 38. Hoc spiritu et hac animorum dispositione Ecclesia Catholica nunquam cessavit nec unquam cessabit ea omnia adhibere media ut tandem Christi Domini testamentum de uno ovili et de uno Pastore suam plenam nanciscatur exsecutionem (*Io.*, 17, 23). Deo proinde agendo debitas gratias pro desiderio ecclesiasticae unitatis in variis orbis terrarum regionibus excitato in animis fratrum separatorum, Sancta haec

Oecumenica Synodus omnibus enixe commendat ut media efficaciora adhibeant ut desiderium hoc sperando coronetur fructu.

39. Sacri imprimis Antistites, quos Spiritus Sanctus « posuit regere ecclesiam Dei » (*Act.,* 20, 28) in propriis dioecesibus non solum oecumenicae advigilent actioni, sed eam promoveant, dirigant et evolvant, congruis adhibitis mediis et debita duce prudentia, idque sui episcopalis esse muneris reputent. Venerabilia vero Ecclesiarum orientalium catholicarum Capita, qui patriarchali condecorantur titulo, meminerint sibi primas in hoc labore spectare partes, quas explebunt si, propriis communitatibus invigilando earumque patrimonium spirituale, theologicum, canonicum et liturgicum conservando et promovendo, fratribus separatis persuadeant in Ecclesia Catholica non solum nihil detrimenti sibi esse timendum, sed potius incremento spirituali frui se posse (cf. LEO XIII, *Praeclara gratulationis,* 1894).

40. Sacri dein Ministri, episcoporum in cura animarum cooperatores, gravitatis et necessitatis huius negotii memores, omne adhibeant studium ut ad hoc parati accedant. Immo, valde optandum est ut in unaquaque dioecesi vel Religione quidam constituatur coetus virorum in rebus orientalibus peritorum, qui aliis in sacro ministerio confratribus possint esse consilio et auxilio. Eidem vero coetui suppeditentur a propriis Superioribus necessaria media et auxilia.

41. Hunc in finem iam Seminariorum Collegiorumque tum saeculares tum regulares alumni, futuri in Vinea Domini operarii, debite et sufficienter instruantur in iis quae ad rectam methodum in actione oecumenica pertinent eorumque mentes et ingenia rerum orientalium convenienti cognitione imbuantur.

42. Pro clericis praesertim orientalibus vel iis qui in Oriente iussu Superiorum navabunt operam erigatur quoddam Institutum superiorum theologicorum studiorum, praesertim in Urbe et ubi necessitas idem postulaverit, in quo plenum curriculum materiarum theologicarum ad mentem et secundum methodum Orientalibus magis respondentem instituatur. In aliis vero theologicis facultatibus et Seminariis maioribus habeantur sufficientes lectiones de materiis orientalibus, ut mutua cognitio aptius promoveatur. Cuius rei causa etiam clericis dissidentibus orientalibus, si id petant vel a propriis mittantur pastoribus, aditus pateat ad athenaea catholicorum.

43. Omnes Christifideles vero ne sese excusatos considerent a debita sollicitudine ad procurandam ecclesiasticam unionem omnium qui christiano condecorantur nomine. Meminerint se teneri reditum fratrum separatorum ad unitatem catholicam verbis, opere et potissimum precibus procurare. Quare de damnis scissionum et dissidiorum nec non de bonis unitatis et concordiae rite edoceantur.

44. Hunc in finem, occasione data, per eparchias, paroecias, seminaria religiosasque vel pias domos habeantur « dies pro Oriente », cum aptis conferentiis vel collationibus, ecclesiasticis functionibus et ad Deum supplica-

tionibus, ut animi melius ad ecclesiasticam exoptandam unitatem disponantur et gratia Dei operi huic sancto abundantior procuretur.

45. Placet apprime huic Sanctae Oecumenicae Synodo hoc in loco laude condigna extollere conamina et merita plurimarum in orbe catholico vigentium tum clericorum tum laicorum consociationum ad unitatem ecclesiasticam restituendam. Quas ut intensiorem adhuc promoveant operam, haec Sancta Synodus valde hortatur, ut collatis consiliis et viribus quantum fieri potest unitis, in unionem procurandam una manu adlaborent, exemplo ob oculos habito eorum qui pro Ecclesiae unione usque ad sanguinis effusionem bonum certamen certarunt, quorum nomina gloriae sunt Ecclesiae, quae nonnullos ex iis in catalogum Sanctorum suorum adnumeravit. Sancta haec Oecumenica Synodus enixe commendat et causa eorum qui pro Unitate Ecclesiae sancte adlaboraverunt, optimis quibusque mediis promoveatur, pro bono totius Ecclesiae eiusque unitatis promovendae.

46. Ut in unione instauranda maiore cum efficacia procedatur, apud Sedem Apostolicam constituatur de unitate Ecclesiae promovenda sacrum Consilium seu Congregatio virorum peritorum ex orientali et occidentali Ecclesia delectorum, cuius erit, sub auctoritate Romani Pontificis, negotium hoc moderari, et pro necessitatibus locorum et regionum omnibus auxilio adesse.

47. Nobile in devotione erga Sedem Apostolicam manifestanda certamen, quo omnes Ecclesiae Catholicae filii orientales aeque ac occidentales flagrant et ardent, Patres huius Oecumenicae Synodi ingenti afficit gaudio. Quae filialis erga Patrem communem amoris inter fratres aemulatio procul dubio magnum sortiretur incrementum, si in regimine Ecclesiae etiam ex oriente fratres maiorem adhuc nanciscerentur portionem. Universalis vero Ecclesiae indoles ad oculos etiam fratrum separatorum apprime demonstraretur si qui Apostolicae Sedis in variis nationibus vices gerunt ex omni quae sub caelo est natione seligantur. Id autem quam maxime exoptat haec Oecumenica Synodus, ut omnes partes aequales Ecclesiae sub uno coalescant Capite, qui neque orientalis sit neque occidentalis, sed Pater Communis.

[XVI. *Unionis conditiones et modus*] 48. Si tandem gratia Dei omnipotentis et misericordis movente, hominibus vero bonae voluntatis collaborantibus eveniat ut fratres nostri orientales ad unitatem universalis Ecclesiae accedere et locum ipsis in paterna domo spectantem occupare exoptent, Sancta haec Oecumenica Synodus animo pervolvens « quod non ingenti discrimine seiunguntur: immo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus Orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus » (Leo XIII, *Praeclara gratulationis,* 1894), ut communi desiderio occurrat, sequentia statuere decernit.

49. Imprimis a redeuntibus nihil plus exigatur, quam quod necessarium revera est, ut membra unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae Christi reapse fiant. Quare, iis redeuntibus, qui bona fide extra societatem

Ecclesiae catholicae hucusque versati sunt, satis erit si formula quaedam simplex professionis fidei eis proponatur, qua potiores ac necessariae fidei veritates, eae praesertim quae Ecclesiae unitatem respiciunt, contineantur. Ab illis autem, qui ab ecclesiastica unitate proprio actu defecerint, in eorum reditu, praeter illam modo dictam fidei professionem, expressa errorum abiuratio ut exquiratur omnino cuique patet.

50. Communitatibus vero orientalibus, si, Deo illuminante et adiuvante, ad unitatem catholicam, sub auctoritate Romani Pontificis redire voluerint, servatis iis quae de professione fidei sunt servanda, ius agnoscitur propriam disciplinam servandi eamque sectandi, iis tantummodo quae, si forsan adsint, rectae fidei aut bonis moribus adversantur expunctis.

51. Cum sacerdotium apud orientales separatos ab Ecclesia catholica servatum sit, nulla adduci potest ratio, ob quam de validitate Sacramentorum dubium moveatur, si, quae ad Sacramenta conficienda sunt necessaria, servatis probatis ritibus, a ministro posita fuerint. Quare Ordines sacri apud orientales separatos conlati ut validi agnoscuntur, atque clericis orientalibus, cum ad Ecclesiam catholicam reversi fuerint, in quocumque sint gradu ordinati, ius agnoscitur proprium Ordinem exercendi, nisi in casu peculiari, ob rationes vere graves, aliter a Sede Apostolica fuerit provisum.

52. Ut tandem omne dubium vel minus recta suspicio e medio tollatur, nemo existimare praesumat statum rerum orientalium in Ecclesia catholica in hodiernis adiunctis vigentem esse definitivum vel omnino immutabilem et melioris ordinationis haud susceptibilem, nec in eo obstaculum, quo reditus ad Ecclesiam catholicam impediatur, quaerat; siquidem disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, secundum necessitatem a Sede Apostolica probatam, mutationem ac perfectiorem valeant recipere formam, quae novis rerum adiunctis magis respondeat et Orientalium dignitati et momento melius conferat.

* * *

His declaratis et statutis, nil remanet nisi uno ore, sincero corde, in gratia Domini nostri Iesu Christi et in charitate Dei et in communicatione Sancti Spiritus illa repetamus verba Liturgiae S. Basilii Magni: « Fac cessent schismata Ecclesiarum », « Congrega dispersos et reduc errantes, et coniunge Sanctae Tuae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae ».

Textus apparatus, excussus et probatus fuit in sess. plenariis XLI-XLV, diebus 19/23-X-1961; successive in formam redactus, repropositus et confirmatus voto omnium Membrorum et Consultorum Commissionis, adlaborante Subcommissione speciali ad hoc in sessione plenaria selecta.

[*Mens Commissionis*]

1) Unanimis fuit sententia Commissionis ut schema ad solos Orientales separatos restringatur, ob competentiam sibi propriam et ob impossibilita-

tem quaestionem hanc recte et efficaciter tractandi relate ad omnes ab Ecclesia catholica dissidentes. De eadem quaestione, respectu praesertim habito ad Protestantes, tractabit, ut videtur, Commissio Theologica in capite « de Oecumenismo ».

2) Ut ex ipso textu patet, decretum alloquitur imprimis et directe omnes fideles Ecclesiae catholicae, tum orientales tum occidentales, et nonnisi indirecte ad Orientales separatos fit allusio. Hoc modo schema Decreti manet circumscriptum limitibus convenientibus Concilio Oecumenico Ecclesiae catholicae.

3) Aliis decretis de quibusdam quaestionibus peculiaribus orientalibus provisis, Commissio alia omnia vota Praelatorum et Universitatum in Antepraeparatoria data collegit et excussit, ut media apta pro labore ad reconciliandos Orientales proponeret, a Concilio probanda et ab omnibus catholicis adhibenda.

4) In votis etiam erat plurium Praelatorum ut quaestio de unitate Ecclesiae terminis Orientalibus magis aptis et acceptis proponeretur in Concilio, quod desiderium Commissio adimpleri conata est, octo primis articulis methodo biblica concinnatis, aliis ad constitutionem « de Ecclesia » remissis.

5) Quod spectat ipsam formam expositionis in schemate adhibitam, Commissio censuit eam melius ipsi naturae rei tractatae et characteri hortatorio dispositionum propositarum respondere.

6) Praeterea in mente erat ut forma talis adhibeatur, ut textus apparatus posset etiam ad modum « Litterarum Synodalium de Ecclesiae unitate » proponi, si id magis expedire videatur.

7) Commissio de Ecclesiis Orientalibus censuit praesenti schemate apparato se exsolvisse mandatum a Ss.mo sibi datum, ut in ordine ad Concilium Oecumenicum tractet « de modo reconciliandi Orientales dissidentes », interpretando dictionem « reconciliandi » sensu latissimo, i. e. eam ad ea omnia extendendo, quae animos ad unionem disponunt, praeparant, ad eam quaerendam ducunt et tandem ipso actu reconciliationis strictae dictae coronant (*Quaestiones*, p. 20, n. c).

N. B.: Praesens decretum considerari debet ut secundum, et forsan ultimum decretum generale a Commissione de Ecclesiis Orientalibus in Concilio proponendum.

COMMISSIO DE MISSIONIBUS

PROOEMIUM *

I – Mandatum missionarium Ecclesiae

1. Cum Dominus et Redemptor Christus, quem Filium suum unigenitum Deus misericors misit in mundum, « ut salvetur mundus per ipsum » (*Io.* 3, 17), opus suum consummavisset, idem mandatum salvificum discipulis concredidit, quos propria simul instruxit potestate: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21). « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur » (*Marc.* 16, 15-16).

Huic vero praecepto Domini obsequentes Apostoli ceterique discipuli omne studium contulerunt ad fidem salvificam propagandam. Opus missionarium ita inceptum, post ipsos Romani Pontifices et sub eorum potestate, Episcopi Ecclesiae catholicae promovere contenderunt, Evangelio in diversis orbis partibus praedicando operam dantes.

2. Ad Concilia oecumenica autem quod attinet, imprimis notandum est, Sacrosanctam Tridentinam Synodum, quamvis nihil directa ratione de missionibus ad exteras gentes decreverit, iisdem tamen multum profuisse sive eo quod ipsam fidem catholicam vigorose defendit eiusque fervorem iterum accendit, sive eo quod disciplinam cleri tam saecularis quam regularis restituit et auxit, sive tandem eo quod reformationem Curiae Romanae praeordinavit, e qua suo tempore nova Congregatio de Propaganda Fide prodiit.

Saeculo superiore, post progressus conspicuos, quos missiones catholicae perfecerant, Patres Concilii Oecumenici Vaticani I hoc incrementum consiliis et decretis congruis adiuvare in mente habebant; at propter iniquitatem temporum optima proposita ad exitum perducere non potuerunt. Hoc autem postea factum est legibus appositis in Codice Iuris Canonici et Litteris Apostolicis vel Constitutionibus quas Romani Pontifices de rebus missionalibus ediderunt.

---

* Prooemium et schema *De regimine Missionum* discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in secunda et tertia congregatione sessionis quintae, diebus 27-28 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 144-210.

II – Ratio catholica operis missionalis

1. Exinde iterum missiones ad exteras gentes maius in dies momentum obtinuerunt, non solum pro iis terris et nationibus, ubi praecipue habentur, sed etiam pro Ecclesia universa ac pro toto genere humano. Propterea etiam Patres huius sacrosanctae Synodi « maximum illud sanctissimumque munus » fidei propagandae sibi proprium assumpserunt ipsumque normis congruis adiuvare intendunt.

Primo loco vero catholicam seu genuinam operis missionarii rationem breviter revocare visum est contra falsas eiusdem repraesentationes quae aliquando inveniuntur. Opus enim missionum, sicut ipsum mandatum dominicum cui innititur, est opus salvificum, non politicum, munus spirituale, non temporale. Regnum quod missiones catholicae in mundo universo dilatare student, non est regnum saeculare, sed regnum aeternum et universale ipsius Christi Domini. Lucrum quod Evangelii praecones quaerunt non sunt divitiae materiales, sed thesauri in caelo ponendi: media quibus utuntur ad salvandas gentes non sunt arma aut opes terrestres, sed gratia et veritas, quas Christus Salvator mundo deperdito attulit. Ecclesia tandem, quam missionarii propagant et aedificant, non est aliqua constructio humana, sed civitas Dei, natura et fine supernaturalis, id est, societas filiorum Dei, quae autem intra fines determinatae gentis et loci ab hominibus erigitur et incolitur.

2. Propterea vero fieri potest, et aliquando accidit, ut modus agendi nimis naturalis sit et media adhibita operi efficiendo non omnino respondeant. Nam opus, de quo agitur, est opus summi Dei, qui finibus unius loci aut gentis contineri non potest. Ecclesia quoque, ad instar verae matris humanae, filias vult quidem similes sibi, sed tamen diversas seu particulares, quas ex distinctis stirpibus ortas uno omnes amore constringit. Ex adverso autem necesse est, ut novae ecclesiae uni matri coniunctae exsistant sicut palmites viti, id est Christo capiti, qui non est divisus nec dividi potest. Propterea missionarii qui Christi et Ecclesiae nuntii sunt, duplici indigent adaptatione: exteri quidem ad terram et gentem fidei lucrandam, autochthoni vero ad matrem communem Ecclesiam catholicam, ut Summi Pontifices saepius declaraverunt.

III – Condicio hodierna missionum

1. Duplex genus rerum spectantibus obvium est, alterum quidem secundum ac laetum, alterum autem adversum et triste. Imprimis cum gratiarum actione notandum est, conatus assiduos ac coniunctos Sedis Apostolicae et missionariorum eorumque adiutorum effecisse, ut non paucae missiones in diversis mundi partibus iam tamquam ecclesiae proprie dictae constitui potuerint, quae ab Episcopis autochthonis reguntur. Sed etiam notari debet operarios evangelicos indigenas sive clericos sive religiosos vel laicos non

sufficere, neque operi quod maxime urget conversionis acatholicorum, neque operibus auxiliaribus missionum catholicarum. Manet ergo necessitas auxilii missionariorum exterorum qui tamen variis causis impediuntur, praesertim quidem inopia vocationum ecclesiasticarum vel religiosarum in regionibus christianis.

2. Ad populum vero christianum quod spectat, in plerisque missionibus adhuc est sat parvus tum ratione numeri tum ratione aetatis seu condicionis spiritualis. Sane, ubi praesto est cura animarum congrua et vigilantia pastorum, facile praevalet sinceritas fidei atque ubertas vitae christianae. Huius rei testes sunt vocationes sacrae numero et fervore insignes necnon patientia eximia fidelium in variis angustiis. Attamen praeter istos non pauci reperiuntur qui fide moribusve deficiunt, sive ob debilitatem communem, sive ob pericula externa, quibus undique comprimuntur. Nam numerus incolarum adhuc paganorum aut sectis acatholicis adhaerentium saepe multoties maior est ac ratione maiore increscit, ita ut catholici partem semper minorem occupent. Accedit quod acatholici plerumque auxiliis fortiores sunt aut potentiores apparent, sive pecunia aliisque mediis materialibus ac technicis, sive armis spiritualibus, quae non raro cum novi generis nationalismo coniuncta videntur, ut sunt cultus religiove maiorum, philosophia congenita, cultura longaeva et splendida. His fere ubique nunc iungitur socius maxime periculosus, qui armis utriusque generis munitus apparet, scilicet communismus atheus et materialisticus. Hic inimicus regni Christi in terris, qui naturalibus legitimisque studiis populorum facile abutitur, non paucas regiones etiam catholicas, immo gentes universas, proprio imperio subiugavit cum ingenti animarum damno.

Haec dum animos Christi fidelium dolentissime movent, non adeo eosdem deprimunt ut spem certam abiciant. Memores enim sunt verborum, quibus ipse Princeps pastorum discipulos in discrimine positos hortatus est: « Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum » (*Luc.* 12, 32). Atque iterum, priusquam ipse pateretur: « In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum » (*Io.* 16, 33).

IV - Exhortatio

1. Quare hac praesertim aetate nostra, ex qua permultis in locis futura Ecclesiae incrementa fortasse pendent, enixe ac sine intermissione ab Ecclesia obsecrationes ad Deum Omnipotentem fiunt, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire: « Respice nos et ostende nobis lucem miserationum tuarum: et immitte timorem tuum super gentes, quae non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, et enarrent magnalia tua... Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus, quoniam non est Deus praeter te, Domine » (*Eccli.* XXXVI, 1-6 et 10).

Verba item Iesu Christi, qui dedit redemptionem seipsum pro totius mundi salute, auribus nostris vivide sonant: « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » (*Matt.,* IX, 37-38) et instantius adhuc: « Levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt iam ad messem » (*Io.,* IV, 35).

2. Sollemnem igitur exhortationis vocem attollimus nos, universae Ecclesiae Antistites in hac sacrosancta Synodo coadunati, ut, hac volvente tam magnae gravitatis hora ad latius Ecclesiae fines proferendos quod attinet, omnes et singuli nulli parcant labori ut Crux, in qua est salus et vita, longinquas mundi plagas inumbret, cum missionalis opera vera ratione viventis Ecclesiae catholicam naturam ostendat. Nam missionalis operae afflatus et catholici spiritus unum et idem sunt. Catholicam esse, praecipua Ecclesiae nota est, ita ut christianus homo addictus et adstrictus Ecclesiae minime sit, nisi pariter sit addictus et adstrictus christifidelium universitati, atque ideo percupiat ut eadem ubicumque gentium radices agat et florescat.

3. Imprimis quidem Episcopi, arctissime cum Christo eiusque in terra Vicario coniuncti, participare studeant sollicitudinem illam omnium ecclesiarum (*II Cor.*, XI, 28), atque operam dare ne desinant, ut inter clerum et fideles late diffundantur spiritus precum et mutuae opis ferendae studia, secundum mensuram caritatis Christi. Quandoquidem unusquisque Episcopus, qua legitimus Apostolorum successor, ex Dei institutione et apostolici muneris praecepto (*Io.,* XX, 21 et *Matt.*, XXVIII, 19-20) totius Ecclesiae sponsor fit. Procul dubio ex eorum pectoribus tandem ille apostolatus ignis, a Iesu Christo in terras illatus, inflammet oportet omnium fidelium pectora atque ad dilatandum toto orbe terrarum Evangelium nova excitet studia.

4. Dum summae cumulandae sunt laudes universis et singulis Evangelii Praeconibus, « ex omni natione, quae sub caelo est » (*Act. Ap.,* II, 5) ortis, qui apostolico sudore atque interdum sanguine etiam suo innumeras regiones fecundarunt ideoque Ecclesia abunde habet cur de missionariis suis sanctissime glorietur, nihil prorsus antiquius, nihil urgentius et nihil carius est habendum, quam magis magisque excitare christifidelium animos, qui, divino vocati instinctu, sive sacerdotes sunt, sive religiosi, sive religiosae, ad missionalia capessenda munia adsciscantur. Modo igitur speciali Patres Concilii invitant religiosos et religiosas maiorem numerum eumque selectum suorum sodalium evangelizationi infidelium consecrare, momento et immensitati operis proportionatum.

5. Omnes denique sacerdotes, qui curam animarum indefesso zelo gerunt et praesertim qui in educatione iuventutis sese devovent, omnibus viribus contendant ut spiritus missionalis animas sibi commissas ardenter inflammet atque accrescat, ita ut Ecclesia in sacris missionibus promovendis facile ab eis obtineat et fervidas preces et generosa subsidia et, ubi Deus dederit, etiam sui ipsorum dona.

6. Tandem enixe atque instanter invitantur omnes christifideles, cuiusvis sint regionis, status aut conditionis, utpote membra Corporis Mystici Christi,

ad sanctam missionum causam alacriter concurrere vitae christianae exemplo, precibus et adiumentis. Quicumque enim christiano censetur nomine, plane noverit se primario quodam ac praecipuo conscientiae officio obligari, ut testis sit veritatis, quam credit, et gratiae, qua eius anima est transformata, iuxta illud Christi monitum: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (*Matt.*, V, 16).

Caritas autem Christi, quae discrimina inter nationes et linguas exsuperat, precibus alitur collatisque subsidiis patefit ita ut cuncti populi christiani sibi invicem adiutricem operam praestent, ad ampliorem aedificationem totius Corporis Mystici Christi, quod est Ecclesia.

7. Omnes igitur in Ecclesia Dei, sancta quaedam incensi aemulatione, certatim testificentur oportet assiduum, quo ducantur, studium proferendi ad extremos usque terminos terrae salutare Evangelii lumen et dona caelestia.

I

DE REGIMINE MISSIONUM

Introductio

Potestas Romani Pontificis est « *vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens* ».[1]

Hanc potestatem Romanus Pontifex exercere solet per diversa dicasteria Curiae Romanae, quae unitatem regiminis in Ecclesia curare debent et quibus quaestiones maioris momenti ab Ordinariis deferendae sunt. Casus vero in quibus Ordinarii ad Sanctam Sedem recurrere debeant, omnino pauci sint, ne ipsa dicasteria Sanctae Sedis obruantur laboribus neve regimen missionum nimia impediatur dilatione aut detrimentum patiatur. In casibus, in quibus recursus necessarius sit, forma recursus sit facilis et simplex, responsum clarum et expeditum.

Regimen internum missionum, quod in missionibus recentioris fundationis satis simplex esse potest, in missionibus iam magis evolutis oportet ut paulatim normas iuris communis sequatur. Fiat visitatio dioecesis, imo frequentior propter maiorem conditionum mutabilitatem. Habeantur Synodus et Concilia, quae semper media fuerunt maxime efficacia ad bonum dioecesium regimen et ad cooperationem plurium dioecesium eiusdem Provinciae Ecclesiasticae seu regionis, quam cooperationem Sancta Synodus omni opere laudat fortiterque commendat.

Ut, Sede vacante aut impedita, omnia evitentur dubia et statim provideatur, Patres Concilii normam exoptant claram et simplicem: diuturna enim vacatio Sedis nefastas solet habere sequelas.

Denique ut regimen dioecesium in missionibus expeditius fieri possit, Patres Concilii Vaticani II desiderant ut ampliores facultates Ordinariis missionum concedantur, necnon ut iura tum matrimoniale tum poenale et processuale aliquantum simplificentur.

Quoad relationes cum dioecesibus extra territoria missionum, Synodus laudat cooperationem, vetat vero inire contractus sine approbatione Sanctae Sedis, ita ut, in quantum fieri potest, fons evitetur difficultatum.

ARTICULUS PRIMUS
DE RELATIONIBUS CUM SANCTA SEDE

I – DE USU LINGUARUM MODERNARUM IN COMMERCIO LITTERARUM CUM SANCTA SEDE

Crescente numero fidelium in missionibus et semper magis evolvente organizatione ecclesiastica, valde etiam in Curiis dioecesanis creverunt labores, inter quos certo magni momenti sunt relationes determinatis temporibus et variis de materiis ad Sanctam Sedem mittendae.

Maxime interest ut hae relationes accurate conficiantur utque nihil propter difficultatem linguae omittatur, erronee exponatur aut false intelligatur.

Idem de precibus dicendum est, de recursibus atque de causis iudicialibus, quae ad Sanctam Sedem dirigi debent.

Multum insuper tempus teritur in translationibus faciendis, et non raro occurrit ut, praesertim in processibus, errores et sumptus augeantur.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

1. Ordinarii missionum relationes, preces, processus et cetera similia, ad Sanctam Sedem mittenda, conficere quoque possunt utendo aliqua lingua moderna magis nota.[2]

2. Etiam causae matrimoniales, ad S. Rotam Romanam remittendae aut ad S. Congregationem de Disciplina Sacramentorum necnon ad S. Officium, confici et tractari possunt in una ex praedictis linguis.

3. Pro regionibus, quae utuntur lingua minus nota et ubi catholici sunt multi,[3] conceditur facultas erigendi tribunalia tertiae instantiae; quibus tribunalibus quoque committi potest instructio, examen ac votum in causis de « rato non consummato » atque de dissolutione vinculi naturalis et matrimonii legitimi ex potestate suprema Romani Pontificis.

4. Omnia rescripta, decreta et cetera similia a Sancta Sede ad missiones data, conficiantur in lingua latina clara et simplici, aut, si est rescriptum particulare, in lingua, quae in loco ad quem destinatur rescriptum, communiter in usu est.

II – DE DIMINUENDIS QUAESTIONIBUS ET CAUSIS AD SANCTAM SEDEM DEFERENDIS

« *Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum orbem diffusae, pertinent* ».[4]

Romanus Pontifex autem negotia Ecclesiae universae per Congregationes, Tribunalia et officia Curiae Romanae expedire solet.

Ipso iure divino plures quaestiones Romano Pontifici sunt reservatae; aliae quaestiones iure ecclesiastico Sanctae Sedi reservantur.

Cum nostro tempore communicationes faciliores et celeriores factae sint

et insuper numerus dioecesium valde creverit, multo auctus est numerus casuum in quibus recursus fit ad Sanctam Sedem: exinde graves oriuntur difficultates et incommoda, tum pro ipsa Sancta Sede, cuius dicasteria innumeris laboribus obruuntur, tum pro Episcopis et fidelibus, qui non raro per multum tempus exspectare debent responsum.

Insuper multae sunt quaestiones quae facilius tractari possint in loco ipso, ubi melius cognoscantur conditiones et circumstantiae.

Quare Sancta Synodus decernit:

Numerus causarum et quaestionum, quae ad SS. Congregationes Romanas et ad Tribunalia Sanctae Sedis deferri debent, diminuatur, ita ut quaestiones maioris momenti, quae necessario ad Sanctam Sedem deferendae sunt, citius et expeditius tractari possint.

III – De Visitatoribus Apostolicis permanentibus

Pro casibus specialibus, Sancta Sedes non desinit Visitatores mittere Apostolicos, ut verum alicuius dioecesis cognoscere possit statum, simul et abusus forte ibi grassantes eradicare atque pro futuro opportunas suggerere vel praescribere normas.

Ut fructuosa sit visitatio, fieri debet a persona quae bene perspectum habet statum dioecesium: quod non facile obtinet praesertim in Missionibus cum propter diversitatem linguae, ingenii, morum et culturae populi visitandi, munus Visitatoris Apostolici evaderet nimis gravosum.

Insuper non desunt motiva ut raro tantum fiat visitatio: nam saepe populo et praesertim pastoribus animarum odiosa est et ipsi Visitatori ingrata.

Rationibus allatis, pro singulis regionibus sub S. C. de Propaganda Fide constitutis, opportuna non videtur institutio Visitatoris Apostolici permanentis, cum iam sint Legati qui vigilare debeant ad statum ecclesiarum, et de eodem certiorem facere Romanum Pontificem.[5]

Haec praxis sufficiens erit, dummodo Nuntii et Delegati Apostolici peculiari instructi sint disciplina pro munere apud nationem ad quam mittuntur.

Quare Sancta Synodus decernit:

Ne, pro regionibus a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentibus, permanentes instituantur Visitatores Apostolici, sed maxima cum cura praeparentur Sanctae Sedis Legati.

IV – De iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in sodales Institutorum perfectionis

« Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicandum Evangelium et doctrinam catholicam praeest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna ».[6]

Haec iurisdictio Sacrae Congregationis necessario includit aliquam iurisdictionem in religiosos et sodales aliorum Institutorum perfectionis in missionibus: ipsi enim saepe munera magni momenti explent et plurimum conferunt ad praedicandum Evangelium, quapropter in canone 252, § 5 dicitur: « Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios sive uti singulos sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos, attingit, ad Congregationem religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat ».

Distinctio inter religiosos qua missionarios et religiosos qua tales utiliter fit si sermo est de religiosis, qui ex Instituto non sunt exclusive missionario, aut de religiosis, qui etiam extra missiones provincias et domos habent: oportet enim ut disciplina interna in toto Instituto sit eadem.

Si vero agatur de religiosis aut de sodalibus aliorum Institutorum perfectionis, quae sunt exclusive missionaria, aut quae principaliter in missionibus domos habent, distinctio in praxi vix fieri potest et duplex iurisdictio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide et Sacrae Congregationis de religiosis nata est ad creandas difficultates.

Quare Sancta Synodus, volens confirmare praxim vi indultorum et consuetudinis iam existentem decernit:

1. Omnia Instituta perfectionis, tum Congregationes religiosae, tum Societates sine votis in communi viventium, tum Instituta saecularia, virorum et mulierum, quae exclusive eo fine fundata sunt, ut in iisdem instituantur missionarii vel provideantur auxilia pro exteris missionibus, aut quae in terris missionum fundata sunt et ibidem principaliter existunt, iurisdictioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide quoad omnia subiciuntur.

2. Pro aliis Institutis perfectionis in vigore maneat canon 252 § 5: « Quod vero spectat... etc. ».

Articulus secundus

DE REGIMINE INTERNO MISSIONUM

V – De Hierarchia Episcopali erigenda in omnibus territoriis sub Sacra Congregatione de Propaganda Fide

Cum Romanus Pontifex sit Episcopus proprius omnium fidelium, nihil obstat quominus fideles regat sive per se sive per alios Praesules, qui potestate vicaria gaudent: hoc valet praesertim de missionibus, quia « *universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur* ».[7]

Decursu saeculorum, vicaria potestas Vicariorum Apostolicorum et Praefectorum fere similis facta est potestati ordinariae Episcoporum; insuper rationes, cur olim Sancta Sedes Vicarios instituerit, iam evanuerunt.

Ex institutione hierarchiae episcopalis, quae est hierarchia ordinaria, plura emolumenta sperare licet:

— maior erit auctoritas Episcoporum tum apud simplices fideles tum apud auctoritates civiles;

— uniformis et magis completa in Codice Iuris Canonici pro dioecesibus habebitur legislatio;

— magis in lucem apparebit missiones esse partes integrales Ecclesiae, non minoris gradus ac dignitatis quam dioeceses iuris communis.

Quodsi, in nonnullis regionibus, hierarchiae episcopalis instauratio non videtur opportuna, ad normam iuris erigi potest Praelatura Nullius; pariter si, quamlibet ob causam, Episcopus nequit nominari aut Praelatus Nullius, ad normam canonis 312 nominari potest Administrator Apostolicus.

Quare Sancta Synodus, volens demonstrare specialem praedilectionem pro territoriis missionum, decernit:

Paulatim in omnibus territoriis dependentibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide instituatur hierarchia ordinaria, erigendo dioeceses cum Episcopis residentialibus; in locis vero ubi erectio dioecesium non videtur opportuna, erigendo Praelaturas Nullius, cum Praelatis sive caractere episcopali insignitis sive non, prout magis expedire videtur; remanentibus vero tum dioecesibus tum praelaturis nullius sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

VI - De regione missionali

Antequam missio dividatur utiliter saepe erigi potest « regio », ubi clerus, cui nova missio concredenda est, novam missionem sub proprio Superiore ecclesiastico, ab Episcopo designato, praeparare possit.

Pariter religiosis, in missionibus proprio Instituto non concreditis, aut sacerdotibus saecularibus, in missionibus concreditis Instituto missionario, plures committi possunt paroeciae contiguae, plures vicariatus foranei, imo integra aliqua « regio », ubi sub proprio Superiore ecclesiastico, delegato ab Episcopo, determinatis obligationibus et iuribus gaudeant.

Haec commissio alicuius « regionis » sicut etiam commissio unius paroeciae fiat cum consensu S. Sedis et generatim « ad nutum Sanctae Sedis ». Quoties vero conditiones speciales hoc exigant, commissio fieri potest quoque ad tempus determinatum, non nimis breve, ne, frequenti mutatione regiminis, evolutio missionis retardetur.

Quare Sancta Synodus approbat praxim iam in usu pro missionibus dependentibus a S. C. de Propaganda Fide et decernit:

Quoties bonum animarum id exigat, erigantur ab Episcopo « regiones missionales » iuxta instructiones S. C. de Propaganda Fide; si « regio » concreditur alicui Instituto perfectionis, hoc non fiat nisi de licentia Sanctae Sedis sive « ad nutum Sanctae Sedis » sive, consentientibus partibus, ad tempus determinatum.

VII – De Visitatione dioecesis

« Ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda, tenentur Episcopi obligatione visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte... ».[8]

In missionibus, ubi Ecclesia adhuc in plena est evolutione, rationes pro visitatione dioecesis adhuc magis urgent et ob mutabiles conditiones frequentior visitatio omnino necessaria est. Experientia teste, ad bonum regimen dioecesis, praeterea requiritur ut visitatio personaliter fiat ab ipso Episcopo. Episcopus enim sic meliorem habebit cognitionem sui gregis et maior est visitatoris auctoritas.

Insuper visitatio, ab ipso Episcopo personaliter peracta, clero et populo christiano magnum affert solatium.

Unde Sancta Synodus statuit:

Tenentur Ordinarii, dependentes a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, visitare universum territorium ipsis commissum et omnes domos religiosas ad normam can. 512, saltem singulis trienniis, vel per se vel per coadiutorem aut auxiliarem.

VIII – De Synodo dioecesana et de Commissionibus Synodalibus

Praescriptis adhaerens, crebro ab Ecclesia iteratis, Concilium Oecumenicum valde utilem censet frequentem et diligentem celebrationem Synodi dioecesanae.

Praevia cogitatio de quaestionibus proponendis earumque profundius examen, necnon communis deliberatio de problematibus circa administrationem et apostolatum, non potest non esse valde proficuum in Missionibus.

In Synodo, etenim, fovetur spiritus collaborationis inter Pastorem eiusque sacerdotes et navitas simul cum sensu responsabilitatis stimulatur. Illius celebratio ansam praebet determinandi normas quae aptae sint circumstantiis temporis et loci, et quidem uniformes in toto territorio. Hoc valde commendandum est in missionum territoriis, ubi angustiae laboris quotidiani, paucitas sacerdotum et difficultates communicationis saepe impediunt quominus programma uniforme de actione apostolica praevideatur.

Quoad frequentiam celebrationis, mutationes, quae semper celerius fiunt in illis regionibus, postulant ut saltem quinto quoque anno habeatur Synodus dioecesana. Solemnitates autem liturgicae determinari possunt ab Episcopo, ne earum nimia prolixitas celebrationi obstet Synodi.

Recta applicatio Constitutionum synodalium, praeparatio futurae Synodi et etiam permanens collaboratio inter omnes, sive clericos saeculares et religiosos sive laicos, qui pro Regno Christi laborant, postulant ut ab ipsa

Synodo constituatur Commissio Synodalis quae sit constans et efficax adiutorium Episcopi.

Normae circa rationem agendi iam ab ipsa Synodo statui possunt.

Unde Sancta Synodus statuit:

1. In dioecesibus dependentibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, celebranda est quinto saltem quoque anno dioecesana Synodus, in qua de iis tantum agendum est quae ad peculiares cleri populique dioecesis necessitates vel utilitates referuntur et praesertim de iis quae promovere possint conversionem acatholicorum, instructionem catechumenorum et formationem religiosam neo-conversorum. Solemnitates liturgicae Synodi pro locorum et personarum conditionibus ab Episcopo determinari debent.

2. In iisdem dioecesibus commendatur institutio Commissionum Synodalium permanentium, ad curandam applicationem et executionem decretorum Synodi praecedentis et ad praeparandam Synodum subsequentem. Eaedem Commissiones synodales curabunt quoque coordinationem Apostolatus.

Earum statuta in Synodo eduntur.

IX – De Conciliis Provincialibus et de Commissionibus Conciliaribus permanentibus

Ad unitatem actionis et uniformitatem particularis legislationis conservandam in pluribus dioecesibus eiusdem Provinciae Ecclesiasticae aut regionis aut nationis, utiles, immo et necessariae sunt Conferentiae Episcoporum, saltem quinto quoque anno habendae in omnibus Provinciis Ecclesiasticis.[9]

Praxim habendi Conferentias Episcoporum singulis annis, necnon praxim habendi Conferentias Episcoporum plurium Provinciarum Ecclesiasticarum eiusdem regionis aut nationis Sancta Synodus laudat et commendat.

Pro negotiis vero maioris momenti et praesertim ad statuendas leges particulares, necessaria sunt Concilia Provincialia, regionalia, plenaria, ubi praeter Episcopos praecipui conveniunt sacerdotes ex utroque clero et ubi maiore cum cura praeparari possunt decreta.

Dynamismus enim missionum omnino requirit ut Concilia Provincialia, regionalia et plenaria ibidem habeantur, frequentius quidem quam aliis in locis.

Experientia denique, iam in nonnullis regionibus habita, maximam probavit utilitatem « Commissionum Conciliarium », quae futurum praeparent Concilium quaeque executionem curent decretorum praecedentis Concilii.

Quare Sancta Synodus statuit:

1. In regionibus sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, singulis decem annis Concilium Provinciale aut Plenarium habeatur, cum solemnitatibus ab ipso Praeside determinandis.

2. Ibidem quoque promoveantur Commissiones Conciliares, sive pro tota natione, sive pro regione, ad coordinandum et stimulandum opus Apo-

stolatus; in his Commissionibus, quibus a Concilio potestas publica concedi potest, partem habeant quoque laici, cum voto tamen consultivo tantum.

X – De Consultoribus dioecesanis

Cum « coetus Consultorum dioecesanorum vices Capituli cathedralis qua Episcopi senatus, suppleat »,[10] horum munus magni est momenti.

Quare oportet ut maxima cum cura « sacerdotes pietate, moribus, doctrina ac prudentia commendati » [11] eligantur.

Expedit vero ut, qui in cura animarum collaboratores sunt Episcopi, ei quoque assistant in regimine dioecesis, unum alterumve eligendo Consultorem dioecesanum.

Praeterea opportunum est tempore determinato habere consultationes, ne plus aequo differantur.

In hunc finem Sancta Synodus decernit:

1. In dioecesibus dependentibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, duas tertias partes consultorum dioecesanorum nominat Episcopus, alia tertia pars, iuxta Statuta dioecesana aut decreta Concilii, eligatur a sacerdotibus utriusque cleri, qui sub auctoritate eiusdem Episcopi curam animarum gerunt.

2. In iisdem territoriis Episcopus saltem tertio quoque mense consultores convocet; quodsi extraordinaria occurrerint negotia pertractanda, toties eos convocabit quoties negotia id expostulent.

XI – De provisione sede vacante et impedita in Missionibus

Magnopere convenit ut normae de provisione sede vacante et impedita in Missionibus sint, tum uniformes pro omnibus territoriis, tum certae; quod iure vigente non obtinetur.

Sed eas tales esse oportet, ut Sedes, etiam vacantes vel impeditae, non maneant per multum tempus absque capite, quamvis interino, convenienti praestantia pollente; in casibus autem gravis et diuturnae persecutionis, Episcopi possint eligi secundum peculiares normas a Sancta Sede statutas,[12] ne Ecclesiae maneant per multos annos orbatae Pastoribus cum magno periculo schismatis et intrusionis falsi pastoris.

Unde Sancta Synodus sequentia decrevit:

1. Praescriptum canonis 309, opportune emendata paragrapho 4, extenditur ad omnia territoria dependentia a Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

2. Authentice declaratur pro-titularem obtinere regimen interinum etiam in casu Sedis impeditae.

3. In casu in quo recursus ad S. Sedem praevidetur impossibilis, pro-titularis uti potest omnibus privilegiis honorificis ipsius titularis.

4. In casibus in quibus recursus ad S. Sedem praevidetur impossibilis et in quibus bonum animarum hoc exigit, eligi et consecrari possit verus Episcopus, iuxta normas a Sancta Sede statuendas.

XII – De ordinandis Tribunalibus in territoriis dependentibus a Sacra Congregatione de Propaganda Fide

In quantum sinit humana debilitas, errores in iudiciis ecclesiasticis vitandi sunt, praesertim in causis matrimonialibus in quibus in causa est ipsum ius divinum. Quare ius canonicum accurate praescribit cautiones et formalitates ad iustam et rectam obtinendam sententiam.

Attamen praesertim in missionibus, nonnullae formalitates vel difficulter vel nullo modo adimpleri possunt et sic sententia per multum tempus differtur aut omnino non datur: quod non fit sine gravi incommodo pro partibus contendentibus, imprimis in causis matrimonialibus; non raro enim partes in causa, quamdiu sententia non datur, in continuo periculo proximo sunt peccati.

Retentis formalitatibus quas experientia necessarias esse docuit, aliae, non omnino necessariae, saltem pro missionibus ubi speciales sunt difficultates, abrogari possunt, ne grave animabus damnum inferatur.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Ordinariis locorum, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus, facultas conceditur tractandi causas matrimoniales, etiam de vinculo, coram tribunali unipersonali.

2. Iisdem Ordinariis conceditur facultas committendi causas, quas tractandas habent, alicui tribunali viciniori, de consensu Ordinarii loci tribunalis, sed tantum in casibus in quibus difficulter constituere possunt tribunal ecclesiasticum in proprio territorio.

3. Iidem Ordinarii confirmare possunt sententiam latam in prima instantia a proprio tribunali, ita ut appellatio iam non requiratur, de consensu tamen scripto tum praesidis tribunalis, tum promotoris iustitiae si intervenit, tum defensoris vinculi, tum partium.

XIII – De iure poenali apte reficiendo

Maior simplicitas iuris poenalis in votis est, quae simplicitas desideratur praesertim in missionibus, ubi plerumque fideles prorsus poenas ecclesiasticas ignorant.

Equidem disciplina ecclesiastica, populis salutaris et necessaria, tuto conservanda aliquando requirit debitam punitionem ordinisque recti reparationem.

Quod tamen efficaciter obtineri potest, si normae canonicae de delictis et poenis clarae et simplices sint, abrogatis illis, quae vel mutatis conditionibus rerum temporumque obsoletae apparent vel in applicatione aut inter-

pretatione nimis complicatae videntur. Arduum vero hoc opus ius poenale apte reficiendi sollicite perficiatur a Commissione pro reformatione Codicis constituenda; interim vero S. Synodus quasdam provisiones iam facere vult: imprimis diminuantur poenae ecclesiasticae; nam si paucae sunt poenae contra delicta publica graviora, ab omnibus facile cognosci possunt, ideoque spes est fore ut fideles, de eorum gravitate edocti, a delinquendo absterreantur.

Insuper pro missionibus expedit ut poenae sint mitiores, saltem pro neophytis, et ut excommunicatio nonnisi rarissime et solum in casibus diuturnae contumaciae infligatur. Poenae enim etiam intendunt delinquentis emendationem, quare non expedit ut delinquens a praecipuis mediis emendationis, quae sunt sacramenta et sacramentalia, excludatur.

Poena vero ecclesiastica aut etiam poenitentia publica ne imponatur nisi ab ipso Ordinario aut de eius speciali mandato. Unde Sancta Synodus decernit:

1. Abrogentur poenae latae sententiae.
2. Ordinariis in Conciliis vel Conferentiis episcopalibus coadunatis relinquatur statuere poenas ferendae sententiae contra delicta publica graviora et frequentiora, si tamen delicta punitionem in foro externo requirunt.
3. Excommunicatio nonnisi in casibus gravissimis infligatur.

Articulus tertius

DE RELATIONIBUS ORDINARIORUM MISSIONUM AD ALIOS ORDINARIOS ET AD INSTITUTA PERFECTIONIS

XIV – De cooperatione Episcoporum et Cleri saecularis ex nationibus christianis cum Missionibus

Procul dubio uni Petro Apostolo eiusque successoribus, Romanis nempe Pontificibus, Iesus Christus gregis sui universitatem concredidit: « Pasce agnos meos, pasce oves meas ».[13]

Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ».[14] Haec, quae « omnes gentes... usque ad consummationem saeculi » [15] amplectitur, missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit, imo in Episcopis, communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat.[16]

Episcoporum igitur est non tantum postulare preces continuas pro missionibus, fovere vocationes missionarias, sed etiam instituere debent Unionem Cleri pro Missionibus, qua amor et zelus sacerdotum in missiones diri-

gatur; instituere quoque Opera Pontificia Missionalia, quibus omnium fidelium amor et generositas erga missiones excitetur.

His omnibus non contenti multi Episcopi generoso animo in suas dioeceses admiserunt Instituta Missionalia eaque adiuvant in quaerendis vocationibus et in eleemosynis colligendis; pluribus in regionibus erecta sunt seminaria pro missionibus et non paucae sunt dioeceses, quae mediis materialibus aliquam missionem determinatam, aut aliquod opus determinatum in missionibus adiuvant.

Mittuntur quoque, ultimis praesertim annis, non pauci sacerdotes et missionarii laici in missiones.

Omnia haec incepta Patres Concilii Vaticani II laudant et commendant. Ne vero auxilia modo nimis inaequali distribuantur neve aliae oriantur difficultates exoptat ut si dioecesis quovis modo velit habitualiter aut in rebus magni momenti adiuvare aliquam missionem particularem, hoc ne faciat nisi audita S. C. de Propaganda Fide.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Sciant Ordinarii locorum et parochi se obligatione teneri collaborandi cum missionibus, saltem instituendo et fovendo Opera Pontificia Missionalia, excitando fideles ad amorem erga missiones, ad orandum pro conversione non catholicorum et ad eleemosynas elargiendas et ad dandum exemplum vitae christianae omnibus non catholicis.

2. Ordinarii locorum et parochi insuper adiuvent Instituta missionalia et religiosa ad fovendas vocationes et eleemosynas colligendas pro missionibus, quae ipsis a Sancta Sede commissae sunt.

3. Dioeceses et provinciae ecclesiasticae suscipere aliquando possunt curam procurandi media materialia alicui missioni aut alicui operi missionali, dummodo exinde Opera Pontificia ne patiantur damnum et alia opera missionalia ne prohibeantur.

4. Laude digni sunt Episcopi, qui, debitis adhibitis cautelis, praeparant sacerdotes saeculares, laicos ad missiones mittendos et sumptus solvunt pro eorum itineribus et pro sustentatione in missionibus (auxilium technicum).

5. Auxilia cuiusvis generis, si sunt habitualia aut maioris momenti ad missiones particulares ne destinentur nisi audita S. C. de Propaganda Fide.

6. Sacerdotes saeculares, qui non sunt sodales alicuius Instituti perfectionis ne adeant missiones pro tempore notabili nisi de licentia S. C. de Propaganda Fide.

XV - De « Commissione » Missionum Institutis perfectionis

Solet Ecclesia imprimis in regionibus adhuc infidelibus Instituta religiosa vel missionaria tanquam socios adiungere, ipsis committens regionem aliquam evangelizandam.

Institutum autem hanc laboris Ecclesiae participationem acceptans, ipsam Ecclesiae missionem arcte complectitur atque omnino suam facit.[17]

Tamen meminerint Superiores Institutorum se territoria missionum non iure quodam proprio ac perpetuo accepisse sed ad Apostolicae Sedis nutum habere; [18] sed ad illud, extremam veluti metam, contendant necesse est, ut Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eisdemque propria, ex indigenis delecta tribuatur Hierarchia.[19]

Ordine vero a Christo statuto ob oculos habito, clerus ille potest esse sive saecularis sive regularis militiae: quia neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativam tenet, cum idem ius neque alteri alteram praeponat neque alterutram emoveat.

Non raro evenit, ut in sacrarum expeditionum territoriis universus qui illic versatur clerus, non excepto Antistite, regularis sit militiae. Neve autumet quisquam id prorsus extra ordinem suetamque normam, esse, ita ut censeatur hoc ad tempus tantum contingere et, simul ac fieri possit, sacram procurationem saeculari clero esse tradendam, etiamsi adsunt numero sufficienti sacerdotes autochthoni religiosi.[20]

Praeterea, fructus uberrimi, qui nunc in non paucis missionibus colliguntur debentur missionariis exteris Institutorum perfectionis et utilitatem « commissionis » luculenter demonstrant.

Hanc ob causam Sancta Synodus exoptat ut quam plurimae missiones Institutis perfectionis committi possint.

Denique, quia neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativam tenet in missionibus, sive Instituto missionali concreditis sive non, aequalis sit conditio iuridica utriusque cleri.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Ut gentes facilius et citius ad fidem convertantur Sancta Synodus vehementer exoptat ut plura adhuc Instituta perfectionis partem assumant in fide propaganda, quibus Institutis committi poterunt territoria ad nutum Sanctae Sedis, sicut iam a pluribus annis fieri solet.

2. In omnibus missionibus, sive Institutis perfectionis commissis, sive non, omnes sacerdotes, tum saeculares tum religiosi ad quaelibet officia ecclesiastica nominari possunt.

XVI – De relatione inter Superiorem Ecclesiasticum et Superiorem Religiosum in Missionibus

Unus ac verus Superior missionis est Ordinarius loci: in eius potestate esse debent tam media et opes, de quibus missio disponere potest, quam missionarii, qui ad regnum Dei dilatandum in ipsius territorium mittuntur.[21]

Unde si missio commissa est alicui Instituto et clerus missionis exclusive aut pro maiore parte est ex eodem Instituto, omnino expedit ut Superior ecclesiasticus missionis disponere possit de alumnis Instituti curae animarum addictis, proponente Superiore religioso.

Si vero missio iam habet clerum saecularem numerosum, non requiritur ut auctoritas Ordinarii loci sit maior quam auctoritas quam ius commune ipsi in religiosos concedit.

Meminerint vero missionarii omnes, bonum animarum, praesertim si pauci adsunt sacerdotes, omnino requirere promptam collaborationem, generosum obsequium et animum paratum ad sacrificia.

Quare Sancta Synodus decernit:

Relationes inter sodales alicuius Instituti perfectionis in territoriis eidem Instituto concreditis, regantur normis in Instructione S. C. de Propaganda Fide diei 8 decembris 1929 statutis; relationes vero inter Superiorem ecclesiasticum et sodales aliorum Institutorum perfectionis regantur normis iuris communis, instructionibus Sanctae Sedis, et conventionibus particularibus initis atque, ubi casus ferat, a Sancta Sede approbatis.

XVII – De varietate rituum in nonnullis Missionibus

Multiplicitas rituum decus est et gloria Ecclesiae catholicae: est tunica polymita quam Ecclesia sponso suo texuit.

Praeterea varietas disciplinae plene correspondet varietati populorum, qui indole, cultura, et evolutione sunt diversi.

Sancta Synodus igitur praescribit ut ritus varii in Ecclesia catholica intacti remaneant; catholici pertinent ad illum ritum in quo baptizati sunt aut saltem baptizari debuissent ad normam iuris, et propriis Praelatis subsunt, proprias quoque leges observare debent.

Ecclesiae orientales laudes apostolatus primo honore floruerunt et ex illis perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit.[22]

Unde spes adest etiam nostris temporibus conatus missionales ex ipsis provenientes proficuos fore ad conversionem infidelium et ad reducendos fratres separatos ad unitatem Ecclesiae.

In regionibus ubi catholici diversi ritus permixti vivunt, ex duplici iurisdictione interdum quidem oriri possunt plures et graves difficultates.

Quae tamen difficultates ex bono et aequo solvendae erunt, habita ratione rerum, locorum et personarum adiunctorum quin ullo modo ius Praelatorum aut fidelium cuiusvis ritus catholici exinde praeiudicium patiatur.

Ubi duplex hierarchia constituta non habetur Ordinarii locorum prae oculis habeant sapientem normam statutam in canone 9 Concilii Lateranensis IV:

« Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores, districte praecipimus, ut pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesium provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina officia illis celebrent, et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo. Si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci catholicum praesulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus ».[23]

Quapropter Patres Concilii solemniter declarant:

1. Omnes ritus in Ecclesia catholica habent eadem iura et obligationes, etiam propagandae fidei, neque ullus ritus aliqua gaudet praerogativa.

2. Exoptat Sancta Synodus ut unitas iurisdictionis in dioecesi servetur iuxta dispositiones Sanctae Sedis.

NOTAE

[1] Can. 218, § 2.
[2] V. gr., lingua anglica, gallica, germanica.
[3] V. gr., lingua iaponica, lusitana, neerlandica, polonica, sinica.
[4] Can. 218, § 1.
[5] Can. 267, § 1, n. 2 et § 2.
[6] Can. 252, § 1.
[7] Can. 1350, § 2.
[8] Can. 343, § 1.
[9] Can. 292, § 1.
[10] Can. 427.
[11] Can. 423.
[12] V. gr. ex elencho, praevie iam a Sede Apostolica approbato, ab hierarchia locali eligi possint.
[13] *Ioan.,* 21, 16-18.
[14] *Ibid.,* 20, 21.
[15] *Mat.,* 28, 19-20.
[16] Litt. Enc. *Fidei donum* (*A.A.S.,* 49 [1957], p. 236).
[17] Cf. Instr. S. C. de Propaganda Fide, 8 dec. 1929 (*A.A.S.,* 22 [1930], p. 111).
[18] Cf. Pius Pp. XI, Litt. Enc. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926 (*A.A.S.,* 18 [1926], p. 82).
[19] Cf. Pius Pp. XII, Litt. Enc. *Evangelii praecones,* 11 iun. 1951 (*A.A.S.,* 43 [1951], p. 507).
[20] Cf. Pius Pp. XII, Alloc. 8 dec. 1950 (*A.A.S.,* 43 [1951], p. 28).
[21] Cf. Instructio S. C. de Propaganda Fide, 8 dec. 1929 (*A.A.S.,* 22 [1930], pp. 111 sqq.).
[22] Cf. Leo Pp. XIII, Litt. *Orientalium dignitas,* 30 nov. 1894.
[23] Mansi, t. XXII, col. 998.

II

DE DISCIPLINA CLERI *

Introductio

Disciplina Cleri quamvis totam Ecclesiam respiciat, in terris Missionum quaedam problemata particularia habet vel saltem peculiari luce illustrari valet. Propriae difficultates propria etiam requirunt remedia.

Ob vitam duriorem in Missionibus non raro vires citius consumuntur quam in aliis regionibus; rapida evolutio multarum nationum saepe requirit ut Pastores non sint in via quadam trita directi, sed novis circumstantiis sese adaptare sciant. Unde problema de aetate maxima Pastorum animarum.

Vita communis Cleri in omnibus Missionibus ubi exsistit optimos produxit fructus, et honestae Clericorum sustentationi optimam dedit solutionem, Clericos a praeoccupationibus vitae materialibus exonerans. Unde desiderium ut tales fructus talesque experientiae ab hac sacra Synodo stabiliantur.

Nullius vero loci magis quam terrarum Missionum restauratus Ordo Diaconatus interest, ubi numerus semper crescens fidelium minatur vires sacerdotum totas insumere eosque a labore suo missionario inter infideles abstrahere.

Tandem et eorum recordetur Mater Ecclesia oportet, qui, proh dolor! ubique terrarum, etiam in Missionibus, inveniuntur, sacerdotum qui fidei promissae servandae impares apparent.

I – De Ordine Diaconatus restaurando in Ecclesia latina

Deplorabilis illa penuria cleri qua Ecclesia ubique fere terrarum laborat, amariores fructus haud dubie missionibus parit. Ibi enim nonnumquam amplissimae plagae et gentes innumerae, ob insufficientem copiam Evangelii praeconum, suis tenebris et adversis incursionibus sive sectarum sive islamismi sive praesertim marxismi derelinquuntur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis quintae, diebus 28-29 mart. 1962. *Cf. Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 210-251.

Inter varias vias quae ad huic rerum conditioni obviandum passim proponuntur, nulla videtur brevior ac securior quam restauratio diaconatus stabilis in Ecclesia latina, agminis nempe virorum ecclesiasticorum qui, Ordine diaconali aucti, in eodem permaneant, illiusque subsidio munera ecclesiastica expleant, quin teneantur ad superiorem Ordinem presbyteratus tendere, uti postulat vigens disciplina canonica.[1] Diacono enim talis competit potestas in Ecclesia (cui amplior adhuc accedere poterit), sive circa sacra pertractanda, sive circa Evangelium annuntiandum, sive circa opera caritatis administranda,[2] qua ipse Sacerdotem et absentem pro notabili parte supplere valebit, et praesentem adiuvando complere.

Candidati ad huiusmodi Ordinem Diaconatus, ut par est tantae dignitatis, accurate seligendi erunt, perpendendo imprimis sinceritatem vocationis ecclesiasticae. Ut patet, praeferendi erunt, caeteris paribus, illi qui cum desiderio ascendendi ad Ordinem sacrum, propositum coniungunt vitam caelibem ducendi; attamen via pateat necesse est etiam illis qui caelibatum sequi iam non valent ob vinculum matrimoniale. Sunt enim regiones et gentes, illae quidem quae maiore penuria cleri laborant atque urgentioribus remediis indigent, in quibus deest copia virorum statum caelibem ingredi paratorum; nec ex alia parte semper expedit virum caelibem in ambitu adhuc spiritu pagano et materialismo imbuto solum relinquere, uti optime cavetur in quibusdam missionibus de ipsis catechistis laicis.

Difficultas quae praecipue contra restaurationem huiusmodi Diaconatus agitatur vim tandem sumit ex remoto et vano timore ne adversi sequantur effectus in sacrum Ordinem Presbyteratus, imminutio imprimis vocationum, ad Diaconatum forte allectarum, et incitamentum fatuae illius spei relaxationis oneris caelibatus pro ipsis Presbyteris.

Vocationes enim diaconales in candidatis plerumque invenientur qui ad Presbyteratum ascendere nolunt vel non valent ob onus caelibatus, defectum debitae scientiae, adultiorem aetatem et similia; nequit ergo conflictus de iisdem inter Presbyteratum et Diaconatum oriri. Si qui autem candidati in seminariis ab incoepta via ad Presbyteratum intuitu Diaconatus declinabunt, hoc et opportunis normis praecaveri poterit; nec omnino Presbyteratui damnosum habendum est, cum selectio quaedam naturalis existat solidiorum vocationum sacerdotalium. Numquam ceteroquin obliviscendum in utroque casu agi de vera etsi diversa vocatione ecclesiastica, utraque bene perpendenda et fovenda, utraque tandem communi bono Ecclesiae opus collatura.

Quod ad relaxationem oneris caelibatus pro huiusmodi Diaconis spectat, falsa prorsus perspectiva sive historica sive canonica res ad caelibatum clericalem, in Ecclesia post tot difficultates acquisitum, referri potest. Nihil enim Presbyteris vel iis qui ad Presbyteratum tendunt conceditur in hac materia, sive sint Diaconi sive sint Subdiaconi, sed gradus stabilis Ordinis Diaconatus in Ecclesia latina de iure et de facto iam inexistentis ad vitam revocatur circumstantiis et conditionibus quibus hodie pervius videtur. Quod si, falsa illa visione rerum moti, rari hodie advocati relaxationis caelibatus sacerdo-

talis animosiores fiant, eadem semper contra ipsos manet cautio validissima, communis nempe voluntas hierarchiae et fidelium. Attamen, si historiam mente perpendamus, ne hoc nimis timendum est. Notum est enim in Ecclesia orientali aliam statutam esse disciplinam in re caelibatus, hunc solis Episcopis imponendo, caeteris autem clericis uxores concedendo.[3] En iam post millennium nullum hucusque studium nullamque petitionem cuiusdam momenti dandi uxores Episcopis novit historia ecclesiastica Orientis, et hoc quidem apud ipsos dissidentes, avulsos scilicet a prima Sede et a viva traditione ecclesiastica. Sperandum igitur non peiores esse animorum dispositiones in Ecclesia Christi quam in ecclesiis separatis.

His tandem accedit perpendenda propositio quaedam dandi officia diaconalia meris laicis non ordinatis, quo ut patet Diaconatus noster restaurandus superfluus et inutilis prorsus evaderet. At bene tenendum hic, non omnia quae ad Diaconos pertinent, rem cultualem imprimis et Evangelii praedicationem, ordinarie laicis committi posse et licere. Est enim limes inviolabilis clericum inter et laicum ex divina institutione in Ecclesia positus.[4]

Praeterea, Diaconatus Ordo gratiam specialem cum charactere sacramentali confert ad munus ecclesiasticum commissum rite obeundum, gratiam quidem quae laico deest. Non videtur autem bona oeconomia ecclesialis munus ministro minus apto committere, media vero supernaturalia ad hoc data inoperosa relinquere.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

« Ubi Conferentia episcopalis regionis vel nationis hoc opportunum existimaverit, liceat Episcopo loci Diaconatum iis etiam conferre qui procedere non intendunt ad Presbyteratum, etsi sint forsan Matrimonio iuncti, dummodo veram vocationem ecclesiasticam ostendant ».

II – De Cleri saecularis vita communi

Vita communis, quae fundamentum est vitae religiosae,[5] etiam pro clero saeculari a Codice Iuris Canonici laudatur ac suadetur.[6] Ubi vero in praxi deducta est, ut plerumque in Missionibus, tantam demonstravit utilitatem, ut non pauci eam ubique terrarum, sub forma saltem mitigata, introduci desiderent.

Vitae communis magis obvium elementum est omnium vel plurium sub unico tecto cohabitatio. Quae quidem vitae communis forma ratione sacri ministerii plerumque non erit perfecte possibilis: sacerdos enim ibi habitet oportet, ubi curam habet animarum, nec convenit habitationem sacerdotis ab ecclesia, cui addictus est, vel a populo qui eius assistentia indiget, nimis distare. Quod tamen non impedit quominus mitigata quaedam cohabitationis forma vigeat: qua scil. omnes cuidam domui centrali sint adsignati, in qua habitent in quantum sacrum ministerium hoc sinit, et in qua statis temporibus (e. g. singulis hebdomadis, singulis mensibus) omnes pro vita com-

muni convenire teneantur, etiam illi qui habitualiter extra eam commorari obligantur.

Nam plurium in unum cohabitatio nunquam satis aestimandos fructus profert. Quod maiorem constituit vitae communis crucem, diversorum scil. characterum commixtio et frictio, simul eius maius est beneficium eo quod asperitates limans sacerdotem ad mitiorem cum animabus sibi commissis conversationem disponit. Insuper cum confratribus quotidiana vel saltem periodica conversatio in eo sensum generabit, se in vita sua non esse solum, sed a multis sustineri: homo ab homine adiutus, est sicut civitas inexpugnabilis,[7] sicut funis triplex quae non facile frangitur.[8]

In eo creabit sensum solidarietatis, qua ministerium, difficultates, problemata non ipsius tantum sunt, sed omnia cum aliis communicare potest; qua scientia et experientia aliorum fiunt etiam sua. Quam facile enim, ubi viget vita communis, in conversationibus difficultates et problemata iudicio aliorum subiiciuntur; quam facile communi consilio methodus apostolatus discutitur et corrigitur.

Nec certe spernendum quod vita communis, in qua plures non solum simul habitant, sed etiam simul vivunt et simul orant, in eis magnas conservabit vires morales et spirituales: facilius enim ordinem diei observabit, in quo etiam pietatis exercitia locum suum habent; bonum exemplum aliorum facilius ad altiora eum invitabit; oculus Superioris et confratrum ne periculis, praesertim contra castitatem, sese exponat facilius impediet.

Insuper in nonnullis regionibus, vita communis sacerdotem liberabit a morali necessitudine adiuvandi proprios consanguineos, etiam longinquos, et ita perdendi opportunam libertatem in suo apostolatu.

Vita communis etiam singulos sacerdotes a curis materialibus liberat, ita ut se totos curae animarum dare possint; quod ubi habetur paucitas cleri, uti in Missionibus, certe non est spernendum. Immo multi sumptus quos secus singuli sustinere debent, per vitam communem notabiliter minui possunt.

Tandem, etiam administratio bonorum ecclesiasticorum ex vita communi suam utilitatem haberet: non enim, teste experientia, omnis clericus aptus est bonorum administrator. Iamvero, ubi habetur vita communis, aptior designari potest administrator pro omnibus bonis ecclesiasticis.

Haec vita communis, de caetero, a traditione Ecclesiae minime est aliena. Scimus iam Eusebium Vercellensem circa a. 340 vitam communem instituisse.[9] Similiter Paulinus Nolanus, Victricius Rothomagensis, Augustinus, Martinus Turonensis, ut solos antiquiores nominemus.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Pro Clero saeculari vita communis ubi exsistit, uti in pluribus Missionibus, omnino servetur; ubi nondum exsistit, introducatur.

III – De honesta sustentatione cleri saecularis in territoriis Missionum

Ratio oeconomica cleri saecularis in Missionibus, ob particularia adiuncta personarum et locorum, non ubique eadem esse potest.

Cavendum est ne sacerdotes, de propria sustentatione, praesertim tempore infirmitatis vel senectutis, praeoccupati, rebus temporalibus implicentur et ita officia sua spiritualia negligant vel etiam fidelibus malum exemplum praebeant. Unde necesse est omnino, ut honesta conveniensque sustentatio, etiam pro tempore infirmae valetudinis et senectutis, eis tuta sit.

In territoriis Missionum generatim beneficia ecclesiastica non habentur, praestationesque fidelium saepesaepius non sufficiunt. Unde Ordinarius loci qui, per se vel per praedecessores suos, eos ad servitium Missionis ordinavit, providere tenetur.

Ubi vita communis, cum aliqua communitate bonorum, viget, per eam iam provisum est. Ubi vero non viget per particularia statuta providendum est, quae sacerdotes per incardinationem in Missionem acceptant.

In hoc casu necessarium erit ut sacerdos, praesertim qui, forsan inde a Seminario minore, sumptibus Missionis educatus est, sed et alii ex charitate et desiderio aequalitatis erga confratres, quibusdam emolumentis pecuniariis qui ei ex iure competunt (stipendia Missarum, iura stolae) in favorem Missionis iuxta praedicta statuta renuntiet.

Unde Sancta Synodus decernit:

1. Honestae et convenienti sustentationi cleri saecularis, etiam tempore quo ob infirmam valetudinem vel senectutem laborare non valent, Ordinarius loci providere tenetur sive per vitam communem sive per aliud statutum, ratione etiam habita fructuum quos forsitan sacerdotes suos faciunt.

2. Normae propriae huius sustentationis a Conciliis provincialibus vel a conferentiis Episcoporum tempestive determinentur, a S. Sede approbandae.

IV – De aetate maxima pro Pastoribus animarum

Cum experientia doceat hominem, quando ad certam aetatem pervenerit, quamvis viribus adhuc robustus, saepe in munere suo adimplendo nocumento potius esse quam adiumento — unde in vita civili limes statui solet aetatis ultra quem munere suo fungi quis prohibeatur — etiam pro Pastoribus animarum Ordinarii loci sint aut Parochi, aetas maxima statuenda videtur, ultra quam munus suum pastorale exercere eis non amplius permittatur.

Verum est enim seniores plerumque maiore gaudere experientia. Sed videndum est utrum ei non obstet maior cohibitio progressus; nam non raro diuturnior in eodem munere commoratio inertiam apostolatus; immo incapacitas progredientes necessitates intelligendi in homine, de coetero robusto, clara etiam mente gaudente, inadaequatum saepe apostolatum producit.

Quodsi insuper propter aetatem vel adversam valetudinem normales cum suo grege relationes amplius habere non valet, nemo est qui non videt infaustum huius involuntariae segregationis in bonum animarum influxum.

Verum est huic impedimento aliquantulum remedium afferri posse, nominando Coadiutorem pro Ordinariis, Vicarium pro Parochis. Sed haec non est solutio: nemo enim ignorat talem Coadiutorem vel Vicarium nonnunquam habere manus ligatas cum a bona voluntate Episcopi vel Parochi dependeat; immo aliquando ansam praebet certamini partium, in detrimentum unitatis gubernii necessariae in missione.

Verum est tandem, in non paucis regionibus talem haberi sacerdotum penuriam, ut Pastores quamplures, etiamsi forte minus efficaces, pro animarum cura servare expediat. Sed ad hoc sufficit ut lex ita aptetur, ut exceptiones fieri non impediat: sufficit nempe ut inde a determinata aetate fiant ab auctoritate competenti amovibiles.

Huic vero amovibilitati, saltem pro Episcopis, videtur obstare quaedam inamovibilitas ex iure divino, eo quod « Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».[10] Attamen frequentes translationes Episcoporum ab una ad aliam Sedem insinuare videntur Episcopum non omnino immutabiliter Sedi suae ligari; immo eorum iurisdictionis restrictio, e. g. per Administratorem Sedi plenae datum, probat eorum munus non esse absolute ad vitam.

Nec obiciendum est Pastores ita munere suo privatos etiam mediis privari sustentationis. Honestae sustentationi alio modo providendum est: bonum animarum suprema lex. Cui certe problema honestae sustentationis praevalere non potest.

Quapropter Santa Synodus decernit:

1. Omnes qui ex officio curam animarum gerunt, sive Ordinarii locorum sive parochi, cum ad aetatem 70 annorum pervenerint, sint etiam ob hanc solam causam, ab auctoritate competenti amovibiles.
2. Congrua sustentatio provideatur pro Pastore exonerato.

V – De Sacerdotibus apostatis

Lex caelibatus quae est Cleri catholici decus eumque ad altum suum munus efficit expeditum, proh dolor! non semper ab omnibus sancte servatur. Relative pauci, absolute tamen sunt sat numerosi. Sunt inter eos qui cum bona voluntate adhuc possent ad rectam viam redire: tales redire omnino tenentur, etiam cum sacrificio. Sed sunt praesertim qui ita in via suae infidelitatis sunt progressi, ut nullo modo absque laesione caritatis, vel etiam iustitiae, erga pseudo-coniugem vel erga prolem susceptam, ab ea recedere valeant. Sunt qui ita in peccato suo sunt obdurati, ut nullo modo de statu suo periculosissimo curent, sed sunt et alii non pauci qui de salute animae suae et mulieris et prolis praeoccupati, nesciunt quid faciant. Talibus autem,

qui pro sua conditione abundantioribus indigerent gratiis coelestibus, usus Sacramentorum praecluditur.

Lex caelibatus pro sacerdotibus prout hodie viget et ab antiquissima traditione sive per usum sive per legem praesertim in Ecclesia latina fuit introducta, omnino integra, sarta tectaque est servanda.

Pientissima tamen Mater Ecclesia super eos misereatur oportet, qui vita et ministerio sacerdotali relicto, misere perierunt, in specie matrimonii prolem susceperunt quam derelinquere nefas esset, et tamen voci conscientiae auditum praebentes, nunc propriae animae consulere sincere desiderant.

Sed et de illis misereatur oportet qui statu sacerdotali retento, sive propter somaticos defectus sive propter inveteratam habitudinem, miseram ducunt vitam, a qua sese liberandi vires deficiunt.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Salva omnino lege caelibatus pro sacerdotibus etiam in Missionibus, Sancta Sedes erga sacerdotes, quibus vere impossibile est in statu sacerdotali permanere aut ad eum redire, maiore utatur clementia in componendo eorum statu, concedendo, ubi necessarium est, etiam dispensationem ab obligatione caelibatus.

NOTAE

[1] Can. 973, § 1.
[2] *Act.* 6, 1-6.
[3] Conc. Trull., cann. 13, 48.
[4] Conc. Trid., sess. 23, cap. 4 et can. 4; *C.I.C.*, cann. 107 et 948.
[5] Cann. 487 et 594.
[6] Can. 134.
[7] *Prov.* 18, 19.
[8] *Eccles.* 1, 12.
[9] Cf. S. AMBROSIUS, ep. 63, 66 et 71, *PL*, 16, 1258-1260; sermo 56, 4, *PL*, 17, 744.
[10] Can. 329, § 1.

III

DE RELIGIOSIS *

INTRODUCTIO

Status religiosus, qui ab omnibus in honore habendus est,[1] duplex praesertim pro Ecclesia pretium et momentum continet et in conspectu ponit. Primo est testimonium vivum et continuum virtutis ipsius religionis christianae eo quod perfectionem evangelicam finis generalis et principalis instar omnibus qui talem statum ingredi cupiunt quaerendam proponit vel potius imponit. Deinde est auxilium validissimum pro diffusione evangelii eoque medium pro sanctificatione animarum in mundo universo; seu status religiosus ope praesertim societatum vel institutorum perfectionis quae « activa » appellare consuevit, est instrumentum vix non necessarium pro opere salvifico quod Ecclesiae mandato dominico apud omnes gentes explendum collatum est.

Inde vero perspicitur statum religiosum seu Instituta perfectionis ad Missiones catholicas quoque pertinere, et quidem sub duplici respectu mox exposito. Nam huiusmodi Instituta, sive clericalia sint sive laicalia, eaque iterum sive monastica vel contemplativa, conditionibus particularibus Missionum rite accommodata, sive activa vel apostolica, quae in terris noviter ad fidem catholicam conversis originem ducant aut alibi orta sodales nativos seu indigenas attrahant et ad perfectionem evangelicam conducant, ipsam constitutionem novellarum Ecclesiarum perficiunt et confirmant atque insuper vitam spiritualem seu religiosam surculorum fide et caritate virentium demonstrant et augent. Praeterea Instituta perfectionis seu varii generis societates religiosae quam maxime conferunt ad ipsum campum apostolicum vel extendendum seu ad novas iterum oras propagandum vel in Missione iam condita magis complendum et excolendum. Quae rerum conditio non solum e conspectu Ecclesiae missionalis hodiernae desumitur, sed etiam ex historia Missionum latissime intellecta luculenter apparet.

Ex eiusmodi vero rationibus consequitur opportunitas maxima, quae necessitatem vix non adaequat, ea conservandi, immo et confirmandi ele-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis quintae, die 29 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 251-275.

menta status religiosi propria, quae tali et tanto rei catholicae incremento favere nota sunt; alia contra, quae minus apta vel imperfecta videntur, corrigendi vel aliis supplendi elementis magis congruis. Quod cum peragitur, pugna tamen seu discrepantia prae oculis habeatur oportet statui religioso fere congenita — ac proinde in quolibet Instituto perfectionis aliqualiter saltem notata — inter tendentiam, ut aiunt, spiritualem quae a mundo recedere nititur ut fini principali sanctificationis propriae magis obveniat via quidem negationum vel abnegationum, et alteram activam et directe apostolicam quae muniis pastoralibus suscipiendis magis aperta et apparata habetur.

I – De exemptione religiosorum

De exemptione religiosorum aptius definienda vel etiam e medio tollenda non pauca in decursu historiae ecclesiasticae proposita sunt argumenta tam propitia quam contraria. Quod mirum nullatenus est, cum de re agatur, quae ipsis Institutis religiosis eadem ditatis maxime utilis, aliis quae in Ecclesia reperiuntur sive auctoritatibus constitutis sive officiis explendis nociva habetur et opposita dicitur. Attamen, cum Missiones catholicae Institutis religiosis etiam sensu proprio exemptis, id est, societatibus regularium, plurimum omnino debeant ac salutifera ipsorum opera posthac quoque indigeant, huic Sanctae Synodo de instituto exemptionis commendando atque novis Ecclesiae exigentiis et rationibus accommodando decretum ferre placuit.

Sane, ipsa vox seu ratio verbi negativa apparet et velut contraria sonat auctoritati Ordinarii loci, cui ope huius instituti iuridici aliquae societates religiosorum cum domibus propriis subtrahuntur.

Verius autem ac penitius intellecta exemptio religiosorum res omnino positiva et fini Ecclesiae necnon ipsius status religiosi quam congrua et vix non necessaria in lucem prodit. Nam auctoritas seu iurisdictio Ordinarii loci, quae privilegio exemptionis sodalibus religiosis concesso non omnis sed pro parte tantum excluditur, simul apte sufficitur vel suppletur iurisdictione speciali ipsis Superioribus religiosis demandata, quae istos subditorum suorum Ordinarios proprios constituit. Quam pariter ex ipso iure antecedit auctoritas maxima seu iurisdictio suprema Romani Pontificis, cui eiusmodi religiosi immediate subiecti sunt et oboedire tenentur. Suprema enim et plena potestas iurisdictionis in universam Ecclesiam, qua Beati Petri in primatu successores gaudent, res etiam complectitur quae « ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent ».[2]

Ita vero fit ut religiosi vitae activae dediti, non in una tantum alterave dioecesi vel Ecclesiae parte sub iurisdictione immediata et velut unica Ordinarii loci ministeria apostolica explere valeant, sed ubique terrarum, et praesertim in locis ubi eorum opera magis requiritur. Quod exemptione sublata vel nimis coarctata difficilius obtineretur, cum Ordinarii locales religiosos in potestate propria habentes pro propriis imprimis officiis vel exigentiis vix non limitatis tota eorum opera uti vellent. Instituta religiosa vero ita coar-

ctata, media quoque vix comparare nec personas aptiores praeparare possent pro maioribus officiis explendis et muneribus suscipiendis, maxime quidem in Missionibus ad exteras gentes, quas tamen curare et explicare a suprema auctoritate in Ecclesia iterum atque iterum vocantur.

Exemptio igitur religiosorum, ea quoque quae impropria nuncupatur, sub potestate suprema ipsius Romani Pontificis, vitam internam Institutorum, seu vitam religiosam pressius sumptam, Superioribus pariter internis seu religiosis, ad normam Constitutionum regendam committit, et insuper partem actuositatis sodalium religiosorum, quae finis specialis instar velut notam propriam constituit societatum quas generi activo adnumerare convenit. Quod adeo verum est ut, libertate « pia opera exercendi religionis propria »[3] sive seclusa sive aequo magis coarctata, prae incremento potestatis externae Ordinariorum localium, vita propria Instituti quoque, plena ratione intellecta et explicanda, interclusa videatur, haud absque detrimento Missionum catholicarum quae ab Institutis religiosis pendent.

Ex adverso autem exemptio externa seu immunitas religiosorum ab auctoritate Ordinarii loci perperam intelligeretur et perverse exerceretur, ubi libertas omnimoda haberi contingeret a iurisdictione propria et necessaria eiusdem Ordinarii loci, etiam, ni praecipue, in operibus et muneribus pastoralibus explendis, contra quam pro istiusmodi ministeriis in ipso iure statutum reperitur. Cum enim de opera apostolica exercenda sermo est, sive in regionibus a tempore christianis sive in territoriis Missionum adhuc minus excultis, momentum maximum non in exemptione ponendum est, sed in auxilio seu adiumento vario, quod sodales religiosi sub ductu Ordinariorum locorum ad commune Ecclesiae bonum conferant, sive separatim agendo in aliqua regione Instituto proprio commissa, sive coniunctim cum clero dioecesano, maxime quidem nativo seu autochthono, aut cum aliis religiosis. In eiusmodi ergo adiunctis normae praeprimis respiciantur ac religiose observentur oportet quae sive communes sive particulares iure pontificio statutae vel pactis hinc inde compositae sunt; sed unitas insuper fovenda est animorum Christo et Ecclesiae addictorum, cuius Ordinarius loci universam operam apostolicam in finem consentaneum regendo, velut personam gerit. Operi communi perficiendo non parvum denique emolumentum obveniet ex consociationibus quas diversi nominis Instituta in aliqua regione degentia formandas curaverint.

Quibus pro merito attentis Sancta Synodus decernit:

1. Pro bono Missionum quoque exemptio religiosorum a iurisdictione Ordinarii loci, utpote elementum seu conditio vitae et actuositatis ipsorum propriae, retineatur et cum necessitatibus ministerii pastoralis componatur.

2. Salvis normis iuridicis, quae auxilium religiosorum regunt sub auctoritate Ordinarii loci in diversis territoriis Missionum praestandum, pro cooperatione missionali inter diversa Instituta perfectionis promovenda, instituantur « Conferentiae Superiorum » congruentes.

II – De incompatibilitate officiorum ad normam can. 626

Mutatio iuris vigentis, quae sub isto titulo commandatur et instituitur, cum exemptione religiosorum atque eorundem cooperatione in ministeriis pastoralibus connexa est. Non pauci enim Praesules Ecclesiae Catholicae, qui perfectiorem sodalium religiosorum subiectionem respectu Ordinarii loci exigunt, maiorem insimul participationem ipsorum in operibus apostolicis exercendis appetunt. Quod pariter postulare videtur ut religiosi, cum clero saeculari pressius et copiosius cooperantes, partem quoque habere possint in officiis explendis et muneribus suscipiendis quae labori communi in dioecesi dirigendo et ordinando sub auctoritate Episcopi statuta sunt, puta Consultorum dioecesanorum vel directorum operum. Immo, in Missionibus, quibus praecipue providendum est, ipsa necessitas ex aliorum sacerdotum penuria proveniens, religiosos ad huiusmodi ministeria praestanda impellit. Quod iuri vigenti contrarium non est, quoties de territoriis agitur quae alicui Instituto religioso commissa sunt.

Attamen etiam in Missionum territoriis multae dioeceses iam a clero saeculari seu dioecesano reguntur, quae sine auxilio religiosorum florere adhuc nequeunt. Ita dispensationibus non paucis opus esset, ut religiosis officia vel munera pastoralia etiam praeter paroeciarum regimen concredi possent, quae ipsis interdicta sunt, quatenus cum statu religioso componi non possunt.[4] Incompatibilitas vero, ipsa rerum natura inspecta, maior vel minor apparet prae indole instituti religiosi sive monastici seu contemplativi sive apostolici vel activi, quam ceteroquin ipsae Regulae vel Constitutiones congruenter declarant ac non raro prohibitionibus specialibus confirmant, salva semper potestate suprema Romani Pontificis seu Sedis Apostolicae auctoritate cui sodales religiosi cum suis regulis subiecti sunt.

Quibus perpensis Sancta Synodus decernit:

« Salvis communibus status religiosi principiis et obligationibus, necnon Constitutionibus particularibus, quae incompatibilitates speciales pro propriis sodalibus statuant, can. 626, § 1 ita reformatur ut munera vel officia ecclesiastica, quorum collatio Sanctae Sedi reservata non sit, ab ipso Ordinario loci etiam Religiosis conferri possint, cum consensu vel consilio Superioris competentis, ad normam Constitutionum prout necessitas aut utilitas Ecclesiae vel religionis id exigat. Canones vero Codicis huic praescripto contrarii apte corrigantur ».

III – De confessione et confessariis religiosorum

Ius codicis de argumento, quod non levis momenti est pro sodalibus Institutorum perfectionis sive generaliter seu ubique terrarum sive specialiter in territoriis Missionum, ubi non aeque facile reperitur copia confessarii, progressum indubium constituit prae diversis normis iuridicis, quae decursu

temporum de eadem re valebant. Attamen, ut animis Deo et Ecclesiae praecipue dicatis magis subveniatur, opportunum videtur ius vigens aliquantum mutare, ita ut facilius et securius confessionem instituere possint, quae medium aptissimum perfectionis evangelicae alendae et augendae agnoscitur.

Ita pro religiosis viris Institutorum clericalium sodalibus providetur copia confessarii in universum ea ratione ut normae ad omnes extendantur quae pro sodalibus religionum clericalium exemptarum iam usu venerant et can. 875, § 1 sancitae habentur. Extensio iurisdictionis hac ratione concessa non solum proprios confratres itinerantes afficit sed quoscumque sacerdotes impedimento legitimo non detentos, quibus Superior facultatem ad suorum subditorum confessiones audiendas impertiri velit.

Pro religiosis mulieribus, contra, maior copia confessarii et insimul maior libertas confessionis eo obtinetur quod restrictiones iure vigenti statutae abolentur, quae ipsam validitatem sacramenti afficiebant, sive propter iurisdictionem peculiarem can. 876 requisitam « ad confessiones quarumcumque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas », sive ob circumstantiam loci confessionis, quam can. 522 una cum favore confessarii occasionalis pacto severiore imposuerat. Mutatio autem huiusmodi statutorum in favorem validitatis confessionum et libertatis poenitentium religiosarum minime abolere intendit disciplinam confessionum sive iure communi Ecclesiae sive Constitutionibus particularibus Institutorum perfectionis praescriptam, quae eo magis commendanda videtur quo melius finem legis iuvare perspicitur, positive quidem bonam animarum directionem in tuto collocando, negative vero abusus falsae libertatis praecavendo. Sed cuicumque regulae vel normae quae disciplinam confessionum statuat, semper et ubique praevaleat oportet validitas sacramenti et vera libertas conscientiae etiam pro religiosis mulieribus quae tot alias libertates pro amore sponsi coelestis renuntiare debent et corde generoso renuntiant.

Alia pariter ratio copiam confessarii augendi, quae in et pro Missionibus prae penuria sacerdotum ad id munus vere aptorum maioris iterum momenti habetur, et reductio aetatis minimae pro confessariis religiosarum mulierum iure vigenti statutae, et facultas Ordinariis concessa confessarios ordinarios in munere confirmandi ultra tempus in codice statutum, quoties necessarium vel vere utile videbitur.

Mutationes iuris mox declarandae id etiam efficient, praeter rationes iam adductas validitatis sacramenti et libertatis conscientiae, ut participatio obtineatur magis activa et fructuosa vitae tum liturgicae et eucharisticae cum etiam apostolicae ex parte tot religiosarum in Missionibus, quam confessio facilior et tutior multum iuvabit. Hoc autem emolumentum erit non solum personale vel singulare sed commune et catholicum, operariis evangelicis, quicumque tandem sunt, ubique appetendum.

His omnibus attentis et perpensis, Sancta Synodus decernit:

1. Can. 875, § 1 ita extenditur ut eadem facultate donentur etiam su-

periores maiores religionum clericalium quae exemptionis privilegio non fruuntur.

2. Salvis legibus communibus et Constitutionibus propriis quae modum et disciplinam confessionis religiosarum mulierum determinant, iurisdictio specialis, de qua in can. 876, § 1, vel alia conditio quae validitatem confessionum restringat vel praepediat, ut circumstantia loci, ad normam can. 522, abolentur, statutis Codicis contrariis expunctis.

3. Aetas minima pro confessariis ordinariis religiosarum mulierum sit triginta quinque (35) annorum; qui munus ipsis commissum etiam ultra tertium triennium retinere possint, si Ordinarius loci id ob iustam causam necessarium putaverit, cann. 524 et 526 congruenter mutatis, et salva libertate conscientiae religiosarum.

NOTAE

[1] Can. 487.
[2] Can. 218, § 1.
[3] Can. 497, § 2.
[4] Can. 626, § 1.

IV

DE SACRAMENTIS AC DE SACRA LITURGIA *

INTRODUCTIO

Salvificum opus Christi, cunctis gentibus destinatum, perenne redditur assidua applicatione sacramentorum quae « praecipua sanctificationis et salutis media »[1] ex positiva voluntate divina instituta sunt.

De his adiumentis ad salutem necessariis, Sancta Synodus opportunum duxit quosdam iuridicos aspectus considerare ac, ad eosdem quod attinet, peculiarem seu benigniorem disciplinam decernere, spiritualibus missionum exigentiis accommodatam. Ne plurimi fideles supernaturali carerent adiutorio si et pro istis lex communis urgeretur, praedicta S. Synodus curavit ut Ordinarii locorum, nec non sacerdotes missionarii, certis occurrentibus conditionibus, relate ad sacramenti confirmationis et poenitentiae administrationem, ad matrimonii celebrationem aut dissolutionem, si « privilegium fidei » applicari expediat, specialibus gauderent facultatibus.

Maximum quoque adiumentum spirituale fideles deducunt ex activa et fructuosa sacris functionibus adsistentia. Quod vero obtineri nequit nisi ipsi christifideles preces Deo exhibitas corde et mente advertant. Quam ob rem S. Synodus consilium habuit ut, potissimum pro Missionibus, ubi lingua latina fere omnino ignota est, quaedam flexibilitas, certis normis moderanda, in libris liturgicis admittatur.

I – DE LITURGIAE APTATIONE IN MISSIONIBUS

Ex S. Scriptura scimus quod omnes linguae ordinatae sunt ad laudem Christi; [2] talis laus maxime in liturgia efficitur, in qua lex intelligibilitatis linguae cultus pro omnibus adunatis ab Apostolo enunciata fuit.[3] Diversitas consuetudinum et rituum semper in Ecclesiis adfuit, divitiam unitatis Ecclesiae quam maxime ostendens.[4]

Ecclesia nempe regionaliter constitui debet ita ut materne vivere queat in omnibus variis regionibus, cum formis quidem ecclesiasticis haud a cano-

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis quintae die 30 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 369-394.

nibus vitae autochthonis alienis. Sic variae Ecclesiae particulares proprios faciunt et Christo consecrant omnes positivos humanitatis valores maxime secundum loca variantes, qui vero non restringuntur ad unam tantum partem geographicam mundi aut in una tantum cultura. Diversitates ergo adesse debent inter Ecclesias particulares, quae tamen sarta tectaque tenent divinae Ecclesiae constitutionis elementa: « In una fide nihil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa ».[5]

Momentum magnum Sacrae Liturgiae pro missionibus, magis ac magis intelligitur, etiam in multis territoriis missionariis, nostris praesertim temporibus, partim ex eo quod hodie aliqua missionis subsidia quae maximi pretii aliquando considerabantur, scholae nempe et nosocomia catholica, in angustum venerunt, immo, pluribus in locis qua talia exclusa sunt. Etiam ex consideratione magis nunc elucenti, quod S. Liturgia, ut finem suum pastoralem cultualemque apprime consequatur, cum actuosa Christifidelium participatione et sacrorum textuum ac rituum intelligentia, perspicua esse debet.

Haec perspicuitas necessario requirere videtur, et quemdam usum linguae vernaculae, et quamdam rituum adaptationem ad ingenium populorum et ad conditiones locales. Quae quidem magni ponderis sunt specialiter pro missionibus, licet cum magna prudentia tractanda forsitan etiam nonnisi post longum temporis spatium maturanda sint, ne graves errores committantur.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Admittitur in libris liturgicis quaedam flexibilitas, praesertim pro Missionibus, ita ut S. Liturgia adaptari possit ad ingenia diversorum populorum.

2. Amplitudo et limites huiusmodi flexibilitatis a Sede Apostolica definiendae sunt, praeter ea quae in Sancta Synodo praescripta aut concessa inveniuntur quoad vitam liturgicam.

3. Adaptatio autem Conferentiis Episcopalibus relinquitur, quae acta et decreta ad S. Sedem transmittant, nec eadem antea promulgentur quam recognita fuerint.

II – De ministro extraordinario confirmationis

Quoniam « illi qui confirmationem accipiunt, quae est sacramentum plenitudinis gratiae, Christo conformantur, in quantum ipse a primo instante suae conceptionis fuit plenus gratiae et veritatis »[6] ideoque spiritualiter pulchriores evadunt, venustioribus scilicet sese perficiendo lineamentis Christi, cuique christifidelium durum est ab hac vita sine confirmatione migrare « non quia damnetur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur ».[7] Patres igitur huius S. Synodi nihil antiquius, nihil carius habent quam omni cura consulere ut omnes in resurrectione perfecti appareant secundum illud: « donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »[8] ideoque statuere ut morituris

hoc sacramentum dandum sit, servato quidem ordine, etiam a simplici sacerdote.

Huiusmodi extensio unice cedit in bonum animarum, cum perspectum sit Ordinarios locorum, pro zelo suo, nil intentatum relinquere ut subditi rite praeparati tempore opportuno sollemniter confirmentur ab ordinariis ministris, qui sunt Episcopi, ita ut fideles, perfecti et Christi milites, maxime conferant apostolatui. Propterea omnino evanescit timor ne, propter extensionem facultatis, hoc sacramentum parvi aestimetur.

Facta concessione hac amplissima, in memoriam revocanda est obligatio adnotandi collatam confirmationem in libris paroecialibus.

His perpensis, Sancta Synodus decernit:

1. In periculo mortis sacramentum confirmationis valide administrat parochus vel alius sacerdos de eiusdem parochi aut Ordinarii loci licentia, saltem rationabiliter praesumpta.

2. Qui confirmationis ministri munere in dictis adiunctis functus est, graviter onerata conscientia, praescriptum can. 798, de collatae confirmationis adnotatione, observet.

III – De absolutione sacramentali, extra mortis periculum, forma communi danda

Sacramentum Poenitentiae, ad modum iudicii a Christo Domino institutum, postulat ut fideles, sacramentalem absolutionem petentes, coram sacerdote sistent, ad confessiones audiendas approbato, eique omnia et singula peccata mortalia post baptismum commissa, hucusque nunquam potestati clavium submissa ac directe absoluta, revelent et accusent.

Haud infrequenter tamen, praeter casus in quibus agitur de mortis periculo, ob sacerdotum parvum numerum ac territorii vastitatem, ob leges civiles adversas aliamve eiusdem generis causam, in certis locis missionum, sicut et in quibusdam aliis orbis terrarum regionibus, christifideles impediuntur quominus singuli confessarium adeant ad confessionem peragendam.

Gravissimum spirituale damnum inde obveniret fidelibus qui in dictis adiunctis versantur, si absolutione sacramentali et gratiae auxiliis ab eadem manantibus per notabile spatium temporis, secus nulla sua culpa, carere cogerentur. Ad providendum saluti animarum praedictorum christifidelium expedit ut Ordinarii, ubi et quatenus ipsis omnino necessarium videatur, atque eorum onerata conscientia, in proprio territorio, sacerdotibus concedere valeant facultatem impertiendi sacramentalem absolutionem generali formula, sine praevia peccatorum confessione a singulis christifidelibus peracta, firma utique manente obligatione deinceps, prima data occasione, accusandi singula peccata absolutione turmatim accepta remissa.

Quod praecepto divino de integritate confessionis minime obstat, cum Deus nolit ultra humanas vires sive physicas sive morales, hanc urgere obligationem.

Quapropter Sacra Synodus decernit:

1. Etiam extra mortis periculum, si christifideles prae eorum multitudine ac temporis angustia, aut alia gravi de causa singuli audiri nequeunt, sacerdotes in missionibus adlaborantes, cum Ordinarii licentia, eos absolvere possunt turmatim, communi formula, absque praevia orali confessione, si secus poenitentes diu sacramentali gratia et Sacra Communione carere cogerentur.

2. Sacerdotes autem sic absolventes ne omittant poenitentes docere absolutionem non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint, eisque obligationem manere integram quoad mortalia peccata confessionem suo tempore peragendi.

IV – De ieiunio eucharistico praesertim in missionibus

Inde ab antiquissima aetate consuetudo invaluit Eucharistiam christifidelibus ieiuniis administrandi. Idem ieiunium iis quoque praescribebatur, qui eucharisticum celebraturi erant sacrificium. Quandoquidem lex ieiunii maxime confert reverentiae huic Sacrosancto Sacramento debitae necnon pietati religiose fovendae ad fructus sanctitatis efficacius augendos. Quanta cura Ecclesia Eucharisticum ieiunium servandum curaverit, ex eo facile erui potest, quod, volventibus saeculis, quamvis novae temporum rerumque conditiones suadere visae fuerint ut lex ieiunii aliquantulum relaxaretur, vix aut ne vix quidem concessae fuerant facultates ac veniae, nedum generales, sed vel particulares, praesertim ad sacerdotes quod attinet.

Verum, postremis hisce temporibus, ex una parte pietas erga Augustum Altaris Sacramentum alacriter crescit, sollicita Summorum Pontificum cura, ac peculiariter Sancti Pii X, qui omnes adhortatus est ut, quam creberrime, immo cotidie si possent, ad Angelorum mensam accederent: ex altera parte usus societatis actioque vitae communis ita funditus mutantur, ut homines a divinis participando mysteriis abstraherentur, si Eucharistici ieiunii legem eodem prorsus modo ac paucos ante annos observare deberent. Quamobrem, Pius XII, Pontifex Maximus, opportunum esse duxit ut disciplina ieiunii eucharistici reformaretur, hodiernis rerum exigentiis, in quantum fieri potest, accommodans sanctitatique et dignitati huius Sacramenti, quo meliore fit modo, consulens, donec lex definitive sancita fuerit per litteras Apostolicas, motu proprio datas, « Sacram Communionem » diei 19 martii 1957.[9]

Nihilominus plures Antistites vota detulerunt ut tempus ieiunii eucharistici, tam pro sacerdotibus celebraturis quam pro christifidelibus ad S. Synaxim accessuris, pariter computaretur ab ipsa S. Communione. Nam, licet Communio sacerdotis, secus ac fidelium, faciat partem integrantem Sacrificii Missae, ieiunium tamen intuitu potius ipsius Communionis est praescriptum. Praeterea plura incommoda exinde sacerdotibus caventur, qui vel ipsa lege liturgica vel praedicatione vel alia causa Missam litant solito longiorem.

Altera vero sollicitudo Episcoporum, attentione digna, respicit peculiarissima rerum adiuncta, in quibus fidelis observatio vigentis legis aliquatenus importuna videtur, quaeque praesertim in missionibus maxime urgent. Saepe enim contingit ut ipsi evangelii praecones, gravissimis exantlatis laboribus atque itinerum difficultatibus omne genus superatis, serius tantum Eucharisticum Sacrificium, et quidem haud raro bis vel etiam ter, celebrare debeant, quin inter unam et alteram Missam intercesserit spatium trium horarum. Fideles quoque iisdem fere in rerum adiunctis versari quandoque accidit, cum aut iter arduum atque asperum facere aut adventum sacerdotis quomodocumque retardatum expectare teneantur, ut tandem aliquando Eucharisticum participare queant Sacrificium et sanctissimo Christi Corpore refici. Nec spernenda aut parvi pendenda est difficultas, quae ex eo provenit quod usus horologii quibusdam in regionibus vel saltem apud certas personarum categorias, rerum copia destitutas, sat inconsuetus apparet.

His omnibus rationibus prae oculis habitis, Sancta Synodus decernit:

1. Disciplina actualis de ieiunio Eucharistico remaneat, tempus vero ieiunii Eucharistici servandi a S. Communione computetur pro sacerdotibus sicut et pro fidelibus.

2. Si forte quaedam habeantur adiuncta specialia in certis locis missionum, Ordinarii locorum speciali donentur facultate.

V – De extensione facultatis audiendi confessiones

Quamvis Episcopi peculiares ecclesias regant potestate ordinaria sub auctoritate Romani Pontificis, omnes tamen in universale opus salutis, quod Christus Dominus apostolis eorumque successoribus commisit cunctis gentibus nuntiandum, concurrere et conspirare debent.

Qua pastores qui propriam convertere debent in sollicitudinem omnium ecclesiarum quae Romano Pontifici incumbit, etsi potissimum fideles suis curis commissos ad aeternam salutem adipiscendam dirigere eorumque bono spirituali efficaciter consulere tenentur, coeterorum fidelium salutem, ubi et quatenus opportunum sit, promovere minime eximuntur.

Maximum obstaculum saluti animarum est peccatum, quo animae avertuntur a Deo. Expedit ergo ut pastores qui apostolis succedunt, praeter potestatem ordinariam qua gaudent « pro suo quisque territorio »,[10] potestate delegata augeantur, ad modum privilegii personalis, qua valeant, ex generali deputatione, confessiones quorumlibet fidelium, ubique terrarum recipere. Nostris enim temporibus, missionalibus regionibus non exclusis, frequenter contingere potest Episcopos extra propriae dioecesis fines vagari, necessitatis causa, qualis est ut Conferentiis episcopalibus, Conciliis Provincialibus aliisque huius generis coetibus intersint. Ob similes rationes rogantur Episcopi, in Conferentiis Episcopalibus coadunati, facilius concedant iurisdictionem in tota provincia illis sacerdotibus qui, nullo obice detenti, frequenter, maxime ratione ministerii, extra propriam dioecesim versantur.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Ipso iure omnibus episcopis conceditur facultas audiendi ubique confessiones quorumlibet fidelium.

2. Sacerdotes omnes, nullo canonico impedimento detenti, ubique terrarum confessiones aliorum sacerdotum audire valent.

3. Episcopi in Conferentiis Episcopalibus coadunati curent ut facilius concedatur sacerdotibus facultas audiendi confessiones in tota provincia ecclesiastica, regione aut natione.

VI – De reformatione formae iuridicae celebrationis matrimonii

Quo securius evitentur incommoda quae ex clandestinis coniugiis oriuntur, disciplina canonica edicit: « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus ».[11]

At, maxime in locis missionum, accidere potest quod haberi vel adiri nequeat, aut omnino aut sine gravi incommodo, sacerdos dicta potestate praeditus. Quamvis ex ipso iure [12] specialibus in adiunctis provisum sit per formam extraordinariam, tamen anxietates de eiusdem recta applicatione ac de matrimonii validitate experiri possunt. Opportunum ergo videtur ut saltem delegationes generales, quae hucusque, ex iure communi, solummodo vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt, concedi possunt,[13] coeteris quoque sacerdotibus ab Ordinariis locorum demandari valeant.

Praeterea, contingere potest ut ingenio quorundam populorum, forma canonica nimis simplex appareat, cum ipsi modum externum exprimendi matrimonialem consensum pluribus exornent sollemnitatibus, aut eadem forma canonica iuxta mores apud eos receptos ac vigentes pudoris offensionem constituat aut significet.

Quapropter Sacra Synodus decernit:

1. Ordinariis locorum in missionibus concedatur facultas tribuendi licentiam etiam habitualem adsistendi matrimonio in toto territorio cuilibet sacerdoti.

2. Ordinariis missionum in Conciliis provincialibus aut plenariis congregatis concedatur facultas adaptandi formam celebrationis matrimonii, tum iuridicam tum liturgicam, iuxta mores, consuetudines aut speciales circumstantias populorum vel locorum, dummodo certe constet de mutua et externa manifestatione consensus ex utraque parte.

VII – De simplificatione impedimentorum matrimonialium

Ut matrimonii sanctitatem eiusque bona tueantur, utque hominum temeritatem et inconsiderantiam refrenet, Ecclesia non pauca impedimenta ipsa statuit, alia vero iure divino iam posita promulgavit. Sane impedimenta iuris ecclesiastici non sunt talis firmitatis ut semper et absolute observari debeant, ut patet ex praxi Ecclesiae dispensationis et ex historia iuris impedimenta

inducentis. Sunt quaedam, quae maxime dependent a vita sociali hominum, mutationibus quandoque notabilibus obnoxia. Simplificatio hanc circa rem valde optatur a plurimis Ordinariis locorum. Quod utile ac magis necessarium habendum est in missionibus propter maiorem vitae tenoris diversitatem. Attamen hac in re nec temere nec praecipiter procedendum est, sed omni cum circumspectione.

Iamvero impedimenta, quae in iure « minoris gradus » veniunt,[14] supprimi possunt sine periculo enervandi disciplinam Ecclesiae. Nam dispensatio huiusmodi impedimenti, iuxta can. 1054, valet non obstante quocumque vitio sive obreptionis sive subreptionis, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit. Ergo eliminatio impedimentorum « minorum » quam plures Ordinarii exoptant, dici potest iam in iure vigenti quodammodo praeparata.

Eadem fere ratione ducti, Patres Concilii Vaticani II de medio tollunt multiplicitatem impedimentorum eiusdem speciei, quae occurrunt generatim in impedimentis consanguinitatis et affinitatis. Cum autem dispensatio, impetrata pro certo et determinato impedimento, valeat etiam pro alio impedimento eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu, quod in supplici libello bona vel mala fide reticitum fuerit,[15] institutum iuridicum multiplicitatis in praxi parum confert rationabili populi christiani disciplinae.

Verumtamen simplificatio impedimentorum matrimonialium, iudicio huius S. Synodi Patrum, minime ita intelligenda est ut simpliciter auferantur quaedam impedimenta hucusque vigentia, sed potius ut disciplina matrimonialis apprime respondeat exigentiis hodiernis.

In missionibus enim haud raro accidit ut mores populi legesve civiles alia impedimenta, diversa ab impedimentis iure canonico statutis, a tempore immemorabili admittant ac sanciant. Quamvis sola Ecclesia gaudeat potestate regendi matrimonia fidelium, opportunum tamen est ut evitetur occasio scandali aut vulneris ordini sociali forte inferendi, quod evenire potest si catholicus ineat nuptias, posthabito impedimento moribus populi introducto. Notum est quaedam impedimenta canonica originem duxisse a iure romano et germanico: huiusmodi spiritus adaptationis aeque extenditur ad territoria missionum. Ceteroquin ipse Codex haud semel evidens praebet testimonium rationem habendi legis civilis morumve populorum, v. g. in can. 1067, § 2 de cura pastorum a matrimonio avertendi iuvenes ante aetatem, qua secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet, et can. 1059 et can. 1080, de acceptanda lege civili legalem cognationem respiciente.

His omnibus mature perpensis, Sancta Synodus decernit:

1. Omnia impedimenta dirimentia quae in Codice « minoris gradus » vocantur, supprimuntur.

2. Item supprimitur impedimentorum multiplicitas.

3. Ordinariis Missionum in Conciliis Provincialibus vel Plenariis conceditur facultas statuendi impedimenta matrimonialia, sive impedientia sive dirimentia, in conformitate cum moribus populi, dummodo accedat approbatio Sanctae Sedis.

VIII – De facultate dissolvendi vinculum coniugale Ordinariis locorum concedenda

Statim ac missionarii, dissitis in regionibus gentilium propagationi fidei incumbentes, S. Sedem edocuerunt de necessitate indulgendi paganis circa libertatem novas ineundi nuptias, ideoque solvendi primum si quod exstabat vinculum, Romani Pontifices, extra casum Privilegii Paulini, matrimonium in infidelitate contractum, vi generalis praescripti, certis sub conditionibus, consueverunt dissolutum declarare.

Ratio erat ne homines continentiae servandae haud assueti, ab amplectenda fide deterrerentur, necnon ad religionem catholicam conversi, ut in eadem permanerent.

Quae statuta, in Const. Pauli III *Altitudo,* 1 iun. 1537, S. Pii V *Romani Pontificis,* 2 aug. 1571, Gregorii XIII *Populis,* 1 iun. 1585 edita, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, *C.I.C.* « ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis », can. 1125, extendit.

Haud minores inveniunt ac denuntiant difficultates his temporibus animarum pastores, maxime qui ob distantiam vel ob politicas rationes S. Sedem nullimode vel nonisi gravi cum incommodo adire valent. Plurimi enim occurrere possunt casus quibus non provisum est per dictas Apostolicas Constitutiones, quorum vero solutio hucusque uni Romano Pontifici reservatur, sive matrimonium inter duos infideles initum, sive inter duos baptizatos, sive inter partem baptizatam et partem paganam celebratum respiciant. In huiusmodi adiunctis saepe saluti animarum aliter seu utiliter et efficaciter consuli nequit nisi per rescissionem prioris vinculi. Si tamen ad hanc dissolutionem obtinendam qualibet vice adeunda esset S. Sedes, hoc facile in damnum animarum verteret.

Expedit ergo, ut fidei amplectendae, servandae aut exercendae quantocius faveatur ne sit periculum in mora, legem generalem inducere qua, quibusdam impletis conditionibus, imprimis dummodo certe constet carentia baptismi saltem in alterutro coniuge perdurans toto tempore vitae coniugalis, etiamsi carnalis copula sequuta sit, Ordinarii locorum, coniugibus vinculo ligatis ad dignitatem sacramenti non evecto, permittere possunt celebrationem novi matrimonii cum parte catholica. Idem valet casu quo plane evidens est matrimonium revera nunquam consummatum fuisse post baptismum ex utraque parte susceptum.

Quare Sancta Synodus decernit:

1. Quoties Ordinarii locorum in missionum territoriis, ob nimiam distantiam, politicas rationes aliamve huiusmodi causam, S. Sedem adire nequeunt, nec novum matrimonium sine probabili salutis animarum periculo differri possit usque dum ab eadem S. Sede dispensatio obtineatur, ipsi valent permittere celebrationem novi matrimonii cum parte catholica, dummodo certo constet carentia baptismi saltem in alterutro coniuge perdurans toto tempore vitae coniugalis, etiamsi copula carnalis sequuta sit.

2. Pariter in iisdem rerum adiunctis et in casibus evidentibus in quibus constet, e. g. ob coarctata tempora, matrimonium revera nunquam consummatum fuisse baptismate existente ex utraque parte, possunt novum matrimonium baptizatis permittere.

3. In utroque casu, Ordinarii locorum celebrationem novi matrimonii ne permittant, nisi post seriam investigationem secundum normas a Sancta Sede latas.

NOTAE

[1] Can. 731, § 1.
[2] *Philip.* 2, 11.
[3] *I Cor.* 14, 13-20.
[4] *Ps.* 45, 10.
[5] S. GREGORIUS MAGNUS, *Epist. 43,* Lib. I; *PL* 77, 497.
[6] S. TH., III, q. 72, a. 1, ad 4.
[7] S. TH., *ibid.,* a. 8, ad 4.
[8] *Eph.,* 4, 13.
[9] *A.A.S.,* 49 [1957], p. 178.
[10] Can. 873, § 1.
[11] Can. 1094.
[12] Can. 1098.
[13] Can. 1096.
[14] Can. 1042, § 2.
[15] Can. 1052 cum interpretatione authentica Commissionis Interpretationis, die 8 iulii 1948 data (*A.A.S.*, 40 [1948], p. 386).

V

DE DISCIPLINA POPULI CHRISTIANI *

Introductio

Tenor vitae in multis Missionibus, ab illo antiquorum populorum christianorum omnino diversus, non sinit ubique terrarum eandem applicare disciplinam. Societas in qua vivunt, spiritus quo circumdantur, traditio christiana quae mores populi nondum penetravit, sed quae partem populi christianam ad vitam genuine christianam formare debet, sed ex altera parte etiam venerandae traditiones et quandoque antiquae culturae transmissiones quae vitae christianae minime obstant eique proinde integrari valent, haec omnia requirunt ut modus mortificationem, i. e. ieiunium et abstinentiam, necnon sanctificationem festorum observandi istis adaptetur circumstantiis.

Etiam tempus utile pro annua communione stabiliendum in terris Missionum peculiares secumfert difficultates.

Quia insuper praesertim in missionalibus territoriis, « oportet omnino homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi cum hierarchico cleri apostolatu consocient, in Actionis Catholicae confertissima agmina confluentes »,[1] ea quae spectant ad apostolicam formationem omnium fidelium et specialiter ad praeparationem delectorum virorum ac mulierum christiano influxu insignium, necnon normas directivas pro confertiore et efficaciore regimine apostolatus laicorum statuere huic Sacrae Synodo visum est.

I – De observantia festorum

Non solum homo privatim ex ipsa sua creaturae conditione, debet certum tempus in operibus religionis impendere, sed etiam cultus Dei publicus est obligatorius. Si autem ad cultum privatum ordinandum iam conveniens est tempora statuere quibus homo huic officio vacet, ad cultum publicum certe necessarium est ut tempus statuatur quo omnes huic officio vacare teneantur: secus enim cultus publicus fallax evadit ac vanus.

Observantia festorum proinde in ipso fundatur iure naturae, in hominis scil. obligatione cultus Dei tum privati tum praesertim publici. Modus autem

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in sexta congregatione sessionis quintae, die 31 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 395-414.

quo huiusmodi festa sunt observanda, necnon eorum frequentia, iuris est positivi.

Reprobanda videtur tendentia introducendi, loco hebdomadae, decades quae scil. loco septimi cuiusque diei, decimum diem quietis proclamat. Dies enim Domini inde e 52 ad 36 reducuntur. Et insuper, dum annum minus rationabiliter dividit (remanent enim semper 5 vel 6 dies extra decades), ab antiquissima religionis, iam iudaicae et etiam christianae, traditione plus aequo recedit, quae ad exemplum Creatoris septimo die quiescentis [2] unum semper diem in hebdomada sanctificandum habuit.

Omnino vero reprobandus est conatus introducendi hebdomadas (vel decades) sic dictas « labiles ». His enim una pars hominum die dominica a labore vacaret, alia Feria II, alia Feria III, et ita porro; unde nulla die plus quam septima, vel, quod peius est, decima pars communitatis christianae a labore esset libera; et proinde omnis cultus publicus, cui tota fere communitas interesse deberet, omnino impossibilis fieret.

Sanctificatio autem festorum duplex continet elementum: positivum unum seu assistentiam sacrosancto Missae Sacrificio, negativum aliud seu a labore abstinentiam.[3]

Positiva festorum sanctificatio per Missae Sacrificio assistentiam omnibus certe debet esse summa sollicitudo: semel saltem in hebdomada partem habere in supremo cultus actu quod est Sacrificium, semel saltem in hebdomada gratias et benedictiones coelestes super seipsos et super familias suas implorare.

Non pauci tamen in regionibus vivunt, ubi ob parvum numerum sacerdotum non singulis dominicis S. Missa celebrari contingit. In multis Missionibus solent tunc fideles in ecclesia vel in aliqua domo privata convenire, ut duce catechista vel priore christianitatis, per preces suppletivas suam cum Deo unionem singulis dominicis corroborent. Quam praxim Concilium Oecumenicum non solum probat, sed ubique introducatur praecipit.

Cum vero magis ac magis invaluerit usus extra propriam domum diem dominicam et festum in corporis recreationem transigendi, Sancta Mater Ecclesia, legitimum hoc filiorum, praesertim in magnis civitatibus, desiderium agnoscens, ne talis recreatio — quam utique honestam semper esse augurat — obligatione Missae assistendi impediatur, tempus utile pro hac obligatione libenter anticipat ad primas Vesperas, ita ut, praeterquam per totum diem festum, etiam pridie Missa postmeridiana huic obligationi omnes satisfacere valeant; eo vel magis quod ita, in Missionibus et ubicumque deest copia sacerdotum in maiore numero locorum Missa festiva vel dominicalis celebrari possit.

Hortantur autem omnes ut dies festos non exclusive in corporis recreationem impendant, sed saltem aliquando, diebus praesertim particulariter festivis, aliis exercitiis pietatis, uti Vesperis, Benedictioni Eucharisticae, praedicationibus, Processionibus, devote intersint.

Abstinentia a labore, quod est elementum negativum in festorum sanctificatione, non significat illis diebus christianos laborare non posse, sed significat illis diebus abstinendum esse a laboribus qui sanctificationi diei Domini non conveniunt, et permitti solummodo labores necessarios, qui interrumpi non possunt, necnon labores qui sive ad cultum sive ad pia opera sive ad honestam recreationem tum propriam tum aliorum ordinantur.

Nec convenit dies festos plus aequo minuere numero. Verum est in non paucis regionibus, ex decem festis quae praeter Dominicas in Codice Iuris Canonici enumerantur,[4] plura a gubernio civili non agnosci, ita ut eorum observatio populo christiano perdifficilis sit. Ubi vero a gubernio civili agnoscuntur, non est cur Ecclesia ea sanctificanda non amplius habeat. Ex altera parte, societas civilis quandoque festa celebrat quae in elencho Ecclesiae nondum habentur, quae tamen aliquid religiosi prae se ferunt, uti e. g. dies gratiarum actionis, dies labori sacer: non est cur Ecclesia talia festa modo christiano sibi proprio non sanctificet.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

1. Affirmatur gravis obligatio omnium christianorum dies Domini tum S. Missae assistentia tum abstinentia a labore sanctificandi; tempus autem utile pro assistentia S. Missae anticipatur inde a primis Vesperis diei liturgici. Ubi vero ob parvum numerum sacerdotum S. Missa celebrari nequit, instituantur preces communes suppletivae.

2. Affirmatur gravis obligatio, inde profluens, illorum qui populorum regimen tenent, ut observantiam quietis diebus cultui publico reservatis etiam per leges urgeant.

3. Affirmatur gravis obligatio conductorum operis ut operarios ad labores die dominico non adstringant absque vera et urgente necessitate.

4. Praeter opera necessaria, illa sola opera manualia diebus festis permittuntur, quae sive ad cultum sive ad opera pia sive ad recreationem tum propriam tum aliorum pertinent.

5. Praeter dies dominicos illa festa, iuxta diversitatem regionum, sunt observanda, quae nunc in C.I.C. enumerantur, relicta tamen Conferentiae Episcoporum facultate ex eis quaedam in sua regione abolendi, si scil. in vita civili uti dies feriati non observantur; vel etiam alios dies ex lege civili feriatos tanquam festa de praecepto instituendi.

6. Improbatur tendentia introducendi decades loco hebdomadum, quamvis hoc stricte immorale dici nequeat; sed tamquam impedimentum cultus publici improbatur tentamen introducendi hebdomades (vel decades) « labiles ».

II – De ieiunio et abstinentia

Praxis poenitentialis ieiunii et abstinentiae decursu temporum semper facta est debilior. Hodie theoretice adhuc exsistit lex, sed practice, saltem quoad ieiunium, vix est qui non sit dispensatus, praesertim inde ab ultimo bello mundiali.

Dum poenitentia est vitae christianae essentiale elementum, a quo dispensare vel dispensari nemo potest, ieiunium et abstinentia sunt poenitentiae formae non necessariae. Tantae autem gaudent antiquissimae traditionis favore, non solum in iudaica et christiana, sed etiam in aliis religionibus, ut eas omnino dimittere nefas appareat multisque non-catholicis esset scandalum.

In non paucis regionibus maior hominum pars vix unquam carnes manducant et quotidie nonnisi una vescuntur comestione, ideoque naturaliter legem abstinentiae et ieiunii — quamvis forsan non diebus praescriptis — observant. Quodsi autem in illis regionibus non-christiani statutis diebus in signum poenitentiae a quibusdam abstinent (e. g. sale, potibus alchoolicis, et similibus), posset pro illis regionibus similis abstinentia vel ieiunium pro diebus christianae poenitentiae statui, et ita usus paganus christianizari.

Ubi vero lex ieiunii et abstinentiae veram adhuc constituit poenitentiam, ita ordinari debet ut a fere omnibus observari possit, et fideles ad spiritum mortificationis et poenitentiae redeant. Iamvero lex ieiunii prout in Codice Iuris Canonici [5] habetur, a fere omnibus observari potest, dummodo recte interpretetur, et duae refectiunculae, quas mane et vespere sumere non vetat lex, non pondere et mensura pro omnibus totius mundi circumstantiis aequales determinentur. Generatim unicuique licebit (mane et vespere) tantam cibi quantitatem sumere, quanta cuique necessaria est ad vitandam indispositionem quae ipsum impediat quominus officia status convenienter adimplere valeat.

Unde ieiunium significat, praeter refectionem unicam et refectiunculas duas, nihil omnino cibi sumere licere.

Ita fas est sperare fore ut fideles ad spiritum mortificationis et poenitentiae redeant, atque cavebitur ne lex ieiunii, quae tam salutaris est quaeque exemplo Christi Domini doctrinaque Patrum ab exordiis Ecclesiae orta est, desuetudine pereat.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Lex ieiunii et abstinentiae servetur, sed tempora et modus determinanda relinquantur Conferentiis Episcoporum.

III – De Communione annua

Proculdubio Sancta Mater Ecclesia sub peccato servandum minimum statuit quod relate ad S. Communionem statuere potuit: semel in anno anima Cibo Divino saginetur.

Cum vero homo leges tempori non ligatas facilius transgrediatur, Ecclesia sapienter statuit ut tempore festi Paschatis omnes S. Communionem recipiant.

Sunt qui velint talem obligationem a festo Paschatis ad festum Nativitatis Domini transferre eo quod fideles libenter in eo festo ad mensam Domini accedunt. Retenta autem potius obligatione circa festum Paschatis,

fideles in hac sua devotione pro festo Nativitatis Domini confirmentur, et ita ad bis in anno S. Communionem recipiendam inducantur.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Quoad annuam S. Communionem statuitur tempus utile a Feria IV Cinerum ad festum SS.mae Trinitatis; ubi vero ob dispersionem fidelium sacerdos omnes sibi commissos hoc tempore visitare non potest, Ordinariis locorum aliud tempus, e. g. annuae missionis seu visitationis, statuere liceat.

IV – De formatione apostolica omnium fidelium

Praesertim in hodiernis conditionibus in quibus labor missionarius evolvitur, neminem effugit momentum decisivum apostolatus laicorum pro incremento penetrationis evangelicae in vastissimas regiones Missionum ac pro firma novellarum Ecclesiarum implantatione, imo, pro ipsa qualitate et maturitate vitae christianae neophytarum, ita ut omnibus viribus fovendus sit in missionibus zelus apostolicus omnium fidelium.

Ad optatam spiritualem atque apostolicam maturitatem adipiscendam, actio educativa parentum, scholarum magistrorum, confraternitatis doctrinae christianae aliorumve Actionis Catholicae membrorum in pueros, primi est momenti. Similiter et christianae iuventutis associationes, missiones paroeciales, homiliae dominicales, spiritualia exercitia, congressus pro apostolatu aliaque id genus magnopere iuvant. Sed modo generaliore, tota catechesis totumque ministerium pastorale ita aptius et efficacius ordinari debet, ut in singulis Christi fidelibus verae persuasiones, profunda vita spiritualis et sollicitudo apostolica pro conversione mundi excitentur ac foveantur.

Christus enim, ut pulchre S. Ioannes Chrysostomus christiano populo exponebat, « ideo nos hic relinquit ut sicut luminaria essemus, ut aliorum doctores constituamur, ut instar fermenti simus, ut sicut angeli cum hominibus versemur ... ut illi lucrentur, ut semina simus, ut fructum multum feramus ... Nullus esset gentilis, si nos essemus vere christiani ».[6]

Sicut discipuli in die Pentecostes « acceperunt Spiritum Sanctum in munere gratiae quo perficiebantur ad promulgationem fidei in salutem aliorum »,[7] ita fideles per Confirmationis receptionem accipiunt « potestatem publice fidem Christi verbis profitendi quasi ex officio ».[8]

Quapropter Sancta Synodus haec decernit:

1. Praesertim in praeparatione ad Confirmationis Sacramenti receptionem, vel alio tempore magis opportuno, in instructione catechetica curetur formatio omnium fidelium ad apostolatum, et ad vitam actuosam christianam etiam publice gerendam.

2. Curent Ordinarii locorum de fovendo et augendo zelo apostolico in suis fidelibus, ne decursu temporis sensim sine sensu labescat gratia in Confirmatione recepta.

V – De praeparatione laicorum sociali influxu insignium

Necesse omnino est ut in omnibus territoriis missionum quam primum delectae cohortes christianae (élite) praeparentur quae capaces sint Actionis catholicae associationes promovere ac dirigere, et spiritum christianum potenter proponere ac introducere in varios coetus authochtones etiam excultos, et formandae conscientiae collectivae validiores.

Ad hoc consequendum requiritur ut iuvenes catholici qui ad maiora munera socialia tendunt, dum in variis scientiis et technicis profanis erudiuntur, pari gressu recipiant christianam formationem illamque apostolicam praeparationem quae futurae eorum positioni sociali consentanea sit.

Neque huic officio obstare debet crescens illa propensio guberniorum civilium omnia quae ad rationem studiorum, ad qualificationem magistrorum, ad ipsasque institutiones scholasticas quodammodo pertinent, per semetipsa regendi. Huic vero fini tunc perutile erit, uti iam Encyclicae Litterae *Princeps Pastorum* insinuant, convictus sedes (pensions d'étudiants; student hostels) condere pro studentibus catholicis qui pro disciplinis profanis addiscendis institutiones non catholicas frequentant.[9]

Specialis etiam cura requiritur pro illis multis iuvenibus qui plures iam ex Missionibus exteras nationes petunt ad studia ibi apud Universitates et Scholas Technicas perficienda. Certum est consuetudinem eorum cum christianitatibus illis exteris magni fore ponderis in determinando eorum erga religionem catholicam animo, necnon in eorum zelo apostolico efformando. Unde necessitas excitandi in istis communitatibus christianis sensum fraternae comitatis erga illos, et erigendi opera in eorum spirituale ac temporale adiumentum. Haec opera, etiam forsan iam prius condita, ab Ordinario loci regantur ac coordinentur oportet, adiuvantibus quidem, sub supremo S. Congregationis de Propaganda Fide moderamine, Directionibus Pontificalium Operum Missionalium necnon Institutis Missionalibus.

In variis denique Missionum territoriis maximi momenti erit constitutio academiae seu seminarii pro illis laicis qui in regione pleno exercitio apostolatus vel determinato ministerii pastoralis auxilio dediti sunt, ubi congruam praeparationem religiosam et apostolicam recipiant, quae idoneos eos efficiat ad proprium ministerium sub directione Ordinariorum competenter exercendum.

Quapropter Sancta Synodus haec decernit:

1. Ubi iuvenes catholici universitates aut scholas medias praesertim non catholicas frequentant, foveant Ordinarii erectionem convictus sedium aut saltem in coetus eos coadunent, in quibus formatio stricte religiosa et apostolica eis tradatur.

2. In singulis nationibus ubi iuvenes ex missionibus provenientes universitates aut alias scholas superiores frequentant, curent Ordinarii ut instituantur et, si iam exsistunt, coordinentur opera peculiaria ad fraternam comitatem et adiumentum illis praestandum, adiuvantibus Directionibus Pon-

tificalium Operum Missionalium et Institutis Missionalibus, sub supremo moderamine S. C. de Propaganda Fide.

3. Ordinarii Missionum, in Conferentia Episcopali coadunati, ubi ipsis opportunum videatur, constituant academias speciales aut saltem conventus coadunent pro praeparatione apostolica laicorum, plane apostolatui deditorum.

VI – De generali ordinatione laicorum apostolatus

Cum apostolatus laicorum in Missionibus instituitur, ante omnia necesse est ut formae eius indoli nativae populi adaptentur; praeterea requiritur ut animi in ipso opere apostolico ab hierarchia locali in unum dirigantur.[10]

Videant ergo Conferentiae Episcopales ne nimis dividantur vel multiplicentur associationes Actionis Catholicae sive Laicatus Missionalis. Invigilent e contra ut potius coordinentur vel ad aliquam unitatis formam reducantur. Praesertim relate ad Actionem Catholicam, quia « vis unita fortior »,[11] curent Conferentiae Episcopales ut adducatur vera animorum et conatuum conspiratio. Principales vero conatus Actionis Catholicae reapse ad apostolatum directum seu ad ipsum conversionis opus quam proxime ordinandi sunt.

Pro illis tandem laicis, magna generositate praeditis, qui pleno exercitio apostolatus vel determinato in ministerii pastoralis auxilio ex munere dediti sunt, curent Ordinarii ut debito in honore a christianis et non-christianis habeantur, et ut congruae eorum sustentationi pro uniuscuiusque gradu provideatur.

Quapropter Sancta Synodus haec decernit:

1. Curent Conferentiae Episcopales coordinationem animorum et conatuum in omnibus Apostolatus laicorum Associationibus.

2. Actio Catholica conatus suos praecipue praestet ad ipsum opus conversionis fovendum.

3. Ordinarii locorum consulant ut laici, qui ex munere apostolatui missionali operam praestant, praesertim vero catechistae, in debito honore habeantur, et ut eorum congruae sustentationi provideatur.

NOTAE

1 Pius Pp. XII, Litt. Enc. *Evangelii praecones* (*A.A.S.*, 43 [1951], p. 513).
2 *Gen.* 2, 3.
3 Can. 1248.
4 Can. 1247.
5 Can. 1251.
6 Homil. 10 in *I Tim.*; *PG* 62, 551.
7 S. Thomas Aq., in *IV Sent.*; dist. 7, q. 1, art. 2, ad 2um.
8 Id., *Summ. Theol.*, III, 72, 5 ad 2um.
9 *A.A.S.*, 51 [1959], p. 858.
10 Litt. Encycl. *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 51 [1959], pp. 856-857).
11 *Ibid.*, p. 524.

VI

DE STUDIIS CLERICORUM *

Introductio

Ecclesia, gentium omnium mater et magistra, eo quod a Divino suo Fundatore mandatum accepit praedicandi et docendi, baptizandi et sanctificandi ubique terrarum, ius proprium semper sibi vindicavit, quod officium sanctissimum simul constituit, « eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis sese devovere cupiunt ».[1]

Institutio autem ministrorum sacrorum qui mandatum dominicum Ecclesiae nomine et auctoritate penes varias gentes expleant, ut congrua et efficax esse possit, duplicem velut authenticitatem seu rationem propriam complectatur et exhibeat oportet: alteram quidem divinam, quae maior omnino est et immutabilis per tempora et loca licet diversissima persistit, veritas scilicet doctrinae salutis et sanctitas ipsius muneris apostolici seu pastoralis; alteram vero humanam, quae ministros seu dispensatores mysteriorum Dei eorumque in opere evangelico explendo viam et disciplinam respicit. Haec temporum ac locorum diversitatibus aptari seu accommodari debet ratio, cum mutabilis ipsa sit absque alterius dispendio.

Inde iterum consequitur utrumque elementum, perenne et mutabile, praesto esse vel praestari debere in collegiis propriis quae, institutioni ministrorum sacrorum aptissima, Ecclesia a saeculis condenda curavit, immo et condere Codicis Iuris Canonici disertis verbis praecipit: « Unaquaeque dioecesis in loco convenienti ab Episcopo electo Seminarium seu collegium habeat in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur ».[2]

« Curandum ut in maioribus praesertim dioecesibus bina constituantur Seminaria: minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis, maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus ».[3]

Constitutiones vero iuris communis de Seminariis, ut Missionibus quoque seu novellis Ecclesiae surculis applicari utiliter possint, pro peculiaribus istarum condicionibus et exigentiis mutandae vel supplendae apparent, prout in sequentibus Decretis statuitur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in sexta congregatione sessionis quintae, die 31 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 414-441.

I – De constitutione seminariorum minorum in Missionibus

Vocatio ecclesiastica, quam Codex Iuris Canonici sacerdotes, praesertim quidem parochos iam in pueris fovere et a saeculi contagiis protegere iubet,[4] magis deinde et efficacius excolitur in collegiis specialibus quae seminarii minoris nomine veniunt, idque tam pro formatione intellectuali seu scientia litterarum quam pro educatione morali et spirituali. Eiusmodi collegia seu seminaria minora, quae sive pro clero saeculari vel dioecesano sive pro vocationibus religiosis ad statum clericalem destinatis apte instituendis ubique terrarum constituta reperiuntur, Missionibus quoque utilissima esse ambigi non potest. Immo, modus loquendi Codicis omnino generalis necnon praxis S. C. de Propaganda Fide, quibus accedunt statuta Conciliorum Provincialium in pluribus territoriis Missionum emissa, non solum necessitatem seminariorum minorum pro Missionibus urgent, sed etiam eorum existentiam seu constitutionem operosam supponunt.

Sed sunt etiam loca et regiones, ubi seminaria minora, sive dioecesana sive regionalia, vel ulla collegia specialia pro vocationibus ecclesiasticis excolendis prae exiguitate mediorum et numero minore ipsarum vocationum constituere aut possibile non videtur aut non expedire perspicitur.

Etiam in istiusmodi circumstantiis difficilioribus res ardua non dimittenda videtur, sed novae in Missionibus tentandae sunt viae seu rationes institutionis clericalis, quas ceteroquin iam aliae nationes christianae antiquiores felici cum exitu adhibuere et iure consuetudinis adhibere pergunt, scilicet collegia catholica ordinaria vel etiam, ubi ista non prostant, alia collegia pro scientia litterarum instituta. Optandum sane, quod revera in diversis locis obtinet, ut alumni iuniores dioecesium, domum saltem ecclesiasticam, quae convictus audire solet, incolant et inde ad studia in collegiis peragenda proficiscantur.

Igitur, ut Missionibus in re tanti momenti apte provideatur, Sancta Synodus decernit et iuri vigenti novam partem adiungit (scil. can. 1354, § 4):

« Ubi sedes studiorum propriae, sive dioecesanae sive interdioecesanae vel regionales, constitui non possunt, alumni iuniores mittantur ad aliam scholam, praecipue quidem catholicam, ubi debitis adhibitis cautelis studia media seu classica peragant et studiorum testimonia lege civili agnita consequantur ».

II – De ratione studiorum pro seminariis minoribus in Missionibus

Adaptatio seu accommodatio institutionis futurorum ministrorum Ecclesiae praecipua quidem ratione studia litterarum afficere debet quae in seminariis minoribus traduntur, cum iisdem iuvenes alumni una ex parte patrium spiritum imbibere debeant quo ipsi ad hominum excultorum instar perficiantur, altera vero ex parte sese aptos efficiant qui, verbi Dei praecones et mysteriorum Dei dispensatores, populi proprii aures ac corda attingant. Hoc

sane non novum est principium pro institutione in seminariis minoribus tradenda, sed iam in Codice Iuris Canonici statutum est, maxime quantum ad linguam patriam addiscendam attinet.

Attamen, opportunum videtur ut normae Codicis amplius pro exigentiis hodiernis explicentur et, ubi casus ferat, immutentur, ne clerici aliis hominibus excultis regionis vel nationis inferiores sint, et, pro aequali saltem ratione institutionis, maiorem in cives propriae gentis influxum exercere et in campis communibus cum iisdem competere queant. Inde necessitas exsurgit studiorum quae publico testimonio valida habeantur et aditum aperiant ad gradus altiores institutionis seu formationis intellectualis, pro bono animarum et honore Ecclesiae in gentibus vehementer fere in lucem et simul in tenebras mundi moderni prorumpentibus. Hoc sane valet vel valere potest ut res seu materiae institutionis quae vestem « occidentalem » vel extraneam hucusque prae se ferebant, pro aliis rebus, genti de qua agitur magis congruentibus, permutentur.

Huiusmodi rationibus attentis, Sancta Synodus decernit:

Can. 1364 *C.I.C.* mutetur vel amplificetur hoc modo:

N. 3. « Etiamsi in scholis internis seu propriis futuri clerici instituantur, oportet ut eorum studia nequaquam inferiora sint studiis aliorum iuvenum qui, abstrahendo a tali vocatione, curriculum medium-classicum peragunt ».

N. 4. « Testimonia studiorum mediorum quae alumni consequuntur valida sint ad studia in Universitatibus vel Facultatibus publicis quoque, tempore opportuno, peragenda, et ad gradus academicos acquirendos ».

N. 5. « Ubi curricula studiorum publica pro apta alumnorum iuniorum institutione praesto non sunt, Episcopi nationis vel regionis congruas edant normas pro adaptatione studiorum in inferioribus Seminarii scholis, locorum conditionibus debita ratione attentis, elementis vero extraneis congruenter imminutis ».

III – De formatione spirituali in seminariis minoribus

Momentum argumenti, praeterquam ex ipsa rei ratione, ex appositis declarationibus et exhortationibus Summorum Pontificum qui de institutione alumnorum ecclesiasticorum disserunt, luculenter apparet. Quod si in Missionibus, ob certam ingeniorum ac morum simplicitatem, iuventus facilius educari et velut manuduci posse videtur, aliae ibidem prostant latebrae et difficultates cum ambitu adhuc pagano vel cum novitate vitae christianae connexae, quae cautiorem alumnorum selectionem et aptiorem in via vocationis ecclesiasticae directionem exigunt.

Sane, cum verba can. 1358 tenorem prorsus generalem seu universalem habeant, ita ut quaevis Seminaria in tota Ecclesia respiciant, rei iam provisum esse videretur. Sed propter difficultates practicas, quae in Missionibus frequentiores occurrunt, maxime quidem ob sacerdotum idoneorum penuriam et vocationum investigandarum et conservandarum proprietatem seu

indolem minus perspicuam, lex generalis pro istis regionibus et pro seminariis minoribus urgenda est et congruenter augenda proponitur.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Can. 1358 ita mutetur seu augeatur:

« Curandum ut in quolibet Seminario, etiam minore, adsint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re familiari, a rectore distinctus, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus, qui alumnos in vitam interiorem inducat eosque de propria vocatione cognoscenda et conservanda instruat ».

IV – De institutis vel collegiis propriis pro vocationibus tardivis

Experientia sat communi testante, non pauci iuvenes hodie vocationem ecclesiasticam amplectuntur post aliquot annos in aliis vitae rationibus transactos. Unde quaestio oritur de congrua istorum, qui iam maturioris aetatis reperiuntur, institutione scientifica et educatione spirituali, quae tempore breviori generatim perficiendae sunt. Accedit quod difficulter tantum isti iuvenes cum pueris in seminario minore coniungerentur. Unde opportunitas apparet collegiorum specialium pro vocationibus quas « tardivas » appellare consuevit, etiam in vel pro Missionibus, ubi magis adhuc valet verbum Domini: « Messis quidem multa, operarii autem pauci ».

Unde Sancta Synodus decernit:

Can. 1354, § 2 ita amplificetur, addito n. 2:

« Ubi locorum conditiones id suadeant, specialia constituantur collegia seu seminaria pro iuvenibus maturioribus ad statum clericalem adspirantibus, sive ad studia classica congrua ratione peragenda vel supplenda, sive ad vocationem propriam penitius probandam eamque spirituali vivendi more confirmandam ».

V – De Seminariis Maioribus Regionalibus constituendis vel retinendis

Quaestio maximi momenti pro Missionibus est institutio vel praeparatio ultima operariorum evangelicorum ex ipsa gente vel natione ortorum, quae secundum usum probatissimum in illis quoque territoriis receptum, in seminariis maioribus perficitur. Pro difficultatibus vero maioribus, quae sive a parte personarum, sive a parte rerum seu mediorum materialium in Missionibus obtinent, ibidem magis adhuc quam in aliis regionibus collatio seu coniunctio operum et subsidiorum commendanda videtur, incommodis quae Seminario communi inhaerere solent, opportune imminutis vel ob maius bonum promovendum generose toleratis, sub vigilantia et cum auxilio ipsius S. Sedis, quae Seminariorum Regionalium velut patrona existit.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

Can. 1354, § 3 ita mutetur vel amplificetur:

N. 1. « Si constitui Seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto Seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat ».

N. 2. « Ubi vero Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, constitutum est, Ordinarii Missionum obligatione teneantur proprios alumnos ad illud mittendi, salvis exceptionibus ab ipsa Sancta Sede forsan concessis ».

N. 3. « Iura Ordinariorum quod ad regimen Seminarii Regionalis et ad proprios alumnos qui ibidem studiis incumbunt attinet, ab omnibus observanda sunt, prout eadem in Statutis a Sancta Sede datis definiri contingat ».

VI – De ratione Studiorum adaptanda in Seminariis Maioribus Missionum

A limine notare convenit plura in institutione philosophica et theologica clericorum contineri quae perennia natura propria et insuper saeculari traditione Ecclesiae sancita, in Missionibus quoque retineri et sancte observari debent, quod ceteroquin ipsis Ordinariis et professoribus Seminariorum missionalium probatissimum est. Alia, contra, mutari possunt et pro aptiore alumnorum institutione secundum conditiones et exigentias Missionum mutanda esse videntur, tum quod ad res seu materias institutionis, secundarias equidem, attinet, cum quoad modum docendi et argumentandi, ipsa lingua institutionis non exclusa.

Ita multa quae in manualibus libris adhuc consuetis continentur, pro alumnis novellarum Ecclesiarum minus necessaria vel prorsus inutilia apparent, dum alia desunt ipsis magis congruentia, quae illorum loco sufficí possunt et debent, maxime quidem de ideis philosophicis et religiosis regionis de qua agitur. Pari ratione in ipso modo docendi accommodatio seu adaptatio ad ingenium loci promovenda videtur, ne velut alieni et a propria gente mente et spiritu seiuncti alumni a seminario ad opus pastorale transire cogantur. Attamen, quae necessariae vel utiles apparent mutationes seu accommodationes, discretae sint oportet et simul discretivae, ne ex adverso, id est, incauta rerum diversarum commutatione et confusione, alumni detrimentum patiantur, quod ministerium apostolicum postea gravaret et animas ipsis concredendas seriis periculis obiiceret.

Quibus pro merito attentis, Sancta Synodus decernit:

« Firmis communibus Ecclesiae legibus necnon Instructionibus Sanctae Sedis quae ad rem pertinent, pro conditionibus Missionum propriis, canones 1365 et 1366 congrua ratione explicentur vel amplificentur », scilicet:

Canoni 1365 addatur § 4:

« In Missionibus vero aliisque regionibus quae huiusmodi accommodationem exigant, e curriculis studiorum necnon e libris manualibus demantur quae, minus utilia vel non necessaria, sine detrimento solidae et clarae in-

stitutionis omitti possunt, et alia suppleantur elementa, quibus propria nationis vel regionis sive historia sive cultura, sensu praesertim philosophico et religioso intellecta, expressa reperiuntur et debita cum cautione addisci possunt, quaestionibus de re sociali pro merito attentis ».

Canoni 1366, § 2 addatur n. 2 sequentis tenoris:

« Nihilominus, in Missionibus aliisque regionibus ubi id necessarium videatur, modus docendi seu argumentandi prudenter adaptetur rationi gentis vel nationis propriae, etiam quantum attinet ad genus librorum manualium et ad sermonem qui in docendo adhibetur, salvis praescriptis particularibus quae Episcopi regionis edenda curaverint ».

VII – De studiis missionalibus inter clericos promovendis

Quod omnes omnino Christi fideles attingit officium seu debitum iuvandi Missiones catholicas ad exteras gentes, hoc modo particulari ad clericos spectat, quibus proinde specialis obligatio incumbit notitiam quoque operis missionalis Ecclesiae sibi procurare. Nam nihil volitum nisi cognitum.

Ratio vero et quae ipsi respondet mensura seu gradus scientiae missiologicae acquirendae diversa est pro variis muneribus quae clerici respectu Missionum explere vocantur. Pastores animarum extra terras Missionum adlaborantes, operis evangelici Ecclesiae notitiam et amorem operosum inter fideles sibi commissos promovere debent. Missionarii vero seu ipsi Evangelii praecones inter gentes, sive qui inde orti sunt sive qui ab exteris regionibus ad Missiones proficiscuntur, potiore ratione instructi sint oportet de opere ipsis commisso vel committendo, quod non in omnibus congruit cum opere pastorali quale in regionibus patriis cognitum habebant. Tandem sunt, qui sive in ipsis Missionibus, sive extra easdem in variis regionibus munera specialia exercere debent, quae specialem pariter vel superiorem rerum missionalium notitiam exigunt, ut sunt operum missionalium sive directores sive promotores, scientiae missiologicae professores, seminariorum missionalium directores, alii.

His igitur pro merito et ratione congrua attentis, Sancta Synodus decernit ut § 4 can. 1365 addendam alteram partem habeat ita conceptam:

« Ut pastores animarum debitum missionale quod ipsis incumbit rite adimplere valeant, et qui futuri sunt evangelii praecones aptius et maturius praeparentur, studia praesertim theologica in omnibus Seminariis maioribus, etiam extra terras Missionum, elementa quoque comprehendant quae ad missiones referuntur, sive quod ad ipsam rationem propagationis fidei attinet, sive quod ad res gestas seu ad historiam missionum spectat.

Illis vero, qui ad specialia destinantur munera missionalia obeunda, summopere commendatur studium scientiae missiologicae apud Facultates vel Instituta congrua ».

VIII - De tirocinio pastorali et de studiis superioribus

Postquam Pius XII rec. memoriae Collegium a S. Eugenio in Urbe fundavit et Constitutionem Apostolicam *Sedes Sapientiae* promulgandam curavit, institutio specialis pro sacerdotibus novellis, quam tirocinium pastorale appellare consuevit, non amplius est res nova in Ecclesia. Quod si utile visum est pro regionibus christianis, utilius adhuc, ni necessarium, apparet pro Missionibus, ubi difficiliora occurrunt problemata pastoralia. Cum autem curricula studiorum in seminariis maioribus iam rebus seu materiis abundent et institutum veluti clausum, minus aptum appareat pro quaestionibus praecipue practicis solvendis, institutio pastoralis pro missionibus magis congruenter in ipso campo apostolico praestari videtur, salvis tamen exigentiis prudentiae et directionis tironum quae exitum felicem tutiorem reddat.

Ad studia vero superiora quod attinet, sive ecclesiastica sint sive alterius generis, ambigi non potest eadem etiam pro Missionibus utilia vel necessaria esse, et proinde alumnis quoque e Missionibus ortis et ad operam in Missionibus praestandam destinatis, patere debere. Immo, ipsa studia ordinaria alumnorum qui ad sacerdotium adspirant, ratione magis exculta in Facultatibus vel Universitatibus peragi possunt; quod aliam iterum occasionem praebet alumnos aptiores e Missionibus ad loca et Instituta congruentia mittendi. Ne autem iuniores extra patriam et ambitum futuri apostolatus degentes velut extranei decursu annorum evadant, tempus magis opportunum pro eiusmodi commemoratione in regionibus exteris, commendandum videtur vel post studia ecclesiastica in Seminario patrio peracta, vel saltem post aliquot annos studiorum in Missione nativa.

Quibus pro merito attentis Sancta Synodus decernit:

Can. 1365, § 3 alteram habeat partem pro Missionibus:

N. 2. « In Missionibus vero huiusmodi institutio pastoralis apte complebitur tirocinio speciali quod novelli sacerdotes, cursu seminaristico ad normam iuris absoluto, sub directione moderatoris periti saltem per annum peragant, operariis evangelicis tam nativis quam exteris, quantum fieri poterit, communi studio adunatis ».

Item can. 1366, § 1 altera parte compleatur:

N. 2. « Studiis superioribus seu specialibus peragendis et gradibus academicis in Universitatibus vel Facultatibus acquirendis, maxime quidem in Urbe Roma vel in aliis institutionis sedibus magis congruentibus, destinentur etiam alumni aptiores e terris Missionum orti, quantum fieri poterit postquam partem saltem curriculi studiorum ecclesiasticorum propria ratione in patria persolverunt ».

IX - De formatione spirituali et de probatione candidatorum

Momentum argumenti demonstratione non indiget praesertim hisce diebus et attentis monitionibus iteratis gravibusque Summorum Pontificum, qui

severam vocationum ecclesiasticarum selectionem aptamque tironum sacrorum informationem spiritualem disertissime commendant. Speciali cura, in isto munere explendo, cavenda vel exstirpanda sunt vitia saeculi quae a spiritu prorsus « autonomo » originem ducunt. Pro Missionibus tamen adhuc speciali et positiva ratione attendendae sunt mens et traditiones spirituales vel asceticae regionis quae adiutorium praestant tam pro alumnis aptius formandis quam pro munere pastorali fructuosius exercendo.

De probatione vero candidatorum ad sacerdotium, specialiter quaeritur, iterum cum respectu ad Missiones earumque exigentias et pericula propria, quodnam sit tempus magis opportunum et qui locus ac modus aptior, quoties eiusmodi experientia potius extraordinaria, studiis intermissis et extra septa seminarii, instituenda videtur, ultra probationem usitatam quae in ipso seminario et vacationibus in familia transactis obtinetur.

Videndum tamen est, ne nimis eiusmodi examen vel experimentum differatur; nam quo magis differtur, eo maiores oriuntur difficultates: voluntatis ultima confirmatio seu adhaesio vocationi plus aequo protrahi videtur, dum ex alia parte negativus probationis exitus difficilius admittitur. Providendum tunc simul est ut tempus probationis quod statuatur quam utiliter impendatur, tum intuitu vocationis serio examinandae et confirmandae, cum intuitu ministerii post receptionem ordinis sacerdotalis exercendi.

Quare Sancta Synodus decernit:

Can. 1367 paragraphum priorem habeat pluribus numeris compositam, scil.:

N. 1. « Candidati ad sacros ordines, secundum instructiones Sanctae Sedis severa diligentia selecti, ad solidam et sinceram pietatem informentur, cuius cardines sint zelus animarum, oboedientia et sui ipsius abnegatio, traditionibus asceticis, quae regionis propriae sint, aequa ratione attentis et assumptis; quas sacerdotes quoque colere pergant et gregi sibi commisso commendare satagant ».

N. 2. « Spatium probationis quod candidatis ad sacerdotium penitius examinandis et in vocatione sacra confirmandis necessarium habeatur, tempore instituatur quo reditus ad saeculum facilius decerni potest, sive post completum cursum philosophicum sive sub initio cursus theologici ».

N. 3. « Tempus huiusmodi comprobationis, sub directione sacerdotis periti, impendatur auxilio in paroeciis vel missionibus praestando, et spiritu renovando in recessu vel collegio apte instituto. Quae comprobandi ratio posthac pro sacerdotibus novellis utiliter et congruenter renovari poterit »

NOTAE

[1] Can. 1352.
[2] Can. 1354, §1.
[3] Can. 1354, § 2.
[4] Can. 1353.

VII
DE COOPERATIONE MISSIONALI *

Introductio

Sancta quadam aemulatione et apostolico zelo accensi Summi Pontifices multis litteris encyclicis etiam atque etiam expressis verbis omnes christifideles admonuerunt eosque incitaverunt ut debitum missionale persolverent.

Eorum profecto consiliis et instigatione apostolica, opus missionale in orbe terrarum talia incrementa cepit, ut suprema auctoritas ecclesiastica, fere ubique Ecclesiae plantatione iam facta, hierarchiam ordinariam institueret.

Maior tamen quam umquam est necessitas cooperationis missionalis omnium christifidelium ne prima novellarum ecclesiarum incrementa compescantur. Suppeditari oportet quae ecclesiae patescenti latius usque necessaria sunt et auxilium validum ferri contra atheismum et materialismum in missionibus grassantes.

Populus christianus huic voci Patris communis fideliter respondens, messe copiosa a Domino messis implorata, numerosiores usque operarios Eidem obtulit et opes maiores atque ampliores in annos liberaliter suppeditavit.

Quibus tamen cooperationis conaminibus nequaquam necessitatibus immensis subveniri potest. Conatus saepe nimis disperguntur, parum apte coordinantur eoque plenum effectum non sortiuntur.

Necessitate et momento rei perpensis, visum est Patribus Concilii hanc doctrinam de debito missionali christifidelium iamdiu in Ecclesia traditam, non tantum solemniter declarare, sed etiam Codicis Iuris Canonici inserere, et consulere ut Opera cooperationis missionalis, praesertim Pontificalia Opera Missionalia, efficacius constituerentur et coordinarentur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II in sexta congregatione sessionis quintae, die 31 mart. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 441-460.

I – De debito missionali

Innumera fere sunt documenta Pontificia, praesertim recentia, in quibus fidelibus cuiusvis conditionis vel gradus inculcatur obligatio adiuvandi missiones et missionarios; clare et fuse ibidem exponuntur motiva huius obligationis ac modum eam adimplendi.

Omnino vero oportet ut haec obligatio ipso iure divino imposita iure quoque ecclesiastico inculcetur ac magis determinetur.

Quare Sancta Synodus decernit:

Occasio reformationis Codicis Iuris Canonici, in variis tractatibus de fidelibus, clericis, religiosis, Episcopis, inculcetur obligatio adiuvandi propagationem Fidei, praesertim in regionibus sub Sacra Congregatione de Propaganda Fide.

II – De nova ordinatione Pontificalium Operum Missionalium

Opera Pontificalia Missionalia, quamvis a personis privatis olim fundata, principalia sunt inter omnes associationes pro cooperatione missionali in tota Ecclesia.

Attamen character eorum pontificalis ac universalis nondum satis elucet, quia non omnia illa Opera sub directione S. C. de Propaganda Fide posita sunt, dum illa, quae eidem S. Congregationi subsunt, non omnino cum eadem coniuncta sunt. Quodsi aliqualis separatio opportuna quondam fuerit, nunc damnosa potius evadit.

De eorum autem coordinatione, omnino auspicanda quia in unum idemque intendunt, iam aliquid effectum erat ut ad eorum finem omnia Opera coniunctim conspirarent; tamen ad plenam virium unitatem obtinendam in efformatione « conscientiae missionalis » apud fideles omnes, tempora nunc matura apparent pro aliqua revisione Statutorum, in qua unica directio generalis in sinu S. C. de Propaganda Fide ordinetur, in qua etiam ratio nova illustretur de relationibus Operum Pontificalium Missionalium inter se, structuris quidem duplicibus et inutilibus debite sublatis.

Clarius tunc apparebit quamnam partem directivam Ordinarii aut Conferentiae Episcopales in istis Consiliis Nationalibus obtineant et quaenam sit forma fraternae collaborationis inter Opera Pontificalia Missionalia et alia Opera missionalia non universalia, praesertim illa quae Institutorum Missionalium propria sunt.

Tandem S. C. de Propaganda Fide providere debet ut coniuncta studia Pontificiae Cooperationis Missionalis conditionibus, necessitatibus et menti nostri temporis accommodentur, ita ut sensus apostolicus et preces missionales omnium fidelium quam maxime foveantur, stipesque efficacius colligantur atque ordinatim secundum genuinam apostolicam variorum incoeptorum qualitatem, diligenter perpensam, missionibus distribuantur.

Quapropter Sancta Synodus decernit:

1. Pontificalia Opera Missionalia, Opera scilicet a Propagatione Fidei, a Sancta Infantia, a S. Petro Apostolo pro clero indigena et Pontificia Unio Cleri pro Missionibus, directe auctoritati S. C. de Propaganda Fide subiiciantur, eorumque directio generalis in sinu eiusdem S. C. ordinetur. Haec dispositio in ipso Codice Iuris Canonici inseratur.

2. In singulis dioecesibus O. P. M. actiones inter sese coordinent sub cura et vigilantia Ordinariorum locorum.

3. Nova Statuta O. P. M. conscribantur ad determinandum:

a) quaenam partes Ordinariis locorum in O. P. M. actione tribuantur;

b) quomodo O. P. M. in dioecesi et in natione ad simpliciorem formam maioremque unitatem redigantur;

c) quomodo O. P. M. et Instituta missionalia particularia inter sese operam conferant.

COMMISSIO DE APOSTOLATU LAICORUM

DE APOSTOLATU LAICORUM *

Declaratio

Documenta quae a Commissione de Apostolatu Laicorum hic praebentur, fructus sunt laboris qui e duplici initio originem repetit: nempe ab opusculo cui titulus « Quaestiones Commissionibus praeparatoriis Concilii Oecumenici Vaticani Secundi positae » necnon ab Episcoporum « Votis ». Utrimque diversae concretae condicionis Ecclesiae resonantia audiebatur, cuius diversitatis a Membris et Consultoribus ipsis in discussionibus ratio habita est.

Quo melius tum « Quaestionibus » tum « Votis » satis fieret, Commissionis studia iuxta tres Subcommissiones distributa sunt, a quibus, quin de omnibus sermo fieri potuerit, latissimus tamen rerum conspectus necessarius erat, iuxta mandatum nostrae Commissioni concreditum, ne quidquam de nostrae aetatis alicuius momenti rebus negligeretur.

1. *In tractatione nostra praeprimis notare voluimus, sive providentissimum Deum in christifideles maiorem responsabilitatis sensum in apostolatu infudisse, sive quanta effici possint pro regno Dei a christianis viventibus in mediis negotiis mundi huius celeriter ac penitus sese evolventis, cuiusque saepta principiorum Evangelii expertes esse periclitantur.*

Tunc apostolatus laicorum in tota sua extensione enituit, iuxta multiplices et varias operositates; absque dubio tamen cum in Sacramentis Baptismi et Confirmationis fundamentum habeat, maxima apostolicorum officiorum pars tum clericis tum laicis communis est; nec facile saepe distingui potest quid reapse ad clericos, quid vero ad laicos pertineat.

Caeterum vero, diversa saepta considerantes in quibus laici apostolatum exercent, non semper adeo facile erat percipere sub quonam aspectu religioso aut sociali, res potius scrutari oporteret; determinata via nobis eligenda fuit.

2. *Praesentium Ecclesiae condicionum consideratio laboribus nostris viam adaperuit atque stravit: in « Notionibus Generalibus » postquam visionem generalem de Laicis in apostolatu Ecclesiae delineavimus, de habitudine laicorum ad caeteros Ecclesiae Ordines in Ecclesia locuti sumus: nempe de habitudine ad Hierarchiam, ad sacerdotes, ad religiosos; deinde de apostolatu laicorum a singulis exercendo — de iis laicis ratione habita qui peculiari ac*

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta et septima congregatione sessionis septimae, diebus 18-19 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 468-621.

permanenti titulo ad Ecclesiae servitium addicuntur —; de familia, ut apostolatus subiecto, tandem de diversis organizationibus: quae omnia quaestionem de necessaria mutua coordinatione involvunt; denique autem de spiritu quo laici in apostolatu duci debent ac de formatione qua indigent ad hunc finem consequendum.

3. *Insuper, ob diversas pro diversis nationibus condiciones, impossibile fuit, prout nunc res iacent, maiorem conceptuum acclarationem et magis determinatam terminologiam exhibere. Hinc enim quaestiones doctrinales competentiam nostrae Commissionis excedebant: documenta nostra doctrinam non tangunt nisi quatenus id ad intelligibilitatem quaestionum confert; quibus in casibus traditionalem doctrinam invocamus. Inde vero maxima pars sive quaestionum determinandarum, sive usitatae terminologiae, sive structurarum, nondum illam maturitatem assecuta esse videbantur quae solvi possent.*

Quapropter optimum nobis visum est, documenta exarare quae sollemne ad actionem invitamentum atque incitamentum essent, ac simul principia directiva generalia proponerent nostris aptata temporibus: quo magis vero haec omnia praesentes rerum condiciones minime negligant, principia haec ulterioribus necessariis progressibus viam pandunt.

Prooemium generale

[*Christus Apostolus*]

« Sic... Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicent mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ».[1]

Constituit ergo Eum Pater « Apostolum et Pontificem confessionis nostrae »[2] et sacramento voluntatis suae proposuit « instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, ... in laudem gloriae ipsius ».[3]

Christus autem, quae placita sunt Patri semper faciens [4] venit in mundum, et, similis fratribus per omnia,[5] habitavit in nobis [6] atque nos ad se vocavit ut cum ipso manentes, amici eius, immo unum cum ipso fieremus in Ecclesia Sancta, socii passionum et consolationis [7] necnon missionis eius in universo mundo.

[*Unum cum Christo*]

Ecclesia autem Christi est Civitas Dei Viventis et Ierusalem Caelestis,[8] eius membra sunt « cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide, Chrito Iesu »; [9] immo ad Christum pertinent, testante Apostolo: « Vos autem estis corpus Christi et membra de membro ».[10] « Quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina: omnes enim vos unum estis in Christo Iesu ».[11] Si ergo christifideles unum sunt in Christo

et « singuli... alter alterius membra »,[12] vivant oportet in perfecta communione sanctorum, « caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes; ... necessitatibus sanctorum communicantes »:[13] etenim « si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra ».[14]

[*Missio Ecclesiae pro totius mundi salute - Omnes fideles participes*]

Item, quia Ecclesia unum cum Christo est, cuius regale sacerdotium et opus Redemptionis in terris continuat, tota se et indesinenter impendit in missione implenda eiusdem, qui ait: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere: et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor ».[15] Nec sinit caritas Christi, qua vivunt membra eius, ullum, qui veri nominis christianus esse cupit, ab hoc opere salvifico se eximere: « Etenim qui Deum diligit non velle nequit ut omnes eum diligant; qui autem proximum suum vere diligit, haud nequit sempiternam eius salutem non optare vel nolle. Iamvero in hoc, tamquam fundamento, apostolatus consistit; qui nihil aliud est quam usus quidam christianae illius caritatis qui omnibus hominibus praescriptus est »; [16] « hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ».[17]

[*Missio Ecclesiae extenditur etiam ad ordinem temporalem - Laicorum pars*]

Denique cum Christus sit « Principium, Primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris sive quae in caelis sunt »,[18] Ecclesiae missio est mundum quoque temporalem, immo materialem, utpote creaturam ingemiscentem et parturientem usque adhuc, liberare « a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei »,[19] omnibus membris suis potissimum vero christifidelibus laicis cooperantibus: quod Divina Providentia in media rerum mundi condicione ad ipsius Ecclesiae operas gerendas et dirigendas disposuit.

[*Laicorum actio semper in apostolatu Ecclesiae locum habuit*]

Laicorum cooperationem inde ab exordio Ecclesiae locum habuisse luculenter ostendunt Actus Apostolorum [20] eorumque Epistolae.[21] Iam tempore persecutionum partem habuerunt in diffamando sermone Domini, in apologiis conficiendis pro religione christiana, in scientiis et arte christiana evolvendis. Quantum posterioribus antiqui et medii aevi saeculis ad orbem evangelica lege fermentandum contulerint viri et mulieres in alta potestate civili positi, quantum coetus operibus misericordiae sese devoventes, quantum multiplicium professionum sodalitia nemo est qui ignoret. Erraunt quidem aliquando in recte determinando temporalium rerum ordine ad spiri-

tualia: splendida tamen protulerunt in multis populis documenta et monumenta quae Ecclesiae virtutem universi mundi sacrandi illustrant.

[*Condiciones hodiernae*]

Recentioribus saeculis, apud plures gentes occidentales praesertim, Divina Providentia permittente, multae provinciae ordinis temporalis sese emanciparunt ab ordine spirituali, declinantes ad atheam usque et naturalisticam autonomiam, cum detrimento utriusque ordinis. Recentissimis tamen temporibus signa multiplicari videntur felicis cuiusdam rerum conversionis: cum enim profundiores quaestiones progressu scientifico et technico — aucto in dies hominum numero et ampliato rerum profanarum dominio — oriantur, non pauci homines adiguntur, saecularismi angustias superare mentemque suam veritatibus ac rebus divinis aperire; messis magnae conspicimus spatia dilatata quae laicorum praesertim exspectant apostolatum. Accedit quod in regionibus nuper Evangelio conciliatis condiciones novarum communitatum christianarum saepe Ecclesiae primordia imitantur atque repetunt; quae communitates laicos in nationibus iam diu luce evangelica expertis cooperari desiderant cum laicis nativis, ut novus in universali Ecclesia apostolicus impetus praeparetur.

Eodem tempore, non sine peculiari Spiritus Sancti motione, in christifidelium animis et in ipsa communitate christiana vividior et profundior sensus Ecclesiae efficiebatur ac efficitur et inde magis magisque clarior persuasio etiam laicos arctissimo vinculo ad Ecclesiam pertinere et de vita ipsius participare ac respondere, immo et ipsos Ecclesiam esse ac ut membra Ecclesiae proprium munus adimplere in hac communitate idque necessarium esse ad ipsius vitam aeque evolvendam.[22]

Hierarchia proinde, de animarum et mundi salute sollicita, eoque magis quo urgentioribus in dies premitur necessitatibus evangelizationis et curae pastoralis, possibilitatem cleri longe excedentibus, instantius in dies etiam laicos arcessere non desiit neque desinit, ut missioni Ecclesiae Evangelii annuntiandi omni creaturae et omnia in Christo instaurandi cooperentur. Laeto conspicit animo laicos qui, plures in dies, his omnibus moti allecti sunt et alliciuntur, ut seipsos ad opus Ecclesiae impendant.

[*Exhortatio*]

Has igitur Romanorum Pontificum atque universi orbis episcoporum voces excipiens et urgens, haec Sacrosancta Synodus laicos magnopere hortatur ut aetatis huius nostrae gravitatem, necnon eius praegravia pericula vehementesque perturbationes atque eximiam intelligant spem; agnoscant quoque se, ut membra viva et actuosa Ecclesiae, munus et partes habere, quae ab aliis neque praestantur, neque praestari possunt.

Immo, ipse Christus, per hanc sanctam Synodum, omnibus christifidelibus ardentem invitationem renovat ut omnes cum ipso intimius in dies iungantur et, quae illius sunt, ut propria sentientes,[23] in eius salvificam mis-

sionem consocientur: denuo eos mittit in omnem civitatem et locum, ut illi viam sternant.[24]

Proinde haec Sacrosancta Synodus christifideles omnes enixe pro Deo et propter Deum obtestatur ut Christo eos vocanti pareant et Spiritus Sancti docibiles fiant.[25] Ab omnibus, sive sacerdotibus, sive religiosis, sive laicis, instanter expetit ut momentum cooperationis laicorum in apostolatu Christi et Ecclesiae agnoscant, utque in auxilium fratrum et Ecclesiae Christi omnes unanimiter praesto sint.

NOTAE

[1] *Io.* 3, 16-17.
[2] *Hebr.* 3, 1.
[3] *Eph.* 1, 10-14.
[4] Cf. *Io.* 8, 29.
[5] Cf. *Hebr.* 2, 17.
[6] *Io.* 1, 14.
[7] *2 Cor.* 1, 7.
[8] Cf. *Hebr.* 12, 22.
[9] *Eph.* 2, 19-20.
[10] *I Cor.* 12, 27.
[11] *Gal.* 3, 27-28.
[12] *Rom.* 12, 5.
[13] *Rom.* 12, 10-13.
[14] *I Cor.* 12, 26.
[15] *Io.* 10, 16.
[16] Cf. Pius XI, ad Episc. Argent. Reip., 4-2-31: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 245
[17] *I Tim.* 2, 3-4.
[18] *Col.* 1, 18-20.
[19] *Rom.* 8, 21.
[20] Cf. 4, 2 sqq.; 8, 4; 9, 36; 12, 12; 16, 14; 18, 1.
[21] Cf. *Rom.* 16, 3 sqq.; *I Cor.* 16, 19; *Col.* 4, 14; *I Thess.* 1, 6 sqq.
[22] Pius XII ad Cardinales, 18-2-1946, *A.A.S.,* 13 (1946), pp. 101-103; Sermo ad Iuvenes Operarios Catholicos, 25-8-1957, *A.A.S.,* 24 (1957), p. 843.
[23] Cf. *Phil.* 2, 5.
[24] Cf. *Lc.* 10, 1 sqq.
[25] Cf. *Io.* 6, 45.

Pars I

NOTIONES GENERALES

Caput I

LAICI IN APOSTOLATU ECCLESIAE [1]

1. [*Christifideles membra Corporis Christi Mystici*]. Homo per sacramentum Baptismi in Corpus Christi Mysticum tamquam membrum inseritur atque per Confirmationem ad plenitudinem vitae christianae corrobora-

tur. Iisdem sacramentis arcano sed reali modo particeps redditur Regalis Sacerdotii Christi viribusque et donis spiritualibus abunde ditatur ut ex omnibus membris Christi « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta » constituatur.[2]

2. [*Sentire et agere cum Ecclesia*]. At sicut nullum membrum alicuius viventis organismi potest mere passive sese habere, sed simul cum vita debet etiam necessario operositatem totius organismi participare, sic in Corpore Mystico Christi, quod est Ecclesia, nullum membrum potest mere receptivum manere, sed debet, ut in eo vivat, et cum ipso sentire et agere.

Sentire cum Ecclesia est sese conformare menti eius intimoque corde participare sollicitudinem eius pro gloria Dei et salute animarum. Agere cum Ecclesia est efficaciter cooperari, quantum fieri potest, in vitali profectu quo Corpus Mysticum in terris indesinenter et necessario crescit « donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi »; [3] crescit vero Ecclesia « extensive » progrediente hominum aggregatione in sinum suum et « intensive » per ferventiorem in dies vitam fidelium christianam.

3. [*Sacerdotium universale fidelium*]. Universale omnium fidelium sacerdotium qui Baptismate et Confirmatione Christo configurantur, non confundendum est cum ministeriali quod, ut eius speciales tamquam Capitis Ecclesiae significarentur et continuarentur potestates, Christus Episcopis, presbyteris, diaconis committi voluit; utrumque tamen est unius eiusdem Christi sacerdotii realis participatio.

Quo sacerdotio christifidelibus datum est: active participare in SS. Eucharistiae Sacrificio, una cum Christo Sacerdote et Victima, tamquam membra Capiti coniuncta, illum, seseque cum illo, Aeterno Patri offerendo et de ipsius Corpore et Sanguine communicando; cultu liturgico, oratione, operibus caritatis « offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum »;[5] patientia in adversis et voluntariis poenitentiis cooperari cum Christo in opere redemptionis, iuxta illud: « vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini »; [6] docere verbum Dei quos possunt et exemplo vitae suae mundo Christum praedicare: « vos autem genus electum, regale sacerdotium... ut virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum ».[7]

4. [*Laici in Ecclesia Dei*]. « Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam quae data est nobis differentes »; [8] proinde in populo sancto Dei, alii vocantur ad statum qui per ordinem sacerdotalem acquiritur, alii ad « statum perfectionis », quem dicunt, amplectendum, alii vero ad Deo serviendum in communi Christifidelium statu et in ordinariis plerumque conditionibus vitae familiaris et socialis.[9]

Nomine laicorum hic veniunt Christifideles, quibus communia iura et officia personae in Ecclesia competunt, quique, ad statum clericalem vel per-

fectionis non pertinentes, vocantur ad suam christianam perfectionem in mediis mundi negotiis attingendam.[10]

5. [*Apostolatus laicorum*]. Opus apostolicum Christi in terris continuare totius Ecclesiae missio est, quam ipsa non solum per Hierarchiam exsequitur, sed etiam per caeteros christifideles. Ideo apostolatus, qui strictiore sensu munus Apostolis concreditum dicit eorumque successoribus, latiore tamen sed vero sensu omnem Corporis Mystici actionem significat, qua regnum Christi in terris progreditur per applicationem fructus Redemptionis; et hoc sensu etiam laici de apostolatu Ecclesiae participant et cum Hierarchia, etsi diversimode, unum in Ecclesia apostolatum exercent.

Cum vocatio ad apostolatum sit de essentia ipsius vocationis christianae, Christifideles omnes, ex eorum insertione Corpori Mystico et participatione Sacerdotii Christi, recipiunt divinitus datum ius et officium exercendi, suo quisque modo, apostolatum Ecclesiae.[11]

6. [*Laicorum munus magis proprium*]. Dantur autem modi laicis magis proprii ad Ecclesiae missionem actuandam cooperandi, qui ex ipsorum activitate et condicionibus exoriuntur:

a) vita ipsa testimonium Christo praebent, verbum Dei et caritatem Christi praesertim erga egentes fratres circumferunt, maxime vero praesentiam Christi, qua per gratiam ditantur, afferunt;

b) propria experientia ac laicali activitate collatis, ad opus liturgicum, evangelizationis, caritativum, administrativum et organizativum Ecclesiae operam dant; [12]

c) ad consilii Dei exsecutionem (quod unicum est quidquid naturale et supernaturale in se includens) concurrunt, restaurationi ordinis naturalis peccati causa perturbati et positivae instaurationi ordinis naturalis (iam ex se ordini supernaturali adaperti) deserviendo, immo directionem et spiritum christianum in ipsum imprimendo;

d) mundi cum Ecclesia, fratrum cum sacerdotibus occursui favent;

e) familiam christianam exstruunt, in qua peculiari ratione ordo naturalis supernaturali occurrit, quaeque filios humanae familiae ac Ecclesiae progignit.

In varia hac et multiplici operositate, laici, quippe qui rebus temporalibus immediatius et universalius implicentur quique ad hoc munus adimplendum gratiis peculiaribus a Deo ornentur, ad gloriam Eius qui in Christo « subiecit sibi omnia ut sit Deus omnia in omnibus »,[13] ita conferunt ut ab aliis substitui nequeant.

7. [*Dona charismatica*]. Aliquando ad maiorem efficaciam apostolatus, Spiritus Sanctus confert laicis, sicut et clericis, dona charismatica extraordinaria; quae cum sint media peculiaribus necessitatibus Ecclesiae accommodata, non sunt tamen temere expectanda neque praesumptorie ab eis sperandi operarum fructus apostolicarum sed, dum a Deo conceduntur, humilitate et consolatione accipienda sunt et semper Ecclesiae iudicio et disciplinae subicienda.

8. [*Laicorum dignitas*]. Agnoscant proinde laici dignitatem suam quae commune privilegium communisque gloria est omnium cuiuscumque conditionis membrorum Ecclesiae, ut pulchre demonstrat Augustinus: « Ubi me terret quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».[14]

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, Pars I, *De Laicis,* passim.

[2] Cf. *I Petr.* 2, 9-10.

[3] *Eph.* 4, 13.

[4] Cf. *Acta et Documenta..., De Laicis* I: pp. 756-757, nn. 7-18.

[5] *I Petr.* 2, 5.

[6] *Phil.* 1, 29.

[7] *I Petr.* 2, 9.

[8] *Rom.* 12, 4 seq.; cf. *Io.* 14, 2.

[9] « Ceterum quocumque sua pacifica agmina inducit, ibi necesse est ut integra constitutio sua habeatur, quae non modo variis Hierarchiae gradibus constat, verum etiam laicorum ordine; pariterque necesse est ut per eos omnes salutariter operetur » (IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum, A.A.S.,* 51, p. 849).

[10] Huiusmodi expressiones sat clare patefaciunt textum nostrum minime agere de Institutis Saecularibus, quorum competentia ad Commissionem de Religiosis pertinet.

Cum vero principia Pii Papae XII de Institutis Saecularibus hoc, peculiari ratione, in luce ponant membra scilicet horum Institutorum in saeculo vitam degere, quae hic de Laicorum Apostolatu dicuntur, iis etiam applicantur, nisi contextus aliud innuat. Sicque palam est eos partem in organizationibus apostolatus laicorum habere. Ut tamen huiusmodi organizationes de Apostolatu Laicorum suam notam specifice laicalem servent, regimen earum, ad normam generalem, laicis commissum maneat.

[11] Votum a Commissione nostra ad Concilium pro insertione Sectionis *de Laicis* in Catechesi ordinaria Ecclesiae praesentabitur.

[12] Laici multiplici ratione collaborare possunt conferendo propriam peritiam, vitam atque operam laicalem (familiarem, professionalem, etc.):

sive vitae atque actioni liturgicae Ecclesiae, uti est extructio domus Dei ac obiectorum quae ad cultum ordinantur, Sacramentorum materia;

sive actioni ad Evangelium annunciandum, uti est vel investigatio doctrinae (collaboratio philosophi, archaeologi, philologi, historici...), vel eiusdem doctrinae formulatio et praesentatio (collaboratio philologi, paedagogistae, psychologi, historici et sociologi...);

sive actioni caritativae (collaboratio medici, iurisperiti et singulorum fidelium);

sive denique actioni Ecclesiae administrativae (collaboratio in bonis Ecclesiae curandis, quae est propria, v. g. iurisperiti, canonistae, etc.).

[13] *I Cor.* 15, 28.

[14] Sermo 340, in die Ordinationis suae II. *PL* 38, 1483.

CAPUT II

DE RELATIONE AD HIERARCHIAM [1]

PRAEAMBULUM

Ecclesia Corpus Mysticum est, in quo « officia membrorum dispertita sunt, sed unus spiritus continet omnia. Multa iubentur, multa fiunt: unus iubet, uni servitur ».[2] Nam, ut ait S. Paulus, Christus « dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores; ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi ».[3]

Haec autem diversitas et hierarchicus ordo ministeriorum non inficit fundamentalem aequalitatem et mutuam coniunctionem omnium membrorum Ecclesiae. Unde Augustinus: « Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus ».[4]

Cum igitur Ecclesia familia sit, cuius membra « iam non (sunt) hospites et advenae, sed (sunt) cives sanctorum et domestici Dei »,[5] sua ipsa natura arctam unionem et concordem operam omnium membrorum suorum exigit.

9. [*Hierarchiae munus*]. Sacrae Hierarchiae est principia directiva et spiritualia subsidia ad fidelium apostolatum tradere.

10. [*Diversae ad Hierarchiam relationes*]. Apostolatus laicorum, sive ipsi singuli, sive consociati agunt, relate ad Hierarchiam, varios subordinationis gradus admittit, ratione obiecti vel iuxta diversas eiusdem apostolatus formas.

11. [*Missio canonica*]. Semper Ecclesia consuevit laicis munia quaedam committere, quae proprie ad ipsam Hierarchiam pertinent, e g. circa Sacramentorum administrationem ac liturgiae celebrationem,[6] doctrinae catholicae catechesim, animarum curam pastoralem.

Actus, quo ecclesiastica Hierarchia ad haec similiave munia auxiliaria exercenda laicos advocat, convenienter denominatur missio canonica. Vi missionis canonicae laici hierarchicum apostolatum quodammodo participant, et, quoad muneris collati exercitium, plene subduntur superioris ecclesiastici moderationi, et eorum apostolatus officialis in Ecclesia evadit.

12. [*Mandatum*]. Est et alius actus quo ecclesiastica Hierarchia, propter exigentias boni communis Ecclesiae, tamen ad ordinem spiritualem quod attinet, apostolatum laicorum sub sua responsabilitate [7] assumit eumque iuxta adiuncta diversimode ordinat, quin laicorum auferatur necessaria initiativa. Iuxta nominis acceptionem a Summis Pontificibus ac plurimis Episcopis nostris hisce temporibus adhibitam, ille actus apte mandatum denomina-

tur. Quo mandato laici vocantur peculiari modo ad collaborationem cum apostolatu hierarchico.

13. [*Probatio vel laus*]. Aliquando a Sacra Hierarchia eriguntur aut simplici probatione vel etiam laude donantur quaedam laicorum apostolatus formae, quae valde in bonum Ecclesiae publice quidem agnoscuntur vel commendantur.

Nulla autem associatio vel motus aut inceptum ut catholicum sese exhibeat, nisi implicite vel explicite consensus accesserit legitimae auctoritatis ecclesiasticae.

14. [*Aliae formae*]. Plurima autem inveniuntur in Ecclesia incepta apostolica, quae laicorum libera electione ac prudenti iudicio exercenda relinquuntur, salvo tamen iure Hierarchiae invigilandi ad abusus praecavendos vel forte exortos corrigendos.[8]

15. [*Pastores et laici*]. Episcopi, parochi caeterique sacerdotes apostolatum laicorum impense promoveant; magnam curam praestent laicis in apostolatu militantibus; libenter eorum consilio iuxta rerum competentiam utantur; cum fiducia eis in servitium Ecclesiae munera committant; illis in proprio ambitu pro rei natura agendi libertatem et spatium agnoscant.

Laici vero pastores suos reverenti dilectione et docilitate prosequantur, iisque filiali fiducia quaestiones suas et optata his patefaciant.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De Laicis,* p. 761, nn. 39-40.

[2] S. AUGUSTINUS, Sermo 268, in die Pentecostes. *PL* 38, 1232.

[3] *Eph.* 4, 11-12.

[4] Enarrationes in Psalmos, 126, 3; *PL* 37, 1669.

[5] *Eph.* 2, 19.

[6] S. Congr. de Prop. Fide, 21-7-1841 (cf. *Collectanea SCPF,* I, n. 928, p. 521); et Ad Episcopos Mexicanos, 23-12-1927.

[7] Responsibility, responsabilité, responsabilidad, responsabilità, Verantwortung.

[8] Cf. S. Congr. Concilii circa Societatem S. Vincentii a Paulo, *A.A.S.,* 13 (1921), pp. 137-140.

CAPUT III

DE MUNERE SACERDOTUM IN APOSTOLATU LAICORUM [1]

16. [*Huius muneris momentum*]. Sacerdotes omnes, etiamsi non peculiariter organizationibus [2] apostolicis laicorum addicti sint, semper in mente habeant sibi cum laicis collaborandum esse in Ecclesia et pro Ecclesia, et laicis in eorum apostolatu suum ministerium praestandum esse sive in vita communitatis christianae, sive in personali commercio cum laicis ipsis.

17. Enixe commendatur ut inceptis apostolicis laicorum, sive localibus, praesertim dioecesanis, sive nationalibus ac internationalibus numquam desit assiduum et continuum ministerium sacerdotale.

18. [*Sacerdotes apte seligendi*]. Episcopi, memores gravissimi huius officii momenti, magna cura seligant sacerdotes huic apostolatui idoneos,[3] audito, si putaverint, consilio etiam prudentium laicorum.

Eadem obligatione tenentur superiores religiosi erga suos subditos.

Optandum est ut sacerdotes huic ministerio addicti non impediantur in eo adimplendo multiplicitate aliorum munerum; Episcoporum cura erit ut eorum sustentationi adaequate provideatur.

19. [*Praesto sint ad hoc munus adimplendum*]. Sacerdotes autem omnes semper parati sint, pro rerum adiunctis, ad huiusmodi perutile ac Deo gratissimum ministerium praestandum.

20. [*Religiosorum cooperatio*]. Religiosi, sive fratres sive sorores, qui operibus apostolatus laicorum dedicantur, munera sacerdotis sustinere, adiuvare, complere curabunt.

Praesertim in quibusdam apostolatus provinciis opus religiosorum maximi momenti erit, uti sunt associationes aut instituta in bonum pertinentium sive ad iuvenilem, sive ad provectiorem aetatem, vel ubi desit copia sacerdotum.

Salvo semper munere proprio sacerdotis adsistentis et legitima laicorum libertate, religiosi multum afferre valent ad efficientiam apostolatus non solum quoad technicam ordinationem sed etiam quoad formationem, ac quoad ipsius actionis apostolicae animationem.

21. [*Sacerdotes et laici*]. Sacerdotes qui huic ministerio vacant, quisque pro missione accepta, Hierarchiam repraesentant, eius praecepta et principia directiva communicant, aptas laicorum relationes cum Hierarchia fovent ipsamque de eorum optatis certiorem faciunt.

In suo sacerdotali labore inter laicos, apud moderatores praesertim, quam maxime cordi habeant ut fidelitas doctrinae et spiritui Ecclesiae servetur; seipsos in educanda vita spirituali et sensu apostolico Christifidelium sibi commissorum impendant; apostolicae laicorum operositati sapienti consilio adsint eorumque incepta foveant; una cum laicis ipsis attente inquirant quaenam sint formae ad efficaciorem reddendam apostolicam actionem; unitatem spiritus in consociationibus ipsis et earum cum aliis promoveant; communi associationum orationi praesint.

22. Attento semper sacerdotali munere, agnoscant et observent propriam laicorum dignitatem et responsabilitatem, humano ac fraterno spiritu et plena fiducia erga eos sese gerentes. Libenter autem sacerdotes laicis ea omnia relinquant quae ipsi agere possunt.[4]

23. [*Clericorum et sacerdotum praeparatio*]. In clericorum institutione pastorali suum locum habeat studium doctrinale ac practicum de laicorum parte in apostolatu Ecclesiae, de diversis formis et operis apostolatus laicorum deque propria sacerdotum in hac re munere.

Eadem norma servetur in formatione religiosorum, sive fratrum, sive sororum.

24. Sacerdotes ipsi hanc suam praeparationem indesinenter prosequantur, non solum per orationem et suae vitae spiritualis incrementum, sed etiam per constans studium doctrinae sacrae et condicionum temporum ac locorum in quibus cum laicis operari tenentur.

Ad hunc finem obtinendum commendandi sunt conventus sacerdotum, qui eorum aptam formationem quoad laicorum apostolatum promoveant ac mutuam collaborationem foveant.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De Laicis,* p. 761, n. 42; p. 784, nn. 1-5.

Sacerdotes ad apostolatum laicorum addicti, secundum regiones et secundum organizationes specificas, diversimode denominantur.

[2] Verbum hoc designat, in Constitutionis textibus, sive organizatas laicorum apostolatus Consociationes, sive organizationes apostolicas quae aut a Hierarchicae Auctoritatis inceptu procedunt, aut ab ipsis laicis originem et initium sumunt.

[3] Sacerdotes ad apostolatum laicorum et « secundum eorum indolem et aptitudinem » in hoc officio occupent. Cf. *Menti Nostrae,* 23-9-1950, A.A.S., 42 (1950), p. 660.

[4] Cf. Pius XII, ad II Congr. Ap. L., *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927: « Que l'autorité ecclésiastique applique ici aussi le principe général de l'aide subsidiaire ou complémentaire; que l'on confie au laïc les tâches qu'il peut accomplir, aussi bien ou même mieux que le prêtre, et que, dans les limites de sa fonction ou celles que trace le bien commun de l'Eglise, il puisse agir librement et exercer sa responsabilité ».

Caput IV

DE APOSTOLATU A SINGULIS EXERCENDO

25. [*Diversae formae apostolatus individualis*]. Semper in Ecclesia, inde ab ipsis exordiis,[1] christifideles, sub Spiritus Sancti motione, ad salutem non solum propriam sed et aliorum multimode sese impenderunt.

Hoc officium omnium et singulorum est baptizatorum, cuiusvis aetatis, sexus et conditionis.

Ad apostolatum speciatim a mulieribus exercitum quod attinet, S. Concilium commemorat momentum eius, huic nostrae aetati omnino peculiare: sive quia mulier omnia convictus humani saepta iure meritoque ingreditur, sive quia humanum consortium ipsum magis ac magis, in hodiernis praesertim adiunctis, animi ac ingenii dotibus indiget quibus mulieres, Creatore donante, speciali modo praeditae sunt.

Omnes quidem laicos vehementer hortatur ut apostolatus sensum sedulo

colant ac vita exprimant, tamquam primordialem universalemque exigentiam ipsius christianae professionis.

26. [*Omnia opera ad gloriam Domini*]. Hic spiritus apostolicus exigit ut suos quisque actus omnes et totam vitam suam dirigat ad maiorem Dei gloriam et ad consilium eius exsequendum: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum ».[2]

27. [*Orationis apostolatus*]. Orationis apostolatus, quo laudibus Deo gratis caritas Christi in mundo diffunditur ac Ecclesia aedificatur, et enixis precibus salus impetratur animarum, magni ab omnibus laicis habendus est et continuo exercendus non solum secum privatim sed et cum aliis, praesertim in cultu liturgico.

Suppliciter autem Deum orare ipsi numquam praetermittant pro suae operae, etiam familiaris, professionalis, socialis foecunditate, ac pro personis quibuscum vivunt et pro quibus spondere tenentur; nam sine gratiae caelestis rore in vanum laborant qui aedificant domum.[3]

Christifideles autem, quos divina gratia ad intimiorem orationem et contemplationem in mediis saeculi negotiis colendam invitat, huic gratiae humiliter et generoso animo cooperentur ad suam sanctificationem Ecclesiaeque aedificationem, minime praetermissa officiorum suorum fideli adimpletione.

28. [*Conformitas Christo patienti*]. Omnium et singulorum officium et privilegium est Christo patienti sese conformare, iuxta illud Apostoli: « semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris »,[4] et laborum aerumnarumque vitae humili tolerantia, necnon voluntariis poenitentiis, non modo offensae divinae Maiestatis placationem implorare ac suorum aliorumque peccatorum veniam deposcere, sed etiam huius saeculi hedonismo devicto, Crucis victoriam Christique regnum promovere.

Qui vero, gravibus afflicti infirmitatibus, omni frugiferae activitati impares mundi oculis videntur, meminerint quanti pretii sit quamque Ecclesiae aedificandae utilis, apostolatus ad quem vocati sunt, nempe, sedulo in gratia Dei viventes, passionem Christi in Corpore Eius Mystico perpetuare, suasque afflictiones in bonum spirituale omnium convertere, gaudentes cum Apostolo qui aiebat: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia ».[5]

29. [*Cohaerentis vitae lux*]. Christifideles consonantia vitae et fidei opera temporalia spiritu Evangelii imbuentes, tales seipsos praebeant ut Domini praeceptum impleatur: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est ».[6]

Praesertim autem fraternitatem sedulo colant ac caritate omnia opera sua vivificent ita ut Domini discipuli ex mutuo amore agnoscantur.[7]

Meminerint praesertim Christifideles cum non catholicis, etiamsi occasionaliter, conviventes, quam efficax fidei testimonium cotidie catholica sua

professione iis praestare valeant, et caveant « ne nomen Domini et doctrina blasphemetur »,[8] sua ipsorum agendi ratione.

30. [*Apostolatus verbi*]. Christifideles numquam negligant apostolatum verbi, quo in ordinario commercio inter homines, veritas et amor Dei dilatatur. Per verbum enim, cui Christus Incarnatione et vita sua vim sanctificativam contulit, Deus benedicitur, homines inter se communicant, fides annunciatur.[9]

31. [*Ecclesiam opibus sustentent*]. Laici christifideles, dum spiritualiter Ecclesiam aedificare contendunt, ne negligant etiam opibus suis eius Instituta, opera caritatis, missiones sustentare; nec gravamen sibi, sed privilegium existiment stipibus suis Ecclesiae necessitatibus subvenire. Suis enim oblationibus non solum grates Deo pro receptis beneficiis agent suaque bona quodammodo consecrabunt, sed et Ecclesiam ab alienis subsidiis independentem et in sua missione implenda magis liberam reddent.

32. [*Libertas et zelus*]. Recolant christifideles suam ipsorum navitatem apostolicam intra rigida schemata arctari non posse sed magna ex parte eorum liberae et prudenti electioni et industriae committi, quae ex caritate procedit sub Spiritus Sancti motione, in filiali devotione et collaboratione cum suis pastoribus.

Omnes proinde occasiones, suo prudenti iudicio suscipiant et excitent ut « omni modo... Christus annuncietur ».[10]

33. [*Apostolatus singulorum momentum in condicionibus particularis discriminis*]. Apostolatus singulorum particularis momenti exsistit in regionibus ut aiunt « dispersionis » (diaspora) catholicorum.

Maxima vero necessitate hic apostolatus urget grassante persecutione vel graviter impedita Ecclesiae libertate. Tunc enim laici vicem pro posse sacerdotum in vinculis supplentes, ipsam suam vitam in discrimen ponentes, eos qui circa se sunt christianam docent doctrinam, ad vitam religiosam ac mentem catholicam instituunt, ad sacramenta frequenter suscipienda pietatem praesertim eucharisticam colendam inducunt.[11]

Sacrosancti Concilii Patres, dum ex imo corde grates agunt Deo qui, nostris etiam temporibus, heroicae fortitudinis laicos in medio persecutionum suscitare non desinit, paterno affectu ac gratitudinis sensu complectuntur et ad ulteriores labores eos animant, qui, regionibus ubi Ecclesia in vinculis patitur, arduum suum explicant apostolatum ac constanter in catholica fidelitate erga Sanctam Sedem perseverant.

NOTAE

[1] Cf. *Rom.* 16, 1-13.

[2] *Col.* 3, 17; cf. *I Cor.* 10, 31. — Cf. S. Paen. De indulgentiis pro oblatione quotidiani laboris, 25-XI-1961, *A.A.S.,* 53 (1961), p. 827.

[3] Cf. *Ps.* 126, 1.

[4] *II Cor.* 4, 10.

[5] *Col.* 1, 24.
[6] *Mt.* 5, 16.
[7] Cf. *Io.* 13, 35. — Huius fraternitatis non parvipendendum opus est correptionis fraternae eleemosyna spiritualis, multoties a Sanctis Patribus et Ecclesiae traditionibus commendata, quam Dominus noster fieri iubet dicens: « Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum... » (*Mt.* 18, 15).
[8] *I Tim.* 6, 1.
[9] Cf. *Iac.* 3, 5-6. — Cf. infra Pars II, Tit. II, Cap. I, *De apostolatu verbi.*
[10] *Philip.* 1, 18.
[11] Cf. Pius XII, Sermo ad I Congr. Mund. Apost. Laicorum, 14-10-1951, *A.A.S.,* 38 (1951), p. 788.

Caput V

DE LAICIS QUI SPECIALI TITULO IN SERVITIUM ECCLESIAE ADDICUNTUR

34. [*Factum ipsum*]. Peculiari materna cura Ecclesia complectitur laicos, sive caelibes, sive coniugatos, qui seipsos Hierarchiae exhibent suam professionalem competentiam offerendo, sive in perpetuum, sive ad tempus, in servitium institutionum et operum Ecclesiae, verbi gratia locorum divini cultus, educationis, curae infirmorum, servitii socialis.

Magni autem gaudii Ecclesiae est quod nostris temporibus, crescente in dies numero, laici sese praebent in servitium Associationum et operum quae magis directe apostolatui addicuntur, sive intra fines suae nationis, sive in ambitu internationali, sive praesertim in missionibus ad extra.

35. [*Eorum vita spiritualis et praeparatio*]. Qui hac ratione sese Ecclesiae devovent, virtutibus christianis praesertim in vita sua domestica et professione excellant, spiritu caritatis, paupertatis, humilitatis, sui abnegatione ac zelo apostolico eluceant.

Curam specialem adhibeant in scientia caeterisque qualitatibus acquirendis quae suis muneribus rite obeundis respondent. Bonum operis cui addicuntur praeferant privato commodo vel nationis vel organizationis ad quam forte pertineant. Sensum universalem Ecclesiae semper devote colant.

36. [*Adsistentia eis debita*]. Locorum Ordinarii, grato animo, hos laicos recipiant, eorum conditionem iuridicam convenienter definiant et paterna sollicitudine curent, ne unquam careant necessaria institutione, spirituali solamine ac incitamento, et mediis pro honesta sui et familiae sustentatione, iuxta requisita iustitiae, aequitatis et caritatis.[1]

Clerus quidem et populus christianus observantia ac favore eos prosequantur.

NOTA

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, Pars II, p. 569.

CAPUT VI
DE FAMILIA UT SUBIECTO APOSTOLATUS

PRAEAMBULUM

Per matrimonium constituitur familia christiana, quae inde subiectum apostolatus efficitur, immo et eiusdem apostolatus pro omnibus membris suis schola.

Apostolica autem haec societatis familiaris actio peculiare hodie momentum obtinet, cum efficacia familiae in ipsam Ecclesiam aedificandam plenius agnoscatur.

Concilii Patres tamen minime latet quam difficile familiae saepe sit huic praestantissimo muneri satisfacere, tum ob christianae institutionis, cognitionis atque debitae aestimationis defectum, tum, in pluribus locis, ob infaustas oeconomicarum ac socialium rerum condiciones, in quibus permultae familiae vitam degere debent.

Ideo Sacrosanctum Concilium omnes ad quos pertinet invitat ad impigram navandam operam ut familiae facultas sit apte congruenterque suis perfungi officiis.[1]

37. [*Familia ut subiectum apostolatus*]. Regni Christi propagatio postulat ut ipsae familiae non solum apostolicae actionis Ecclesiae bona recipiant, sed etiam, ratione sua propria, eiusdem apostolatus adiutrices et redemptionis instrumenta fiant.

38. [*Matrimonium fons apostolatus familiaris*]. Coniugalis societas, ad propagationem generis humani instituta, per matrimonii sacramentum qua talis Ecclesiae inseritur et de plenitudine eius vitae vivit, propria ratione ad aedificationem Corporis Christi ordinatur et gratiis ad hoc congruentibus luculenter ditatur.

Amoris et unionis Christi cum Ecclesia, iam ab initio per unionem viri et mulieris praefiguratae, vivam imaginem in se coram Deo et hominibus matrimonium christianum praebet, quod, testante Apostolo, est « sacramentum magnum » in Christo et in Ecclesia.[2]

39. [*Mutuus coniugum apostolatus*]. In ipsa celebratione matrimonii coniuges sunt invicem gratiae ministri.

Vi ipsius sacramenti uterque coniux munus et officium habet ut erga alterum gratiae sit cooperator, necnon caritatis Christi et Ecclesiae testis. Per utriusque sanctificationem eorumque spiritualem unionem, maior Dei gloria et Ecclesiae aedificatio obtinentur.

Ad mutuam conformationem, ad assiduum se invicem perficiendi studium[3] coniuges sese impendant praesertim propria in sacrario familiae munera adimplendo.

Quod munus et officium pro alterutro peculiarem gravitatem induit, si quando infeliciter alter ex coniugibus alienus sit ab Ecclesia vel a fide vel a christianae vitae usu.[4]

40. [*Coniugum munus apostolicum in familia*]. Coniuges ad Corporis Mystici aedificationem cooperantur per vitae humanae propagationem secundum Dei praescriptiones sanctissimas, firmissimas, inviolatas,[5] per filiorum sollicitam praesentationem ad Baptismum, humanam christianamque institutionem, in primis ipsis tradendo Verbum Dei et eos ad spiritum et opera apostolatus efformando.

Parentum est etiam filios educandos adiuvare ut vocem, qua Deus eos appellat, attente inquirant et libenter excipiant, sive Ipse eos ad novam familiam efformandam, sive ad Christi servitium in vita sacerdotali vel in statu evangelicae perfectionis, sive ad vitam caelibem in mundo degendam vocet. Ad filiorum formationem apostolicis iuvenum consociationibus eorum adhaesionem foveant.

41. [*Familiae totius ad apostolatum participatio*]. Non solum coniuges, sed tota christiana familia missioni Ecclesiae inservit et eius apostolatus est particeps.

Familiae christianae communio et proinde eius apostolica efficacia quam plurimum fovetur per eius membrorum vitam spiritualem et coniunctam orationem, qua vita familiaris magis magisque particeps fit in cultu Corporis Mystici orantis et sese Deo offerentis.

Familiares omnes conari oportet quae Christi et Ecclesiae sunt uno animo inquirere, diligere et unumquemque pro posse in communitatis domesticae bonum et in eius apostolicam actionem cooperari.

42. [*Apostolatus familiae ambitus*]. Bonum familiae apostolica pietate colendum complectatur omnes consanguineos, eos praesertim qui in senectute veneranda vitam suam perficiunt, necnon affines atque vicinos.

Speciali curae et providentiae adiutrices et adiutores domestici commissi sunt. Ipsi insuper vitae spiritualis et apostolatus familiae, pro adiunctis, participes fiant.

Inter diversas apostolatus familiaris formas haec eminet: effusa caritate advenas et hospites, praesertim temporalibus et spiritualibus bonis carentes, tecto recipere, sicque Christi praesentiam in hac « Ecclesiae cellula » quae est domus christiana apertam reddere.

Urgente amplius caritate, coniugalis et familiaris societatis apostolica operositas e domo in omnem ambitum suae vitae ac humanae consortionis diffunditur. Peculiari modo apta est societas coniugalis et familiaris ad quasdam apostolicas exercendas operas, ut in primis: sponsos ad matrimonium praeparare, coniugibus et familiis in angustiis moralibus vel materialibus versantibus, vel iis qui familia eiusque bonis carent, auxilium ferre.

43. [*Peculiare servitium Ecclesiae*]. Laude dignae sunt familiae quae propius Ecclesiae deserviunt, uti in regionibus in quibus peculiares necessitates Ecclesiam premunt.[6]

44. [*Familiarum coetus*]. Ad ampliorem apostolatum exercendum, familiae in coetibus opportune coadunantur, qui earum formationem promovent, cum Ecclesiae missione cooperantur, influxum christianum etiam in res

temporales fovent, praesertim in consociationibus familiaribus neutris, et ipsius familiae iura defendunt. Si res ferant, ad hos fines attingendos, etiam cum non catholicis inceptis commercium inibunt.

45. [*De quibusdam adiunctis in quibus apostolatus per familiam peculiare momentum attingit*]. In regionibus in quibus prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia adhuc in suis primordiis exsistit, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii Novae Legis excellentiam ostendentes, maximi momenti testimonium coram mundo Christo afferunt.

Idem dicendum de regionibus in quibus Ecclesia in gravi aliquo discrimine versatur.

Ad regiones quod attinet, in quibus propter persecutionem actio pastoralis impeditur institutionesque ecclesiasticae auferuntur vel deformantur, familiae christianae manent ultima Corporis Mystici munimenta. Illic enim, quum alia Sacramenta non iam possint conferri, parentes, tamquam Traditionis et Ecclesiae tramites, liberis provident essentialia salutis media: baptismum et fidei traditionem. Praeterea, per Matrimonii sacramentum novae familiae constituuntur, quae Ecclesiae communitatem continuent. Ita, in illis familiis, quasi in catacumbali perfugio, Ecclesia vitam degit circumscriptam sane, sed pulcherrimorum sanctitatis fructuum capacem, in qua Christus novum gratiae vernale praeparat tempus.

NOTAE

[1] Cf. infra Partem II, Tit. II, cap. II, et Partem IV, Tit. II, cap. I.

[2] *Eph.* 5, 32. — Cf. *Catech. Rom.*, lib. II, Cap. VIII, q. 24; *Casti Connubii, A.A.S.*, 22 (1930), pp. 539; 548.

[3] Cf. *Catech. Rom.*, l. c., q. 13; *Casti Connubii, A.A.S.*, 22 (1930), pp. 539-592.

[4] Cf. *I Cor.* 7, 13-14; *I Petr.* 3, 1 sq.

[5] Cf. *Casti Connubii*, l. c., pp. 553-554; *Mater et Magistra, A.A.S.*, 53 (1961), p. 447.

[6] Cf. Enc. *Evangelii Praecones, A.A.S.*, 43 (1951), p. 514.

Caput VII

DE CONSOCIATIVIS APOSTOLATUS FORMIS

Praeambulum

[*Caritate moti christifideles inter se consociantur*]

Caritas Christi, qua Sponsa zelo Dei zelat, urget Ecclesiam inde ab exordiis ut omnia media adhibeat et ordinet, quae apta sint ad Evangelium propagandum. Unde christifideles, eadem caritate moti, inter se consociantur ad

mutuam aedificationem, ad ostensionem et dilatationem caritatis et regni Christi et Dei,[1] ad veritatis et vitae christianae defensionem, vel ad solvendas quaestiones quae apostolatu consociativo indigent.

[*Tempora praeterita*]

Statim ac aliqua christianorum communitas quemdam gradum vitalis vigoris obtinere incipit, laicorum apostolatus sub forma associata mox exsurgit. Praeclara huius rei testimonia sunt benemerentia illa opificum et artificum sodalicia Mediae Aetatis, necnon aeque foecundae Confraternitates, Tertii Ordines, Congregationes Mariales et aliae consociationes quae iuxta temporum exigentias in Ecclesia oriri non desinunt.

[*Tempora nostra*]

Nostris hisce temporibus, civilitas in nonnullis regionibus et in multis suis aspectibus christiano afflatu destituta videtur, impulsus ad socialem organizationem in dies augentur praesertim scientia et technica instimulantibus; [2] alia vero ex parte profundius animadvertunt christifideles necessitatem sese associandi ad Corporis Christi aedificationem: caritas Christi postulat ergo ut diligentius organizationes curentur quae nova praebeant instrumenta ad Evangelii praeconium annunciandum, ad christianam vitae formam affirmandam et defendendam, praesertim a perniciosis pressibus collectivis, immo ad ambitum vitae transformandum, ad inventa huius temporis in servitium Christi et honorem Dei ordinanda.[3]

[*Formae variae*]

Magna invenitur varietas inter apostolatus formas iuxta historicam earum originem, nationum indolem, temporum ac locorum adiuncta, et praesertim iuxta diversos fines apostolicos, quos laici ipsi sibi proposuerunt vel eis ecclesiastica indicaverit Hierarchia.

46. [*Relationes cum Hierarchia*]. Fidelium associationes, sive distincta lineamenta ipsius Ecclesiae, quae in dioeceses et paroecias dividitur, in sua ordinatione sequantur, sive alias structuras iuxta suum finem assumant, debitas cum Ecclesiastica Auctoritate foveant relationes.

47. [*Associationes apostolatus aestimentur*]. Associationes apostolatus, sive ab ipsis laicis conditae, sive ab auctoritate ecclesiastica probatae vel institutae, magni habendae sunt, praesertim eae quas Ecclesia laudaverit vel commendaverit.

Associationes vero, quas ecclesiastica auctoritas tamquam obligatorie in dioecesi vel paroecia fundandas decreverit, a christifidelibus speciali modo aestimandae et promovendae sunt. Immo ipsi curent earum finem et spiritum agnoscere atque attente perpendant utrum ad ipsas a Deo vocentur.

48. [*Libertas et unitas*]. Patet autem hic vigere illam libertatis legem quae fundatur in varietate donationum Dei.[4] Ipse enim dividit singulis prout

vult:[5] non licet ergo uniformitatem sub specie unitatis statuere et spiritus cohibere.

Sub alio vero respectu, quantumvis multiplicitas formarum apostolatus consociati signum sit foecunditatis Ecclesiae, vitanda tamen est virium dispersio.[6]

49. [*Unde oriantur apostolatus consociati anima et vis*]. Noverint insuper christifideles organizationem, etsi efficaciam adaugeat apostolatus, totam suam vim apostolicam depromere ex fide quae per caritatem operatur.[7]

50. [*Cohaerentia et fidelitas*]. Alicui formae apostolatus organizati nomen dantes, eius fines, spiritum, rationem et methodum recte cognoscant, obligationes, quas libenter suscipiunt, pro posse fideliter adimpleant, in aedificationem totius Ecclesiae et sui ipsius sanctificationem.

NOTAE

[1] Cf. *Eph.* 5, 5.

[2] Cf. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 43 (1961), p. 417.

[3] « Pour primordiale qu'elle soit, la conversion individuelle... ne saurait suffire... Nous vous exhortons, chers Fils et Vénérables Frères à susciter parmi les fidèles commis à vos soins un effort collectif de renouveau chrétien de la société... », Litt. Enc. *Le pèlerinage de Lourdes,* 2-7-1957, *A.A.S.,* 49 (1957), p. 615.

[4] Cf. *Rom.* 12, 3 et 6.

[5] Cf. *I Cor.* 12, 11.

[6] « Illud vero etiam atque etiam commendandum, ut initae consociationes non modo felici vivant concordia, verum aptissime ad unum copulentur: sodalicia nempe paroecialia, dioecesana consiliumque nationale dirigens, omnia congruenter vincta atque contexta sunto. Ut membra scilicet corporis unius, ita invicti exercitus cohortes. Virium compactio non dissipatio; non fortuitus quidam operum concursus, sed ordinata ad commune bonum conspiratio, non singularum partium sponte egerminantis florentisque vitae compressio, sed progrediens artuum viriumque auctus, ita ut decor et venustas cum apta membrorum compositione in toto corpore eniteant ». Pius XI, *Quamvis Nostra, A.A.S.,* 28, 30-4-1936, pp. 160-161; Ad Em.mum Sebastianum Leme de Silveira Cintra, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, atque ad ceteros RR. PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos Brasiliae De Actione Catholica aptius provehenda.

[7] *Gal.* 5, 6.

Caput VIII

DE MUTUA COORDINATIONE [1]

51. [*Relationes sponte exoriuntur*]. Relationes quaedam sponte exoriuntur inter diversas apostolatus associationes quae eandem habent originem vel indolem vel affinibus utuntur methodis aut in eodem campo suam operam exerceant.

Inter illas quae aeque tendunt ad salutem animarum strictiores ad invi-

cem relationes desiderantur, latiores tamen inter istas et illas quae tendunt ad apostolatum socialem.

52. [*Necessitas coordinationis*]. Ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » [2] promovendam in multiplici organizationum varietate, ut fines communes maxima efficacia obtineantur, perniciosae et inutiles aemulationes vitentur caritasque splendeat fraternitatis, apta exigitur mutua coordinatio.

Quae autem coordinatio, servatis uniuscuiusque organizationis indole ac cuique propria ad Hierarchiam ecclesiasticam relatione, non solum omnibus occasiones praebet conveniendi et mutuam notitiam ac familiaritatem fovendi, sed etiam promovet communium apostolatus ac formationis quaestionum examen, necnon expeditiorem ac efficaciorem modum quo auctoritatis ecclesiasticae praescripta vel consilia corde uno ad effectum deducantur.

Quod maxime convenit, cum peculiaris actio pastoralis ab Ordinario promota ad aliquem finem maioris momenti organice attingendum requirit coordinationem et harmoniam apostolicae operositatis cleri, sive saecularis sive regularis, religiosorum omnium et fidelium totius dioeceseos.

53. [*Instrumenta mutuae coordinationis*]. Hierarchiae sollicitudini commendatur opportunorum constitutio centrorum in ambitu paroeciali, dioecesano, nationali ac Ecclesiae universalis, ut variae associationes et incepta apostolica convenire et inter se communicare possint, et, salva uniuscuiusque indole et autonomia, operas suas mutuo coordinare.

54. In qualibet natione, Episcopi ut omnes apostolatus laicorum operae mutuo coordinentur ultro studeant, institutis etiam ad rem una vel pluribus commissionibus: ad quas sacerdotes quoque vel laici vocari possunt.[3]

Sapienti Summi Pontificis iudicio Sacrosanctum Concilium submittit, utrum expediat precibus nonnullorum Episcoporum accedere, qui optant ut aliqua Sacra Romana Congregatio consulat apostolatui laicorum, praesertim quoad foederationes aliaque instituta catholica internationalia.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De Laicis,* p. 760, n. 34; p. 768, nn. 18-20; p. 779, n. 34; p. 787, n. 2.

[2] *Eph.* 4, 3.

[3] Cf. Benedictus Pp. XIV, *De Synodo Dioecesana,* L. III, Cap. IX, N. VII. — *Acta et Documenta...,* p. 760, n. 38.

CAPUT IX
DE SPIRITU APOSTOLICO

55. [*Sensus Christi; sensus humanae condicionis*]. Ut laicus evadat homo vere apostolicus in Ecclesia Sancta, ipsius animum sensu Dei, qui est Dominus et Pater omnium, imbui oportet; pariterque sensu Christi, cuius operi redemptivo omnes cooperari tenentur, per Quem omnia et in Quem omnia creata sunt; sensu autem Spiritus qui est anima Ecclesiae, ad quam ipse laicus tamquam membrum vivum pertinet et ad quam omnes homines vocantur.

Colat simul sensum rerum creatarum humanaeque historiae, quae omnia ad gloriam Dei evehenda sunt; peculiari autem modo ratio habeatur personarum et condicionum familiarium, professionalium, civilium, in quibus, ut laicus, vivit et operari tenetur.

56. [*Fides, spes, caritas*]. Christifideles, apostolatui Ecclesiae participantes, satagant virtutibus theologicis regi, nempe:

in lumine fidei secundum Deum omnia iudicare, et aestimare, peculiari vero modo homines ac res et eventus sui temporis et suae vitae quotidianae;

spe corroborari, quae eorum laborem continuo sustineat et stimulet certa exspectatione gratiae Dei et fructuum suo tempore colligendorum, « exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi »; [1]

in caritate Dei vivere, qua, Patrem in omnibus et super omnia et omnes homines tamquam fratres in Christo diligentes, laici cupiant impendi et superimpendi pro corporum et animarum salute, necnon pro totius mundi sanctificatione.[2]

57. [*Fidelis servus et prudens*]. Virtutibus theologicis ditatus, qui Ecclesiae apostolatui incumbit, individualismo minime cedens, semper erga alios debitorem sese existimet; proinde, numquam quae sua sunt quaerens,[3] animi deditione et simul discretione paratus sit deservire:

suam ipsius industriam exerceat simulque noverit cum fratribus collaborare;

in veritate et amore Christi fidelis maneat, simulque prudens in actione adiunctis aptanda in quibus suam vitam degit.[4]

58. Amor ipse christianus et efficacitas apostolatus postulant ut colantur quam maxime animi quoque ornamenta quae a natura requiruntur, et etiam a non-credentibus maximi momenti habentur, ut sunt probitas, sinceritas, fortitudo, humanitas, sine quibus nec vita christiana, nec efficax testimonium caritatis consistere potest.

59. [*Actio veluti redundantia interioris communionis cum Deo*]. Actio in servitium Ecclesiae est veluti redundantia interioris communionis cum Deo in caritate.

Recolant christifideles omnes actionem hanc proinde illuminari, accendi, foveri per continuam, crescentem communionem cum Christo Domino; qui ignem venit mittere in terram.[5] Attingitur hoc per participationem ad vitam Ecclesiae, praesertim per liturgiam, per Verbi Dei auditum, per spiritualem lectionem, in primis Scripturae Sanctae, per orationem et meditationem, per exercitium fraternae caritatis et fidelem adimpletionem officiorum uniuscuiusque status, per filialem devotionem in Virginem Matrem.

Rectitudo vitae et operositatis christianae praesertim per frequentem accessum ad Sacramentum Poenitentiae servetur et renovetur.

Quam maxime cavendum est ne forte inordinata rerum externarum instantia fideles a vita interiore sese avertant, gravi cum periculo infecunditatis sui apostolatus necnon cum detrimento suae ipsius animae. Quo vita interior profundius renovetur, peculiariter Exercitia Spiritualia commendantur.

60. [*Participatio ad Sacram Liturgiam*]. Super omnia autem christifideles mente et corde Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi teneant veluti praestantissimum vitae christianae et apostolatus fontem, simulque metam ad quam ipsi tendant et alios ducere studeant.

Ex ipsa enim huius divini Mysterii celebratione vis amoris Christi promanat ad laudem Dei et ad totius mundi salutem.

Proinde haec Sacrosancta Synodus iterum laicos instantissime invitat ut toto corde huic divino convivio in communitate christiana participent.

NOTAE

[1] *Tit.* 2, 13.
[2] Cf. *II Cor.* 12, 15.
[3] Cf. *I Cor.* 13, 5; *Io.* 8, 50.
[4] Cf. *Mt.* 24, 45.
[5] Cf. *Luc.* 12, 49.

Caput X

DE LAICORUM EDUCATIONE ET PRAEPARATIONE AD APOSTOLATUM

Praeambulum

Educatio christiana laicorum formationem expostulat ad apostolatum, utpote ad essentiam vitae christianae pertinentem.

Ecclesiae officium est, ex missione « docendi omnes gentes »[1] divinitus accepta, hanc educationem apostolicam impertiendi. Hodierna vero adiuncta undique Ecclesiam premunt ad officii huius condiciones ac methodos diligenter denuo perpendendas, ad eiusque iterum perfunctionem pro viribus urgendam.

Haud pauci inveniuntur quorum christiana educatio, circumvadentis individualismi causa, apostolico careat afflatu. Sunt nempe qui putent se sibi soli vivere posse propriamque animam salvare, proximorum salute neglecta, Domini praecepto atque exemplo posthabitis, qui ait: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit et nos debemus pro fratribus animas ponere ».[2] Simulque mos invaluit christianam vitam ac religiosa officia a privatis ac publicis muneribus prorsus seiungendi separandaque censendi.

Exinde oritur necessitas recte ordinatam ac sedulam educationem Ecclesiae membris impertiendi, eo quoque fine ut laici iis respondere possint gratiis quibus Divina Providentia ad Regnum Dei diffundendum eos ditavit.

Huiusmodi educatio hoc intendit: ut unusquisque laicus, vocationis et participationis ad Ecclesiae apostolatum conscius, hoc officium, pro adiunctis, reapse impleat.

61. [*Qui et quando educandi sint ad apostolatum*]. Educatio haec ad apostolatum incipere debet a prima christiana institutione puerorum: ipsi enim inde ab usu rationis sunt in Ecclesia responsabiles.

Peculiari autem modo curandum est ut ad apostolatum praeparentur adulescentes et iuvenes, ita ut illo spiritu eorum imbuatur ratio cogitandi et vivendi, quae radicitus hac vitae aetate efformatur.

Educatio vero ad apostolatum numquam intermittenda erit, aptata quidem uniuscuiusque aetati vel condicioni, speciatim autem quando quis novum aliquod momentum vitae ingreditur vel novam responsabilitatem assumit: uti tempore praeparationis ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum et ad Sacram Synaxim primo adeundam; occasione ascensus ad studia ulteriora aut initio vitae laboris et professionis vel praesertim tempore novae familiae instituendae.

Peculiari nota signanda est necessitas educationis ad sensum et opera apostolatus pro laicis qui Ecclesiae inceptis et associationibus nomen dant, praecipue si directionis munus in eis susceperint vel suscepturi sint.

62. [*Quibus officium incumbat*]. Iis, ad quos spectat educatio christiana, ex ipsa natura rerum officium quoque institutionis ad apostolatum incumbit; inter quos praecipuum locum obtinent parentes vel tutores, sacerdotes, catechistae, magistri. Valde laudandae sunt consociationes quae, simul cum operositate apostolica, hunc finem educativum intendunt, praedictorum actionem complendo vel supplendo.

63. [*... Parentibus*]. Parentes, in primis, cordi habebunt filios suos adhuc infantes, sed iam in vita spirituali progredientes, disponere ad agnoscendum amorem Dei Patris et Christi erga omnes homines; gradatim in eorum animos insinuare sollicitudinem circa necessitates sive materiales sive spirituales proximi et desiderium excitare sese pro aliis impendendi.

Singula familiae membra eundem sensum christianum et catholicum colant, ita ut familia tota et eius communis vita tirocinium evadat apostolatus.

64. [... *Scholis*]. Item ad scholam catholicam cuiuscumque ordinis pertinet fovere in iuvenibus christianam mundi et vitae rationem speciali modo sensum catholicum et apostolicum.

Quando autem schola catholica desit, eorum erit magistrorum et discipulorum, qui sensu christiano et catholico imbuti sunt, spiritus christiani, debita servata discretione erga alios qui aliter sentiant, testimonium reddere.

65. [... *Sacerdotibus*]. Sacerdotes autem prae oculis habeant, in catechesi et ministerio verbi, in directione spirituali et administratione sacramenti Poenitentiae, necessitatem educationis laicorum ad apostolatum, praesertim ii quibus officium demandatum est curandi associationes laicorum, sive earum peculiaris finis sit apostolatus, sive autem cultus, oratio, formatio religiosa vel alius.

66. [... *Paroeciis*]. Paroecia, in quantum fidei, precum et actuosae caritatis communitas, est non solum centrum et subiectum, sed etiam schola, sane non unica, servitii divini, in qua cuiuscumque aetatis laici ad apostolatum educantur. Talis autem educatio non ad solam paroeciam intendat sed universam apostolatus extensionem, quae penitus ipsius limites transcendit, complectatur.

67. [... *Organizationibus*]. Coetus pariter laicorum, sive stricte apostolatum sive alios fines supernaturales intendant, quique, pro modulo suo, hanc formationem apostolicam curent.

68. [... *Subiecto ipso*]. Opus denique educationis potissimum est ipsius educandi laici qui, actioni Dei, per educatores agentis, docibilem se praebere debet. Quo magis autem aetas crescit et animus evolvitur, eo magis uniuscuiusque erit detegere et curare semina quae Deus in sua anima seminavit, propriam christianam personam maturare, ut praesto sit Christo Domino eiusque Ecclesiae ultro ministrare.

69. [*Apta educationis methodus*]. Ut institutio ad apostolatum efficacior reddatur, et exigentiis nostrae aetatis perfectius consonet, explicita sit et apta methodo tradatur oportet.

70. [... *Institutio doctrinalis*]. Cum missio christiana hoc intendat ut omnes homines Deum cognoscant et diligant, educatio laicorum ad apostolatum exigit ut progrediantur in scientia Dei, in sapida cognitione Christi eiusque Ecclesiae.

Ad hoc oportet ut ipsi, praecipue ii qui in associationibus et inceptis apostolatus coadunantur, congrua propositione doctrinae christianae, prout diversa aetas vel capacitas vel praevia praeparatio postulat, instituantur; in eorum formatione praesens speciatim habeatur necessitas laicos instituendi in doctrina sociali Ecclesiae et in cognitione ingruentium quaestionum quae ad eius vitam et ad nostram aetatem spectant.[3]

71. [... *Cognitio et studium de rerum adiunctis*]. Maximi momenti est ut in educatione et praeparatione ad apostolatum laici conscii fiant adiunctorum ambientium in quibus vitam degunt et operantur ac discant de eis christiana ratione iudicare, in iisque sese digne gerere.

72. [... *Educatio per actionem ipsam*]. Gradatim quidem et discrete, sed inde ab initio suae formationis, immittantur laici et ipsi libenter ingrediantur in operosum servitium Ecclesiae, memores etiam per actionem educari ac actionem ad ipsamque vitam spiritualem plenius efformari.

73. [... *Sessiones et scholae*]. Ut praeparatio adaequate respondeat varietati condicionum vitae laicorum et determinatis uniuscuiusque operis finibus, provideri etiam poterit ordinariis sessionibus associationum necnon specialibus conventibus et scholis.

74. [*Ubi sacerdotes quacumque ex causa desunt*]. Educatio ad apostolatum peculiarem urgentiam induit in regionibus in quibus sacerdotes quacumque ex causa desunt. Magni momenti est ut multi apti laici ad eos substituendos, prout fas est, exquirantur et opportune praeparentur.

75. [*Praeparatio proxima*]. Priusquam operas maioris momenti laici adeant, eorum remota praeparatio proxima compleatur oportet, singulorum et coetuum, studio et meditatione ac propria personali et communi oratione.[4]

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-8 aprilis 1962.

NOTAE

[1] *Math.* 28, 18.
[2] *I Io.* 2, 16.
[3] Cf. infra Pars IV, Tit. I, Cap. IV.
[4] Cf. *Iac.* 1, 17.

Pars II

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE AD REGNUM CHRISTI DIRECTE PROVEHENDUM

Prooemium

[*Tres apostolatus laicorum aspectus*]

Generalioribus notis de Apostolatu Laicorum delibatis, Sacrosancta Synodus rationes praecipuas declarat, quibus participatio laicorum missioni Ecclesiae ad effectum perducitur: id est collaboratio ad operam Ecclesiae magis directe ad opus evangelizationis et sanctificationis pertinentem, actio caritativa, actio in ordine temporali christiano afflatu perfusa.

[*Progressio in eorum connexione et distinctione*]

Hi tres diversi aspectus ita in unitate vitae christianae copulantur, ut non semper facile ab invicem distingui possint. Revera, tempore renovationis vitae catholicae saeculo praeterito, una simul devinciebantur et quandoque confundebantur in inceptis diversarum organizationum quae ad christiana principia affirmanda et defendenda ordinatae erant.

Auctis tamen in dies, in communitate christiana, et specializationis instantia et conscientia de diversitate finium ac rationum agendi, clarius munera distinguebantur inter diversa incepta et consociationes, quae distinctio a Summis Pontificibus, praesertim inde a Benedicto Papa XV, probata est.[1]

Hierarchia immo, dum laicos hortabatur, ut in rebus mere humanis propria industria et inceptu, et qua par est autonomia, operarentur, simul sub pleniore sua responsabilitate quasdam apostolatus formas sibi assumebat, uti Actionem Catholicam et organizationes huic similes, quae magis directe ad evangelizationis et sanctificationis opus sese impendunt.

[*Proficuae immutationes*]

Eodem tempore et huius progressionis causa, aliae in operis apostolatus laicorum proficuae fiebant immutationes; praevalens defendendae fidei propositum in desiderium efficacis penetrationis convertebatur; necessitas et exercitium vitae interioris instabant et progrediebantur ac simul adauctum desiderium sese impendendi ad principia christiana in res mere humanas afferenda; laicorum in apostolatu adlaborantium nexus arctior cum propriis pastoribus efficiebatur; laici ipsi in Ecclesia tamquam in domo propria se felices senserunt, crescente in ipsis conscientia se membra viva Ecclesiae esse, una cum desiderio plenioris participationis non ad actionem tantum, sed ad universam vitam Ecclesiae praesertim liturgicam.

Insuper apostolatus necessitudines ad alias etiam institutiones diffundebantur, quae ad hunc proprie finem ortae non erant; simulque in universa communitate christiana vitae interioris desiderium erumpebat.

[*Animorum unitas in apostolatu*]

Sacrosanctum Concilium igitur ad illas imprimis apostolatus formas mentem intendit, quae magis directe et penitus in promptu sunt, ut ubique effundantur summa bona, quae Christus Ecclesiae suae concredidit.

At dum distinctionis necessitatem revocat, laetanter percipit christifideles plures generose diversis in campis opus conferre; hortatur tamen omnes, in quibusvis adlaborent saeptis (religioso, caritativo, sociali), ut uno apostolatus animo sese compleant ac fraterne ad ultimum apostolatus finem, ad gloriam scilicet Dei et mundi salutem, indesinenter conspirent.

NOTA

[1] Sermo in Festo Nativitatis Domini 1918 et Litterae Circulares Consociationis cui titulus « Unione Popolare Italiana », mense ianuario 1919, quae eundem sermonem ad effectum deducebat.

TITULUS I
DE FORMIS QUIBUS HIC APOSTOLATUS ORGANIZATUR

CAPUT I
DE APOSTOLATU LAICORUM IN VARIIS ECCLESIAE COMMUNITATIBUS

PRAEAMBULUM

[*Apostolatus laicorum in intima communione cum Ecclesia exercetur*]

Quamquam plura apostolatus opera a christifidelibus exercentur, efficacitatem tamen mutuantur ab Ecclesiae vigore in cuius communione virescunt, quatenus eidem inseruntur pleneque conformantur, « ut non sit schisma in corpore sed idipsum pro invicem sint membra ».[1]

Unusquisque fidelium ad quamdam Ecclesiae partem pertinet, in determinato loco « peregrinantem », cuius fons et apostolatus est collegium Episcoporum sub Petro Ecclesiae Dei vitam regentium.

Sacrosanctum proinde Concilium laicos omnes enixe hortatur ut, excedentes individualisticam mentem vel quidquid particularismum — qui dicitur — sapit, conscii fiant sui muneris et officii in communitate ecclesiali.

1. [*In paroeciis*]. Paroecia est communitas ecclesialis in qua laici christifideles immediate inseruntur et per quam parocho, ut proximo et ordinario magistro et sacerdoti, adhaerentes, cum suo Episcopo uniuntur cuius sacerdotes cooperatores sunt.

In paroecia, circa altare Sacrificii, fideles omnes coadunantur, in Christo communicantes citra omnes divisiones et differentias quibus in vita quotidiana distinguuntur; in ipsa communitate paroeciali christifideles ad cultum liturgicum participant, suam vitam sacramentalem vivunt, verbum Dei audiunt et caritatem christianam exercent.

Omnes ergo, etiamsi ad opera pertineant a religiosis communitatibus dependentia, maximi faciant huius beneficae institutionis curaeque animarum praestitae, sollicite participantes non solum vitae spirituali paroeciae, sed eius multiplicibus operis apostolicis, tam ad intra quam ad extra, ita ut paroecia ipsa ut communitas missionaria revera sese gerat.

2. Grato animo cooperentur cum suis pastoribus, libenter assumentes suam quisque partem in inceptis apostolicis, praesertim vero in doctrina christiana tradenda, in operibus caritatis vel educationis vel honesti oblectamenti promovendis, in prelo caeterisque instrumentis communicationis socialis provehendis et dirigendis.

3. [*Circa eos qui longe a paroeciae vita versantur*]. Laicorum opera quam maxime necessaria est ad commercium ineundum inter pastorem et eos

qui forte negligentia sua vel praeiudiciorum vi longe a paroeciae vita versantur. Prudentia et caritate praediti laici facile possunt ad eos fraterne accedere, eos certiores reddere de iis quae in paroecia aguntur, eis persuadere ut in eis debitam partem suscipiant, sicque paulatim eos adducere ad pastorem et ad intensius vitae christianae exercitium.

4. [*Fraterna hospitalitas*]. Paroecialis communitas, sicut familia christiana, sensu hospitalis acceptionis praedita sit, ut eo accedentes solatium inveniant et germanum familiae calorem, secundum mentem Apostoli dicentis: « Caritas fraternitatis maneat in vobis; et hospitalitatem nolite oblivisci... ».[2] Quod si fiat, vultum vere christianum induet paroecialis familia, dicente Domino: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[3]

5. [*Sensum colant dioecesanum*]. Cum vero paroecia cellula tantum sit principalioris illius corporis, dioecesis scilicet, laici operam suam producant ultra fines paroeciae et maiori huius Ecclesiae parti deserviant. Filiali obsequio ac confidentia cooperentur cum legitimo suo pastore, Episcopo, quem Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,[4] praesertim cum ad bonum totius dioecesis vel normas directivas proponit vel incepta promovet. Attendant illud Sancti Cypriani: « Scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit in Ecclesia non esse ».[5] Sensum colant dioecesanum, honorent huius sui territorii vel coetus templa praeclariora, religiosas traditiones, munera saepe specifica in ambitu apostolatus universalis.

6. [*Ultra fines dioeceseos et in Ecclesia universali*]. Sciant apostolicas operas paroeciae aut dioeceseos finibus minime circumscribi, ac praesertim in nostri temporis condicionibus, incepta apostolica interparoecialia, interdioecesana, nationalia et internationalia, a Hierarchia instituta vel commendata, suscipi, quibus laici omnes, pro modulo quisque suo, collaborare satagant, quippe qui ad bonum commune Ecclesiae procurandum vocati sint, iuxta verba Apostoli: « Crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate ».[6]

Res et condiciones Ecclesiae ubique gentium diffusae prae oculis et in corde semper habeant, intentiones ac principia directiva apostolatus, Supremi praesertim Pastoris, Vicarii Christi, obsequi semper parati sint.

7. Apostolatus associationes, unaquaeque iuxta propriam indolem, animum ad Ecclesiae structuras attentum semper habeant, cum propriis animarum Pastoribus collaborent et ut in sodalibus sensus communitatis paroecialis, dioecesanae, Ecclesiae universalis efformetur operam dent.

NOTAE

1 *I Cor.* 12, 25.

2 *Hebr.* 13, 1-3; cf. *Rom.* 12, 10.

[3] *Io.* 13, 35.
[4] Cf. *Act.* 20, 28.
[5] *Ep.* 66, 8; cf. *PL,* 4, 419; cf. S. IGN., *Sine Episcopo nihil facite* (*PG* 8, 715).
[6] *Eph.* 4, 15-16.

CAPUT II

DE ACTIONE CATHOLICA [1]

PRAEAMBULUM

Abhinc non pauca decennia, pluribus in nationibus, laici, magis in dies ad apostolatum se devoventes, in variis formis actionum et consociationum sese coadunarunt, quae, arctionem cum Hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos prosecutae sunt.

Inter has vel etiam similes antiquiores institutiones, eae praesertim commemorandae sunt quae, etsi diversam rationem operandi sequantur, sub uno tamen nomine Actionis Catholicae [2] veniunt, quaeque, per omnes fere orbis catholici regiones latissime propagatae, uberrimos fructus, una cum aliis apostolicis inceptis pro Regno Christi, protulerunt.

8. [*Actionis Catholicae notae*]. Ut autem haec apostolatus forma in dies agnoscatur et invalescat, placet Sacrosanctae Synodo (attentis recentibus Summorum Pontificum et Episcoporum de hac re documentis) notas indicare, quarum concursu et cumulata acceptione Actio Catholica constituitur:

a) Finis immediatus organizationum, quae sub nomine Actionis Catholicae veniunt, generalis finis apostolicus ipsius Ecclesiae est, tum quod singulorum hominum sanctificationem, tum quod Corporis Christi Mystici aedificationem attinet;

b) Laici, collaborantes iuxta modum proprium cum Hierarchia, suam experientiam afferunt et responsabilitatem assumunt in harum organizationum moderamine, in condicionibus perpendendis, in quibus actio pastoralis Ecclesiae exercenda est, in elaborandis et exsequendis programmatibus actionis;

c) Laici agunt non solum singuli, sed uniti quoque instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas exprimatur et efficacior evadat apostolatus;

d) Laici, sive sponte sese offerentes, sive invitati ad actionem et directam collaborationem in apostolatu hierarchico, agunt sub superiore moderamine ipsius Hierarchiae. Hierarchiae autem est hanc collaborationem et propriam cuiusque corresponsabilitatem per explicitum mandatum de apostolica opera sancire.

9. [*Formarum varietas*]. Organizationes Actionis Catholicae secundum locorum ac populorum exigentias, varias structuras assumere possunt, secundum illud Ioannis XXIII: [3] « Haec apostolatus ratio ad locorum condiciones

et necessitates congruenter accommodetur. Non enim licet ea, quae in alia regione peracta sunt, ad aliam, nullo habito discrimine, transferre ».

10. Optandum sane est ut organizationes Actionis Catholicae inter se apte cohaereant, in ambitu dioecesano, nationali et internationali, in dies melius sese accommodando organizationi et necessitatibus Ecclesiae.

11. [*Commendatio*]. Sacrosanctum Concilium has institutiones, quae hodiernis exigentiis apprime respondent, enixe commendat; sacerdotes et laicos, qui in ipsis adlaborant, invitat ut magis magisque notas proprias Actionis Catholicae ad effectum adducant, et cum omnibus aliis apostolatus formis semper fraterne in Ecclesia cooperentur.

Episcopos autem hortatur ut, adiuncta peculiaria regionum suarum respicientes, Actionem Catholicam promoveant, aptiores formas statuendo.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, pp. 774-784, 790-792.

[2] Expressio haec diversas in diversis regionibus organizationum formas designat, quibus tamen, quattuor infradictae notae N. 8, cumulatim sumptae, conveniunt. Inter has formas, dignae sunt quae signentur Actio Catholica *generalis* quae dicitur et Actio Catholica *specializata* iuxta diversa sive vitae sive operum saepta, quamvis sic specializatae huiusmodi organizationes tamquam finem immediatum ipsum finem generalem apostolicum Ecclesiae servare pergunt (verbum « generale », hic sicut et N. 8, sensum communem, minime specificum, habet).

[3] Enc. *Princeps Pastorum, A.A.S.,* 51, p. 856.

CAPUT III

DE ALIIS FORMIS APOSTOLATUS AD REGNUM CHRISTI DIRECTE PROVEHENDUM

12. Praeter associationes Actionis Catholicae, de qua in praecedenti capite, aliae dantur apostolatus formae ad animarum salutem ac Mystici Corporis Christi aedificationem directe promovendam.

Quaedam simpliciter hunc finem generalem Ecclesiae sibi proponunt, quaedam fines particulares, v. g. alicuius doctrinae spiritualis incrementum, catechistarum formationem, infidelium conversionem, cultus liturgici profectum, devotionis marianae diffusionem, opera christianae educationis, institutionem ad doctrinam socialem catholicam enucleandam, diffundendam et applicandam, et similia.

13. [*Variae relationes cum Hierarchia*]. Hae variae formae apostolatus diversis possunt relationibus cum Hierarchia coniungi, nempe: aliae magis directe cum paroecia et dioecesi connectuntur; aliae alicui Ordini vel Congregationi religiosae adstringuntur; aliae demum solummodo sub generali invigilantia Hierarchiae constituuntur.

14. [*In ambitu internationali*]. Peculiare momentum iis organizationibus, quae in ambitu internationali actionem exercent, tribuendum est, quibuscum nationales organizationes connectuntur.

15. [*Multiformis spiritualis vitae expressio*]. Magnus harum organizationum numerus multiformis spiritualis vitae expressio est necnon varietatem apostolici conatus laicorum testatur: diversis Ecclesiae necessitatibus respondent, sicut diversis fidelium apostolicis vocationibus.

16. [*Mutua coordinatio et collaboratio*]. Ad bonum animarum melius obtinendum et ad virium dispersionem vitandum, diversa haec opera directivis Hierarchiae obsequendo inter se et cum Associationibus Actionis Catholicae, secundum suam indolem, sese coordinare et collaborare satagant.

17. [*Ardenti zelo sese impendant*]. Fideles omnes in una vel altera ex his organizationibus adlaborantes Sacrosanctum Concilium enixe adhortatur ut incenso animo sese pro Ecclesia impendant, ut filialem colant cum Hierarchia communionem, ut cum locali clero in spiritu activae collaborationis sese devoveant.

TITULUS II

DE DIVERSIS MODIS ET SAEPTIS [1]

CAPUT I

DE APOSTOLATU VERBI

18. [*Fides ex auditu*]. In aedificatione Mystici Corporis Christi potiorem locum obtinet annuntiatio Verbi Dei; « Fides ex auditu »; [2] sed « quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? ».[3]

19. [*Munus laicorum*]. Ecclesiae universae Christus, potestatem repetens a Patre suo, imperavit ut Novum Nuntium omnibus hominibus communicaret. Hierarchiae quidem est ex iure fidei ac morum normas proponere secundum illud: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae »;[4] omnium vero christifidelium munus est eiusdem doctrinae confitendae, profitendae atque diffundendae, verbis et scriptis, quasi ad continuandam ac extendendam missionem Ecclesiae et ipsius Christi, Verbi Dei.[5]

Hic apostolatus verbi laicorum magis necessarius evadit in iis laboris et vitae ordinariis condicionibus, in quibus laici tantum veritates christianas aliis tradere possunt, praesertim in locis, in coetibus, in adiunctis ubi accessus sacerdotis vel difficilis vel rarus vel inconveniens vel impossibilis est, maxime saeviente persecutione.

Laicis ipsis incumbit illas veritates, iuxta ipsorum ingenium, tradere, explanando, e. g. secundum opportunitatem, propriam rationem agendi et principia christiana quibus diriguntur in vita quotidiana: « Parati semper

ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe ».[6]

20. [*Peculiaria officia*]. Apostolatus verbi incumbit, in primis, parentibus in familia ut munus connexum cum officio educationis; deinde magistris et docentibus omnibus, moderatoribus operum vel associationum iuvenum.

Laude digni sunt qui scriptis collaborant ad doctrinae christianae evulgationem: philosophi, fabularum vel comoediarum vel ephemeridum scriptores; insuper concionatores necnon ii qui technicis instrumentis diffusionis addicti sunt.

Hoc munus autem peculiari modo inest catechistis puerorum et adulescentium; illis qui operam dant in catechumenatu adultorum vel in praeparatione ad sacramentum matrimonii; catechistis in missionibus ad gentes, qui hoc munus exercent modo permanenti, etc. Aliquando hic apostolatus verbi laicorum muniri potest *missione canonica.*

21. [*Verbum Dei in ordinariis vitae adiunctis annuntiandum*]. Christifideles omnes in ordinariis vitae quotidianae occursibus et adiunctis occasionem habent seminandi semen verbi Dei, dictis ac moribus, cum simplicitate, discretione et caritate, memores etiam illius divini Magistri effati: « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et Ego eum coram Patre meo qui in caelis est ».[7]

22. Meminerint christifideles quantum valeat haec communicatio verbi Dei ad Ecclesiae aedificationem: aperit enim viam salutis iis qui Evangelium nesciunt; longe errantes ad Pastores reducit; fideles instruit in doctrina et disciplina Ecclesiae; vitam spiritualem christianorum promovet; debiles roborat; afflictos solatur; societatem fermento vitae christianae immutat.

Ad altiora etiam contendant laici: ad annuntiandum scilicet Deum, et perfectiones eius, praesertim infinitum Amorem, quem nobis manifestavit in Christo Iesu, et per Spiritus Sancti donum incessanter communicat.

23. [*Debita praeparatio*]. Ad hoc munus recte adimplendum oportet laicos, praesertim eos qui peculiaribus obligationibus adstringuntur, firma institutione erudiri. In primis autem laicos oportet verbum Dei toto corde amare et exquirere, Ecclesiae docenti fidelissimos semper se praebere, magis magisque sapida cognitione ipsius Christi imbui, memores apostolici dicti: « Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo ».[8]

NOTAE

[1] Quaedam solum themata pro hoc *titulo* selecta sunt. Minime praetenditur de omnibus modis actionis ad Regnum Christi directe provehendum, nec de omnibus saeptis in quibus apostolatus a fidelibus exerceri potest. Haec themata speciatim selecta sunt sive ob eorum actuale momentum pro laicis sive quia a Commissionibus vel Secretariatibus praeparatoriis Concilii desiderata sunt. Facile patebit obiectum

de quo agitur, funditus minime tractatum fuisse sed solummodo sublineata quae sunt laicorum officia in determinatis hisce saeptis.

[2] *Rom.* 10, 17.

[3] *Rom.* 10, 14.

[4] *Mc.* 16, 15.

[5] Cf. *Rom.* 10, 10.

[6] *I Petr.* 3, 15.

[7] *Mt.* 10, 32-33.

[8] *Col.* 3, 16; cf. supra Pars I, Caput X, *De laicorum educatione et praeparatione ad apostolatum.*

Caput II

DE APOSTOLATU APUD FAMILIAS [1]

Praeambulum

Inter omnes societates, quas Ecclesia spiritu christiano imbuere satagit, ea eminet quae sacramentali sua consecratione speciali modo in ipsam Ecclesiam inseritur, societas scilicet coniugalis.

Hac autem nostra aetate, apostolatus ad christianam familiam efformandam maximi momenti evadit, ut ipsa ab ingentibus periculis undique irruentibus praeservetur, quae ex falsis conceptionibus vel ex aberrantibus structuris socialibus promanant et ut munus suum plene absolvere possit.

In hoc apostolatu pars laicorum ex ipsa natura rerum primum locum tenet, immo suppleri nequit.

24. [*Ad matrimonium praeparatio remota*]. Soliditas et sanctitas familiae « magna parte a debita coniugum pendent tam remota quam proxima ad matrimonium praeparatione ».[2]

Educatio indolis, animi, iudicii, initiatio ad veram vitam christianam, exemplum parentum in matrimonio sancte viventium, praeparationem fundamentalem, quamvis indirectam, constituunt. « Illud enim negari non potest felicis coniugii firmum fundamentum et infelicis ruinam iam pueritiae et iuventutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui ac poni ».[3]

Praeterea laici sedulam curam praestent ut filii in familia, in schola praesertim catholica, in associationibus pro iuventute, rectas notiones acquirant de matrimonio christiano, necnon de eius excellenti dignitate et exigentiis: quae institutio ipsis crescentibus compleri debet.

25. [*Ad matrimonium praeparatio proxima*]. Cum autem remota tantum sponsorum praeparatio non sufficiat, proxima necessario instituenda erit, ut ipsi matrimonium cognoscant in eius naturali complexitate et supernaturali ubertate, sicque disponantur ad sacramentum digne recipiendum et ad vitam familialem feliciter ducendam.

In iis enim temporis adiunctis, melius homo ad omnes valores humanos praesertim spirituales percipiendos disponitur et suam ipsius sentit responsabilitatem ingressus in adultorum vitam etiam coram Ecclesia, gratias procul dubio non paucas a Deo recipit, et ideo maturiore indiget instructione religiosa, ad omnia officia christianorum, non solum coniugalia, rite implenda.

In hac vero praeparatione ad matrimonium, laicorum coniugatorum, necnon catholicorum medicorum, psychologorum aliorumque peritorum consilia maximae utilitatis sunt.

26. [*Conventus pro sponsis commendantur*]. Consessiones formationis et spirituales recessus pro sponsis instituti, sunt praeparationis ad matrimonium media quae Concilium laudat atque commendat.

27. [*In pastorali adsistentia coniugatorum laici cooperentur*]. In spirituali adsistentia quae a pastoribus animarum datur familiis, laici opportune ac directe cooperentur, praesertim cum habeantur conventus aut recessus formationis nuper coniugatorum. Haec enim sunt maximi momenti pro ipsorum spirituali profectu et vita vere apostolica.

28. [*Familiarum mutuum auxilium*]. Familiae, iisdem in adiunctis viventes, caritate unitae, mutuo sibi praestent auxilium, solatium, societatem, specialem curam habentes novarum familiarum ut ipsae facilius sua problemata solvere ac difficultates superare valeant. Ad hoc facilius obtinendum convenienter familiae catholicae in associationibus vel motibus uniuntur, quae tamen praesertim ad earum profectum spiritualem et apostolatus efficaciam tendere nitantur.

29. [*Consilia pro familiis*]. Ad gravia vero discrimina, quae ipsum coniugium in periculum adducere possunt, superanda, necesse est ut praesto sint praeter confessarios animorumque directores — ad quos tamen ultimum verbum pertinet —, etiam laici in re matrimoniali experti, sive psychologi, sive medici, sive legis periti.

Iam in multis regionibus institutiones ad hoc a catholicis erectae sunt easque Concilium plene laudat. Ubi vero ab aliis erectae inveniantur, si Hierarchia opportunum hoc ducat, laici catholici, recte instructi, ipsis collaborent.

30. [*Divinum consilium de familia patefaciendum*]. Ut christianum matrimonium, ea qua par est puritate et sanctitate, a christifidelibus ad vitae usum perducatur, et quotquot falsam vel insufficientem de eo notionem habent, melius dignitatem eius percipiant, magni interest laicos active ad christianam matrimonii notionem diffundendam cooperari, in primis exemplo, sed etiam verbis, scriptis, mediis audiovisivis: quae omnia multum conferre possunt ad hoc ut divinum de matrimonio et de familia consilium coaevis nostris vivido splendore effulgeat.

NOTAE

[1] Agitur hoc in capite, prout ex ipso titulo eruitur, de apostolatu apud familiam. Hic vero aspectus prorsus differt ab eo in quo fundatur caput VI primae partis. Hic insuper, ampliore tractatione ipsa, momentum quaestionis significare intenditur, cum pro plurimis catholicis, qui in regionibus vivunt ubi saevit persecutio solum apostolatus inter familiam et familiam exstet.

[2] *Casti Connubii, A.A.S.*, 22 (1930), p. 584.

[3] *Casti Connubii, A.A.S.*, loc. cit., pp. 585-86; Pius XII ad Patresfamilias Galliae Romam peregrinantes, 18 sept. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 733; Pius XII ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitanum Discalceatorum, 23 sept. 1951, *A.A.S.*, 43 (1951), p. 736; Pius XII ad docentes atque alumnos popularium scholarum..., 19 martii 1953, *A.A.S.*, 45 (1953), p. 232.

Caput III

DE APOSTOLATU IUVENUM IN ECCLESIA

Praeambulum

Semper Ecclesiae maximae curae fuerunt adulescentes et iuvenes utriusque sexus, sive de eorum institutione religiosa, morali et civili, sive de eorum praeparatione ad apostolatum, sive, praesertim, de eorum efficienti exercitio in apostolatu eis proprio.

Prae oculis habentes ea quae Ipse Divinus Magister erga adulescentes et iuvenes gesserat, qui ei in vita occurrerunt,[1] primi Apostolici scriptores peculiaria monita et animadversiones eis protulerunt; inter quae memoria digna sunt verba Sancti Iohannis: « Scribo vobis, iuvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum ».[2]

Vox Summorum Pontificum, semper sed praesertim recentioribus aetatibus, adulescentes et iuvenes enixe arcessivit ad missionem quae iuvenilem ardorem exigit ad mundum iuxta principia evangelica extruendum, ardentes eorum animos alliciendo ad altissimos Ecclesiae fines consequendos.

Multis in regionibus, sicut temporibus praeteritis, nostra etiam aetate, plures iuvenes et adulescentes persecutionem passi sunt ut fidem Christi profiterentur, et testimonio sanguinis confirmarent, semen fidei ubicumque fundendo.

Hodie vero, cum peculiaria adiuncta et circumstantiae exstent, quae iuvenum condicionem in apostolatu Ecclesiae non parum immutare videntur, Sacrosancta Synodus, momentum et gravitatem huius rei commemorans, omnes, quibus quoquo modo cura iuventutis incumbit, vehementer hortatur ad problemata iuvenum attente consideranda et praesertim ad eorum in apostolatu possibilitates et munera recte aestimanda.

Etenim:

— nova condicio facta est qua adulescentes et iuvenes, citius quam antea, sui iuris fiunt, a familia arcentur et ab auctoritate alienantur;

— iuvenes huius temporis saepe ad novam condicionem oeconomicam et socialem celerius transeunt, exigua habita vel saltem inadaequata praeparatione ad novum vitae regimen aggrediendum;

— ad munera vitae publicae exercenda maturius quam antea iuvenes accedunt, ita ut eorum pondus in societate et in re publica administranda magis magisque invalescat.

31. [*Iuvenum apostolatus magnum momentum*]. Sacrosancta igitur Synodus, hanc dilectissimam Ecclesiae portionem magna spe et plena fiducia amplectens, omnes hortatur ad recte aestimandam partem quae iuvenibus in apostolatu Ecclesiae competit, ac praesertim ad ardorem et divitias vitae quae iuvenes afferre solent, atque proinde ad peculiarem efficientiam, quae ab ipsis iure meritoque expectari licet.

32. Magnum momentum Ecclesia tribuit mutuo iuvenum apostolatui, cum experientia doceat quantum iuvenes ad invicem animos allicere valeant ad Regnum Christi quocumque provehendum.

33. [*Adultorum responsabilitas*]. Adultos omnes, praesertim laicos Sacrosancta Synodus monet de eorum responsabilitate erga iuvenes, sive in adiunctis et condicionibus vitae eorum apostolatui faventibus, sive in formatione ad apostolatum, sive demum exemplo abnegationis et deditionis in apostolatu.

34. [*Associationes iuveniles*]. Magni momenti sunt ad apostolatum iuvenum fovendum Associationes iuveniles, in quibus iuvenes activam responsabilitatem sumant ad seipsos efformandos ad apostolatum per ipsam actionem apostolicam, sibi intime persuadendo Ecclesiam indigere eorum opera, iuvenum nempe ut iuvenum, ad suam missionem apostolicam explendam.

35. [*Cura sacerdotum*]. Sacerdotes magnam adhibeant curam ad eorum activitatem apostolicam excitandam, ad adaequatam formationem eis comparandam, ad debitum commercium et cooperationem assiduam cum adultis eorumque associationibus fovendam.

NOTAE

[1] Cf. *Lc.* 9, 57-62; 10, 1-2.

[2] *I Io.* 2, 14.

CAPUT IV

DE APOSTOLATU IN PROPRIO CUIUSQUE AMBITU SOCIALI ET PROFESSIONALI

PRAEAMBULUM

Sapientissimus Creator, homines condens natura sociabiles ac multiplici vinculo inter se coniunctos, « mandavit illis unicuique de proximo suo »,[1] ita ut nemini liceat se alienum tenere a societate confratrum vel se eximere a cura eorum, dicens: « num custos fratris mei sum ego? ».[2]

Unusquisque necessario insertus vivit in aliquo ambitu sociali a quo multiplici ratione afficitur, et quem ipse vicissim sua vita et activitate meliorem vel deteriorem efficere potest. Noverint igitur christifideles laici, se divinae Providentiae consilio positos esse in determinatis adiunctis, tamquam divinum fermentum ad ea reformanda et elevanda. « Etenim per ipsos, pleno iure laborantes in utroque regno, caelesti scilicet et terrestri, facilius se reddere valet Ecclesia principium vitae humanae societatis ».[3] Laicus igitur, christiane agat oportet non solum in familia ecclesiali paroeciae cui adscriptus est, sed etiam in societate saeculari in qua vitam degit: hi duo ambitus non possunt ab invicem seiungi, cum mutuo se compleant et sint singulis necessarii.

Hunc apostolatum « ambientalem » oportet, hodie, varias ob causas, suos olim suetos fines geographicos et sociologicos omnino excedere, et intensitate plurimum crescere. Etenim materialis progressus et arctiora socialis communicationis instrumenta iam late induxerunt tales conditiones generales et exigentias quales omnino limites domicilii superent: frequens mutatio loci, sive laboris sive animi relaxationis causa, populorumque migrationes, quae homines a suo solito domicilio Pastorumque cura subtrahentes in media pericula plerumque proiciunt. Sed et ipsis propriis in domiciliis viventibus, conditiones sive laboris sive recreationis aliarumve activitatum humanarum tales sunt quae facile eos ab omni vita spirituali avocent. Haec autem omnia laicorum apostolatui novas possibilitates praebent urgentioraque officia imponunt.

36. [*Irradiatio apostolica*]. Christifideles magis magisque responsabilitatis suae in Ecclesia conscii fiant atque conentur ut vere exsistant fons radiationis spiritualis in mundo, ita ut per eos spiritus christianus in omnem ambitum vitae et actuositatis suae diffundatur. Fide illuminati et caritate informati, tali rectitudine morali se gerant, etiam in negotiis mere profanis, et tali professionali idoneitate gaudeant ut quotquot cum illis commercium habent, ad veri bonique amorem, sensim sine sensu, alliciantur atque, gratia Dei adiuvante, ad Christum et Ecclesiam attrahantur.

37. [*Apostolatus similis per similem*]. Hic apostolatus « ambientis » maxime exercendus est inter eos qui in iisdem condicionibus vitae vel occupationis inveniuntur, secundum illud sapienter dictum: « primi et proximi

opificum apostoli, opifices sint oportet; apostoli vero inter artificii commerciique asseclas ex iisdem hominibus esse debent »,[4] immo maxime laudandi sunt laici qui, legitimo suo commodo postposito, ultro praeferunt eas circumstantias vitae et laboris quae fratribus adiuvandis aptiores exsistant.

38. [*Sui ambitus cognitio et amor*]. Ut huiusmodi apostolatus optatum sortiatur fructum, unusquisque bene noscat oportet adiuncta vitae, agendi et cogitandi rationem atque optata eorum quibuscum versatur, erga illos omni benevolentia et animi comprehensione sese gerendo; in apte solvendis problematibus, quae in dies exorientur, cooperetur, illa principia christiana prudenter explicando quae lumen et normam afferre possunt; immo, data occasione, ipsum verbum Dei cum suis similibus, iuxta modum proprium laicis, communicare ne negligant.

39. [*Pro societatis consolatione orbatis*]. Eiusdem interest apostolatus subvenire iis qui, e suo domicilio eradicati et in novum nondum plene recepti, societatis consolatione orbatam ducunt vitam. Satagant laici eos sedulo quaerere, comiter recipere, solari ac societati sollicite integrare, et, si catholici fuerint, parochiali familiae et Pastori adducere.

40. [*Omnes vult Deus salvos fieri*]. Hoc apostolatus genus ad integrum ambitum extenditur: sive ad domesticos fidei, sive ad fratres separatos, sive demum ad illos qui a praxi christiana vel ab ipsa fide longe versantur. Nec ab eo excluditur ullus vitae humanae respectus, siquidem christiani promovere debeant « quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia ».[5]

41. [*Actio consociata*]. Apostolatus in proprio ambitu vitae exercitus efficacior evadit dum collective, id est, per coetus ordinesque diversis uniuscuiusque ambitus adiunctis adaequatos exercetur. Organizatio aptius praeparat, congregat, sustinet, tuetur atque moderatur eos qui huic apostolatui se dedunt, et sic ad ampliores fructus obtinendos ducit.

Huiusmodi apostolatus, hac ratione, supponit et exigit organizationes aptas, praesertim Actionis Catholicae specializatae, a Romanis Pontificibus laudatas atque apostolatui cleri autochthonis pro missionibus rite comparatas.[6]

Ut hic apostolatus plene et perseveranter suum effectum assequatur, compleri oportet organizationibus professionalibus vel socialibus, eodem spiritu apostolico informatis, etsi independenter constituantur et proprio marte agant.

42. [*Praeparatio necessaria*]. Meminerint Parochi caeterique sacerdotes curae animarum dediti, necnon dirigentes associationum apostolatus laicorum, felicem exitum praedictae operositatis magna ex parte dependere ab idonea praeparatione laicorum, quae ad ambitum et occupationem singulorum sit accommodata.[7]

NOTAE

[1] *Eccli.* 17, 12.
[2] *Gen.* 4, 9.
[3] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad PP. Card., A.A.S.,* 38, p. 149.

[4] Pius XI, *Quadragesimo anno, A.A.S.,* 23 (1931), pp. 225-226.
[5] *Phil.* 4, 9.
[6] Pius XI, *Ad peregrinos Actionis Catholicae Iuventutis Galliae* (1934); *Ad Unionem Internationalem Associationum Mulierum* (1934); *Ad Episcopatum Philippinum* (1939); Pius XII, *Ad Laureatos A. C. Italicae* (1946).
[7] Cf. supra Pars I, Caput X.

Caput V

DE APOSTOLATU LAICORUM IN AMBITU INTERNATIONALI ET SUPRANATIONALI [1]

Praeambulum

Cum ad notas essentiales Ecclesiae pertineat ut catholica sit, ei omnino incumbit universarum mundi necessitatum materna sollicitudo.

Unde ipsa signum levatum inter nationes [2] semper exstitit, atque indesinenter unitatem generis humani aequalemque hominum dignitatem ac inter nationes et homines cuiuscumque stirpis fraternitatem palam docuit ac strenue defendit.

Historia vero recens crebriores atque arctiores rationes inter homines et nationes induxit, ita ut accrescens unitas et universalitas nota praesentis ordinis in mundo iam evaserit.[3]

Necesse igitur est ut christifideles certiores fiant de universali opera apostolica Ecclesiae, intimeque sibi persuadeant se Ecclesiae sensum plene habere non posse, nisi se ad universalem familiam pertinere agnoscant; et memores sint quantum conferre valeant ad aedificandam et christiana ratione ciendam illam communitatem supranationalem quae quodammodo iam est inchoata et in dies adolescit. Omnes gentes suo apostolico zelo amplectantur, quavis pusillanimitate vel nimio suae gentis studio seposito.[4]

Laici omnes et singuli, quin negligant quaestiones particulares suae nationis vel professionis, semper parati sint animo vere catholico atque dedicatione discreta et fraterna opus suum conferre causis generalioribus universae familiae gentium, his principiis et normis attente perspectis.

43. [*Spiritus vere christianus*]. Spiritum vere christianum afferant et proinde universalem in conventibus internationalibus vel in individuali commercio, sive fortuito vel professionali, cum hominibus diversae nationis vel stirpis.

44. [*Adaequatae cognitionis necessitas*]. Adaequatam pro sua conditione cognitionem sibi acquirant potiorum quaestionum et solutionum, sive doctrinalium sive practicarum, quae in vita internationali exsurgunt; praesertim quoad regiones mundi in via evolutionis.

45. [*Peculiaris vocatio ad laborem internationalem*]. Haec animi attentio circa quaestiones ac res ordinis internationalis haud raro desiderium sese devovendi activitatibus in internationali ambitu in mente gignit, immo quan-

doque deserendi ipsam patriam et familiam ut aliis gentibus servire facultas sit. Optandum sane est plures esse christifideles qui hoc consilium sequantur; vocatio haec ergo laudanda atque fovenda est; consulendum est ut iuvenes, hac vocatione donati, debita instruantur praeparatione et idonea ac necessaria subsidia spiritualia eis praesto sint.

Fideles in institutis internationalibus etiam neutris ad vitae internationalis animationem christianam intime cooperentur.

46. [*Sollicitudo praestanda*]. Christifideles libenti ac liberali animo spiritualia subsidia et, si opus fuerit, etiam materialia et corporalia adiumenta praebeant iis qui operam suam in activitate internationali praestant.

47. Peculiarem sollicitudinem habeant erga eos qui studiorum vel laboris causa extra patriam degunt vel qui e propria natione in aliam migrant.[5]

48. Enixe curent ut omnes homines semper corde et animo recolant necessitates atque aerumnas Ecclesiae patientis.

49. [*Conventus et organizationes catholicae internationales*]. Ad vitam internationalem hodiernam spiritu christiano efficaciter imbuendam perutile est ut promoveantur conventus et habeantur atque foveantur organizationes internationales catholicae, quarum actio tamen apte coordinata erit ad pleniorem vim obtinendam.

50. Hac autem instantia, quae in dies magis magisque animadvertitur et sentitur, factum est ut, Sede Apostolica approbante et favente, orirentur quaedam institutiones ad mutuam earum organizationum conspirationem assequendam.[6]

51. [*Temporalia ac spiritualia subsidia*]. Harum tamen institutionum actio eo efficacior erit quo impensius ipsae omnibus subsidiis et opibus spiritualibus et temporalibus fulciantur, quae Ecclesiae praesto sunt: huic fini centra nationalia apostolicorum inceptorum impenso animo providere debent, sive directe sive per adsociata membra.

52. Oportet insuper ut laici, qui in organizationibus internationalibus catholicis permanenter adlaborant, pastoralibus subsidiis gaudeant.

NOTAE

[1] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De Laicis,* pp. 792-793.

[2] Cf. *Evangelii Praecones.*

[3] Cf. infra Pars IV, Tit. II, Cap. IX: *De universali populorum ordine instituendo.*

[4] Cf. *Evangelii Praecones.*

[5] Cf. Constitutio *Exsul Familia,* passim.

[6] Inter has in primis adnumerantur « Coetus Permanens ad Conventus internationales pro Apostolatu laicorum promovendos » (COPECIAL) atque « Consilium Organizationum Internationalium Catholicarum » (Conférence des O.I.C.); harum institutionum prior finem habet mutuam notitiam et collaborationem in apostolatu

laicorum fovere; altera vero concordem actionem inter proprie dictas organizationes internationales catholicas promovere ita ut maiorem vim exercere possint in institutis officialibus internationalibus apud quae partes catholicas agunt.

Caput VI

DE PARTE LAICORUM IN APOSTOLATU AD UNITATEM CHRISTIANORUM PROMOVENDAM

Praeambulum

Apostolatus ad unitatem christianorum promovendam, qui praesertim his ultimis temporibus, favente ac moderante ipsa Hierarchia, longe lateque inter catholicos invaluit, etiam laicorum operam ac laborem necessario requirit; nam totius Ecclesiae cura et opus est, non minus quam apostolatus missionum et sollicitudo perpetuae renovationis communitatis catholicae in spiritu Christi.

Proinde laici omnes, memores ardentis desiderii Iesu Christi ut « omnes unum sint »[1] utque fiat « unum ovile et unus Pastor »,[2] rite compertum habeant et seipsos vocari ad operam suam in hoc apostolatu navandam. Imprimis animum suum ergo dilatent, ita ut sollicitudines coadunandi totius gregis christianorum in Ecclesia Christi secundum eius voluntatem continue in suis orationibus et in oblatione sui laboris ac sacrificiorum ferveant; praecipue ex corde illis intentionibus se coniungant, quae, iuxta necessitates generales vel particulares, diversis temporibus a Sacris Pastoribus proponuntur, ac benevolenti animo validoque orationum subsidio eos omnes prosequantur ac fulciantur, qui ad apostolatum unitatis vocantur.

Noverint etiam laici peculiares suas responsabilitates in hoc apostolatu unionis: cum enim fratres separati plerumque ex modo vivendi catholicorum de ipsa Ecclesia iudicium ferant, christifideles, sive ipsi dispersi vivunt inter acatholicos, sive hos circum se dispersos habent, aeque sibi incumbere agnoscant grave munus germanae vitae christianae praebendi exemplum atque spiritus illuminatae caritatis erga fratres separatos. Exemplum istud a laicis catholicis semper exhiberi debet, si vere apostoli unitatis esse velint, praesertim quando cum acatholicis ad opera communia, ut puta ad opera caritatis vel ad bonum publicum spectantia, promovenda coadunantur.

53. [*Ad hunc apostolatum requisita*]. Ut laici, pro sua quisque parte, in hoc apostolatu auxilium ferre possint, necesse est:

a) ut Sacram Scripturam et Ecclesiae doctrinam atque normas a Concilio Oecumenico ad unitatem christianorum assequendam datas recte noverint, atque ita periculum falsi cuiusdam « irenismi » ac indifferentismi religiosi — qui dicuntur — prudenter vitent;

b) ut caveant se alienos sentire a fratribus dissidentibus et praeiudi-

cia vitent, quae ex educatione parum illuminata et ex defectuosa notitia historiae atque doctrinae illorum oriuntur;

c) ut debitam observantiam habeant et obsequi discant conscientiae aliorum christianorum, nec iudicium de ipsorum responsabilitate personali dare praesumant;

d) ut instent in iis quae ad essentiam catholicae fidei ac vitae pertinent, nonnumquam communia, potiusquam in aliis non essentialibus, et exemplum praebeant mutuae rerum animorumque aestimationis et fraternae caritatis;

e) ut, iuxta adiuncta et exigentias locorum, semper tamen attendendo ad normas ab Hierarchia forte datas, cum fratribus christianis separatis collaborent ad promovenda et applicanda principia christiana in ordine sociali et in operibus caritatis exercendis.

54. Haec omnia prae oculis habeantur praesertim ab iis qui in institutis internationalibus operam dant una cum acatholicis, vel inceptis communibus, si forte exstiterint, ad finem socialem, culturalem, caritativum, spiritualem assequendum: ne erubescant fidem suam [3] etiamsi opus sit opinionem aliorum prae oculis habere ac recte aestimare ad concordem atque efficacem actionem christianam promovendam.

NOTAE

[1] *Io.* 17, 21.
[2] *Io.* 10, 16.
[3] Cf. *Rom.* 1, 6.

CAPUT VII

DE LAICORUM APOSTOLATU IN AMBITIBUS MATERIALISMO, PRAESERTIM MARXISTICO, IMBUTIS

PRAEAMBULUM

Inter ipsas nationes praevalenter christianas, practicus materialismus magis ac magis extenditur, invalescit, clam in conscientias intruditur.

Huius praeminens forma, quae apertum et militantem atheismum profitetur, marxismus, qui dicitur, computari debet, qui etsi non exclusive, praesertim inter opifices vel etiam excultos homines doctrinam suam systematice propugnare contendit.[1]

Sacrosanctum igitur Concilium pergrave hoc et universale periculum prae oculis habens simul et dilectionem qua Christus a se redemptos homines maximeque errore devinctos, prosequitur, consilia quaedam directiva tradere contendit, quibus iuvantibus christifidelium erga fratres apostolatus efficacior evadat et ad felicem perveniat exitum.

Ut autem ambiguitas quaevis circa Ecclesiae mentem penitus abigatur, ne insuper apostolica laicorum actio his in saeptis efficacitate destituatur, Sa-

crosanctum Concilium ipsum, maxime opportunum censet quae sequuntur sollemni ratione declarare.

Marxismus, quem ipsissimis Pii Papae XI verbis reprobat et damnat,[2] cum sit summae gravitatis materialismi genus ac christianae fidei maxime infensum, non est tamen unica hodierni materialismi forma. Hoc tempore, plures homines sunt qui, quamvis se christianos esse palam profiteantur, hodiernarum rerum cursui passive consentiunt, felicitatem humanam in technico [3] et oeconomico progressu reponunt, divitias inhiant,[4] ad talem extruendum mundum operam navant:[5] ipsi sensim sine sensu a Deo discedunt, quem paulatim e propria vita extrudunt. Magis etiam hic practicus materialismus eos inficit qui socialem doctrinam Ecclesiae manifestare respuunt,[6] pauperiorum et debiliorum iura agnoscere renuunt, socialem iustitiam laedunt, apertas et iniustas inaequalitates avertere vel saltem minuere recusant:[7] ii omnes indubitanter cuilibet perversae doctrinae viam pandunt.

Perperam marxisticus materialismus impugnatur nisi huiusmodi diversae formae pariter aperte reiciantur; nec ulla exsurgit spes marxisticum atheismum quandoque e mundo et ex corde hominum deletum iri, dum alii materialismo indulgetur, illi scilicet qui capitalistico, qui dicitur, oeconomico regimini substernitur ab eoque diffunditur, atque quotidianam hominum vitam pervadit.

Christifideles igitur omnes qui ad apostolatum laicorum operam conferunt, dum iuxta socialem doctrinam Ecclesiae marxisticum materialismum impugnant et damnant,[8] nullo prorsus pacto factionem factioni opponere contendunt, aut praedivitum commoda tueri, aut quoquo modo cum terrenis potentatibus vel cum iis foedera inire qui, subdole, cum religionis principiorum et Ecclesiae iurium vindices sese proclamant, nonnisi reapse propria commoda in tuto ponere inhiant, iustitiae iacturam dissimulantes. Quae omnia procul dubio in ipsius Ecclesiae detrimentum vertere non est ambigendum.

55. [*Fundamentalis agendi ratio*]. Laici apostoli comparium suorum condicionum vitae vere et sincere participes fiant oportet. Nec corpore solum cum eis vivere et adlaborare aut habitare sufficit; necesse est insuper in iis omnibus quae ad bonum commune ducunt active collaborare illudque cum illis pro viribus promovere.[9] Caeterum firmiter omnino quae divinae legi contradicunt recusent, uti sunt odia inter homines, mammonae cultus, iniquus divitiarum usus, dominandi cupiditas, mendacia et fraudes, perversa adminicula suscipere; spiritu vero paupertatis quem Dominus tantopere in Evangelio commendat, liberi inveniantur ad Deo serviendum et fratres iuvandos.

56. [*Eorum vitam Deus repleat*]. Ut valide et efficaciter atheismum oppugnent, requiritur praeprimis ut laicorum vitam Deus repleat, quae ex illa intima unione simul cum omnium operum consecratione suam unitatem obtinet. Nec unquam desinant pro fratribus orare et intercedere.

57. [*Prudentia adhibenda*]. Necessaria prudentia laicis adhibenda est,

ne in quotidianis commerciis humanis per ea quae audiunt, inspiciunt, legunt, pervagantibus erroribus lente et furtim imbuantur.[10]

58. [*Actio apostolica*]. Religionem christianam ostendere debent laici non tantum ut abstractam doctrinam, sed ita vivere ut unusquisque, re et veritate, eam in professionem christianam personaliter susceptam et ad vitam socialem aptatam evehat. Pro iis maxime necessaria evadit cohaerentia vitae christianae sedulo manifestata ac ostensa, praesertim autem in socialibus relationibus.[11]

Insuper christifideles toto animo sese ad vitam socialem renovandam impendant.

Quoad suum apostolatum vero, oportet eos certiores fieri de adiunctis ambitus, eaque iuxta Evangelii normas diiudicare et inde cohaerenter agere.

59. [*Institutio et formatio*]. Peculiaris institutio et formatio huiusmodi laicis debetur: moneantur praesertim de diversis christianis doctrinis quae ab hodiernis atheistis et marxistis in dubium revocantur; edoceantur de doctrinis marxisticis necnon de mentalitate materialistica, quae etiam extra marxistas diffunditur; de modo ratiocinandi et agendi, praesertim marxistarum, certiores fiant, ita ut possint melius ab errore sese defendere, immo veritatem efficacius aliis illustrare ac communicare valeant.

Praesertim in his adiunctis, necesse est ut doctrina socialis Ecclesiae probe noscatur.[12]

Speciatim vero animadvertatur iudicium mere negativum non sufficere. Cum nullus error detur quin alicui veritati commixtus exsistat, necesse est laicos educari ad recte decernendum inter bonum et malum, quae iusta sunt agnoscendo at simul pericula sedulo detegendo, praesertim quoad modum sese gerendi.

60. [*Unionis necessitas*]. Oportet autem ut praesentia in hac apostolatus provincia, laici saepe simul conveniant et coadunentur, ut eorum actio ex communibus conatibus resultet; quod diversimode ad effectum deduci potest, iuxta varias et semper novas necessitates et adiuncta.[13]

61. [*Ecclesiae adiutorium*]. A tota Ecclesia huiusmodi apostoli laici adiuvandi sunt: ab Episcopo, sacerdotibus, religiosis, christifidelibus omnibus: oratione assidua, praesertim publica, necnon idoneorum sacerdotum auxilio ad hoc apostolatus genus deputando.[14]

62. [*Christus mitis et humilis corde*]. Omnes fideles cuiuscumque ordinis collaborent oportet ut ipsorum opera Ecclesia universa speciem praebeat Christi Magistri et Redemptoris, ita ut ipsa, firmitate doctrinae, benignitate, humanitate, paupertate et maxime caritate fulgeat, sicut divinum Exemplar.[15]

NOTAE

[1] Hodiernus Communismus atheisticus notas proprias prae se fert. Procul dubio religionem quamcumque impugnat, quam declarat esse « opium populi »; Catholicae Romanae Ecclesiae speciatim adversatur, quam increpat ut potestatem mere politicam, cum « capitalismo » confoederatam, ad communia privilegia tuenda.

Revera communismus hodiernus est pseudo-religio, et quidem eschatologica. Societas futura quam proponit, absque classibus, absque proprietate privata bonorum productionis, liberata ab omnibus alienationibus quae inde sequuntur, signabit reconciliationem hominis cum natura et hominum inter se: inde vera libertas. Proletariatus, quia exspoliatur, missionem messianicam habet: manumittendi, mediante revolutione proletaria, praeter seipsum, universam humanitatem, et naturam domandi. Sacramentum huius religionis est progressus technicus unde, mediante humano labore, spes fundatur certissima naturam conquirendi, humanitatem ad felicitatem et pacem ducendi, progrediente oeconomica structura, cuius omnes ideologiae non sunt nisi superstructurae. Quod exigit pugnam classium, ad eos debellandos, qui, bona productionis dum detinent, proletariatum in servitudinem redigunt. Quae omnia requiruntur vi determinata et necessaria materialismi dialectici et historici.

Inde homo se sentit, non ut persona libertate spontanea praedita, sed ut pars collectivitatis (unus in « massa »), simul creator universi et redemptor humanitatis. Quae religio dogmata sua defendit in marxismo-leninismo, haereticos damnat et schismaticos excommunicat. In his fundatur eius mystica: eius fides, spes et caritas; inde fluunt normae omnes, ethicae et iuridicae.

[2] *Divini Redemptoris, A.A.S.,* 29 (1937), p. 96. Cf. *Caritate compulsi,* 3 maii 1932, *A.A.S.,* 24 (1932), pp. 180-181; Decretum S. Officii 1 iulii 1949, *A.A.S.,* 41 (1949), p. 334.

[3] PIUS XII, Nuntius radiophonicus in Natali Domini 1953 (*A.A.S.,* 46 [1954], p. 9).

[4] *Caritate compulsi, A.A.S.,* 24 (1932), p. 178.

[5] *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 452.

[6] *Divini Redemptoris,* ibid., p. 91

[7] PIUS XII, Nuntius radiophonicus 1 septembris 1944, *A.A.S.,* 36 (1944), p. 253.

[8] *Caritate compulsi,* ibid., p. 180; *Divini Redemptoris,* p. 69 et sq.

[9] *Mater et Magistra,* ibid., p. 456.

[10] PIUS XI, Sermo ad adstantes ex Hispania profugos, 14 septembris 1936, *A.A.S.,* 28 (1936), p. 376; *Divini Redemptoris,* p. 73, p. 95.

[11] *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 23 (1931), p. 218; pp. 222-223; *Nova impendet,* 20 octobris 1931, *A.A.S.,* 23 (1931), p. 394; Sermo adstantes ex Hispania profugos, *A.A.S.,* 28 (1936), p. 377; *Divini Redemptoris,* ibid., p. 101.

[12] *Divini Redemptoris,* ibid., p. 103; PIUS XII, Adhortatio apostolica ad clerum universum, 22 septembris 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 697; *Mater et Magistra,* ibid., p. 462.

[13] *Divini Redemptoris,* p. 102.

[14] PIUS X, *Notre charge apostolique,* 2 augusti 1910, *A.A.S.,* 2 (1910), p. 630; PIUS XI, *Divini Redemptoris,* p. 98; PIUS XII, Adhortatio apostolica ad clerum universum, 22 septembris 1950, *A.A.S.,* 42 (1950), p. 697; *Mater et Magistra,* p. 462.

[15] *Divini Redemptoris,* p. 98; PIUS XI, *Ad Catholici Sacerdotii, A.A.S.,* 28 (1936), p. 28 et sq.

Caput VIII

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ECCLESIAE MISSIONE AD GENTES [1]

Praeambulum

Salvatoris Nostri conquaerentis verba « Messis quidem multa, operarii autem pauci »[2] nullibi tristius verificari contingit quam in locis qui « missiones » dicuntur, ubi innumera hominum millia salutis nuntium expectant, dum missionarii sacerdotes, ad ipsa ministeria sacra numero impares, multiplicibus laboribus non stricte sacerdotalibus penitus opprimuntur. Sed miserentis Dei Providentia suam Ecclesiam hisce in angustiis opportuno succursu carere non sinit. Etenim supplex Ecclesiae oratio ad « Dominum messis ut mittat operarios in messem suam »[3] in hoc praecipue exaudita videtur quod vocatio missionaria inter laicos mirandum in modum hodie florescit, qui iam pluribus in missionibus non solum laicorum exercent apostolatum, sed et « feliciter substituunt et complent » opus ipsius sacerdotis missionarii.[4]

Nemo autem arbitretur illos solum qui longinquas plagas evangelizandas adeunt, vel autochthones qui ibidem in Evangelio laborant, Ecclesiae « missionem ad gentes » participare posse vel debere. Totius enim Ecclesiae missio est, et nemini licet ab ea, pro posse, adimplenda se eximere. Ut autem laicorum tam necessaria participatio, in Ecclesiae missione ad Gentes, optimas fruges referre valeat, S. Concilium quas sequuntur normas opportunas tradere censuit.

63. [*Formae cooperationis quae spectant*]. Christifideles omnes suam faciant Divini Redemptoris sollicitudinem circa innumeras animas adhuc Ecclesiae aggregandas, eiusdemque invitationi obtemperantes enixe rogent « Dominum messis ut mittat operarios in messem suam »; sed et orationibus actionem iungentes, subsidiis quoque materialibus adiuvent missiones, mediantibus praesertim associationibus a S. Sede tamquam « Pontificia Opera Missionalia » speciatim destinatis.

64. [*Spiritus missionalis diffundendus*]. Spiritus « missionis » infundatur in pueris educandis, in scholis a primariis usque ad universitarias; nutriatur conferentiis, consociationibus, circulis studiorum, libris de missionibus; ostendantur pueris modi hunc spiritum in actum reducendi; vocatio missionaria in eis forte detecta omni sollicitudine foveatur.

65. [*Varii missionalis apostolatus campi*]. Nec desunt christifidelibus occasiones, quin patriam suam relinquant, immediate collaborandi in Ecclesiae missione ad infideles. Ubique enim in regionibus in quibus Ecclesia iam condita est inveniuntur plurimi, sive concives sive advenae, ad Ecclesiam nondum pertinentes, erga quos hanc missionem unusquisque modo suo et mensura adimplere satagat.

Eiusdem spiritus missionalis est affectu fraterno complecti et omni sol-

licitudine adiuvare omnes qui ex nationibus praevalenter non christianis veniunt ad nationes christianam traditionem habentes, educationis vel alterius occupationis causa. Laicorum est his verae christianae hospitalitatis, vitae familiaris, et ordinis socialis exemplum simul et experientiae occasionem praebere.

66. [*De iis qui ad laborandum in missionibus vocantur*]. S. Concilium grato animo recolit ea quae laici missionales iam egregie patrarint patrentque, qui ad tempus aut ad vitam patriam suam reliquerunt, ut in regionibus Evangelii lumine collustrandis ad bonum sociale et religiosum operam conferrent multiplicem.[5]

67. Nec minore laude digni sunt qui, non quidem tamquam missionarii, sed tamquam artium et professionum periti, ad gentes subsidiis hodiernis carentes, in progressu materiali, culturali, technico, adiuvandas se dedunt, et caritate vitaeque integritate fidei testimonium praebent. Quod si fiat, tamquam novi Praecursores Domini, Christo viam parant, quae saepe unica via esse potest.

68. [*Catechistae*]. Catechistarum autochthonum in missionibus opera, ministerio verbi curaeque animarum intime consociata, quam necessaria quamque frugifera semper exstiterit, tota historia missionum demonstrat, eorumque munus tamquam « praestantissimum fortasse exemplum apostolatus qui a laicis exercetur » laudaverunt SS. Pontifices.[6]

69. [*Laude commendantur laici qui in missionibus operam conferunt*]. S. Concilii Patres magnopere laudant laicos viros ac mulieres qui nobili huic operi se vocari noverint, ut eidem divinae invitationi generoso animo respondeant exhortantur; et eos omnes non solum in missione laborantes sed praesertim e missionibus revertentes, Pastorum communitatisque christianae sollicitae curae enixe commendat, ita ut facile possint suam pristinam professionem et positionem in communitate recuperare.

70. [*De formatione laicorum missionalium*]. Scholae ad formationem laicorum missionalium qui ad apostolatum directe religiosum exercendum ad missiones proficiscuntur, sicut et catechistarum autochthonum in ipsis missionibus, tam necessariae hodie evaserunt quam Seminaria pro Clero. Hortatur igitur Concilium omnes quos spectat, ut huiusmodi scholas instituere curent tum in terris unde missionarii exeunt, tum in missionibus ubi catechistae formantur. Hisce in scholis, simul cum formatione in fervida vita christiana, tradatur profundior de doctrina catholica instructio, praesertim vero de S. Scriptura, Theologia, Historia Ecclesiastica, Catechetica, Apologetica, necnon de religione, cultura et consuetudinibus gentis apud quam candidatus laboraturus est. Curentque scholae Auctoritates a se formatos candidatos ad competentes Praelatos Missionum dirigere ut legitime missioni aggregentur ibique paratum sibi munus inveniant.

71. Auctoritatis ecclesiasticae est candidatos in hisce scholis formatos riteque approbatos, insignire missione canonica non solum ad doctrinam catholicam publice tradendam, sed ad assistendum missionario eumque sup-

plendum in omnibus muneribus curae animarum connexis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis non exigunt.

72. [*De sustentatione laicorum missionalium*]. Superiores missionum sollicite curent ut his dignis adiutoribus laicis qui, in quacumque apostolatus forma, totos se missioni dicarunt, omnino aequa et digna provideatur sustentatio, praesertim vero iis qui familia sunt donati, ut possint libere ad munus susceptum se applicare: dignus est enim operarius mercede sua « et Dominus ordinavit iis qui evangelium annunciant, de evangelio vivere ».[7] Sed et expedit invitare etiam eos, quibus opes et tempus suppetunt, ad hoc honorificum munus gratuite suscipiendum, ad maiorem aedificationem et lucrum animarum, Apostolum imitati qui, dum ius suum in hac re vindicaret, eidem sponte renuntiavit « ut plures lucrifaceret ».[8]

73. [*Consolidanda communitas christiana*]. Christifideles omnes, sive extranei qui qualibet ex causa terras gentium adeunt, sive autochthones qui ibi inter non christianos versantur, alte in mente insculpta gerant haec S. Ioannis Chrysostomi: « Ideo enim ille (Christus) nos hic relinquit, ut sicut luminaria essemus, ut aliorum doctores constituamur, ut instar fermenti simus. ... Non opus esset sermone, si vita nostra ita fulgeret; non opus esset verbis, si opera exhiberemus. Nullus esset gentilis, si nos essemus vere christiani ».[9]

74. [*Institutiones apostolicae laicorum erigendae*]. Cum Ecclesia non possit dici plene condita in aliqua gente nisi integra eius structura ibi constituatur, quae non modo variis Hierarchiae gradibus constat, verum etiam laicorum ordine, omnino opus est in missionibus erigere ac fovere omnia necessaria instituta educativa et caritativa, imprimisque Actionem Catholicam, necnon consociationes operariorum, agricolarum aliarumve professionum, prout casus ferat et necessaria accommodatione facta ad condiciones loci et populi.[10]

75. Meminerint autochthones christifideles honorificae suae partis in aedificanda Ecclesia Christi in gente sua, et assuescant generoso animo sustentare opibus suis ecclesiam, pastores, instituta, quantum media sua sinant.[11]

76. [*Autochthones fideles solliciti sint de Republica et cultura sua*]. Ius et officium civium est in bonum reipublicae adlaborare et in eius gerendis negotiis activam partem assumere. Unde christianae communitates quam maturissime et impensissime curent oportet, ut viros ad publicam rem in sua cuiusque terra pro communi ipsius bono gerendam praeparent, qui non solum credita sibi officia et opera cum laude exsequantur, sed etiam vita sua vere christiana, Ecclesiae, cuius beneficio renati sunt, honorem adiungant.[12]

77. Pari modo, christifideles autochthones non solum non negligant, sed impensissime colant culturam, artes et laudabiles consuetudines suae gentis, immo, christianum spiritum eis infundendo eas provehant ad talem pulchritudinis apicem ad qualem fortasse numquam pervenerant.[13]

Textus definitive probatus — cum uno tamen suffragio contrario quoad Capita III, IV et VII Tit. II — Sessione Generali habita diebus 2-8 aprilis 1962.

NOTAE

[1] Huius Capitis finis est clare ostendere christiani nuntii in universo terrarum orbe diffusionem — praesertim in regionibus quae recentius Evangelii luce perfusae sunt —, omnes fideles revera respicere: sive in paroeciis antiquae traditionis vitam degant, sive ad regiones recenter evangelizatas auxilium ferre proficiscantur, sive tandem sint earumdem regionum autochthones. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, *De Laicis,* p. 763, nn. 54-55.

[2] *Mt.* 9, 37; *Lc.* 10, 2.

[3] *Ibid.*

[4] Cf. Pius XII, *Summ. Pont., A.A.S.,* 31 (1939), p. 443.

[5] Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum, A.A.S.,* 51, p. 860.

[6] Cf. Ioannes XXIII, *ibid.*, p. 885.

[7] *I Cor.* 9, 14.

[8] *I Cor.* 9, 12-19; *Act. Ap.* 20, 33.

[9] *Hom. X in Tim., PG* 62, 551.

[10] Cf. Ioannes XXIII, *Princeps Pastorum, A.A.S.,* 51, pp. 849, 856.

[11] Cf. Ioannes XXIII, *l. c.,* p. 853.

[12] Cf. Ioannes XXIII, *ibid.,* pp. 859, 860.

[13] Cf. Pius XII, *A.A.S.,* 31, p. 428; 43, p. 552.

APPENDIX

Alia insuper argumenta, hac nostra aetate valde urgentia, Membra Commissionis voluntatem habebant profundius investigandi ac tractandi, prouti « cultura », « publici mores », « communicationis socialis instrumenta », « ludicra certamina (sport), peregrinationes ac itinera relaxationis et instructionis gratia suscepta (turismo) ».

Ad severiorem tamen investigationem, prout opus erat, tempus defuit.[1] Sed coetus romanus Commissionis voluit saltem praecipua seu summa lineamenta eorum quae a Commissione non definitive apparata sunt hic tradere. Sicut in caeteris studiis nostris, uti patet, etiam his in quaestionibus, quae universam Ecclesiam respiciunt, iis, quae apostolatum laicorum eorumque in Ecclesia responsabilitatem tangunt, potissimum locum fecimus.

I - De cultura

Inter humanas res longe mirabilior omnium, hac nostra aetate, culturae profectus in omnibus suis coetibus ac saeptis, praesertim sub scientifico ac technico respectu, procul dubio censeri debet. Permagni tamen interest ut haec doctrina vere sincera atque ingenua sit, scilicet quaquaversus humana atque christianis principiis ac moribus adaperta ac praenuncia, quin immo vere christiana sit oportet, evangelicis veritatibus ac legibus consona.

Ad hanc effingendam culturam, laicorum actio perurgens est.

A - Exculti laici quadruplici praecipue sensu actionem operamque suam dare possunt:

a) ad culturam genuinam et christianam pro omnibus effingendam adlaborare;

b) ad culturam in proprium coetum apud collegas, apud sibi subditos et clientes afferendam;

c) ad disciplinarum humanarum diligentem investigationem quae profectui scientiae theologicae deservire possint (philosophia, historia, archaeologia, etc.); ad regimen Ecclesiae, ad ipsius etiam administrationem fovendam (disciplinae iuridicae et oeconomicae); ad cultum liturgicum provehendum (artes, praesertim architectura);

d) ad diversa culturae saepta mutuo componenda et ad unitatem redigenda; ad recte aestimandos varios gentium humanos civilesque cultus ac ea quae in eis bona sunt aperto animo amplectenda; ad commercia cum culturis nondum christianis ineunda.

B - Peculiaria culturae munera ac saepta.

Curetur christiana cultura laicorum qui munera directiva habent, in primis circa singulorum professionem. Novae professiones, quae saepe in campo scientifico et technico evolvuntur, cultura vere humana et christiana imbuantur.

Apostolatum vero exerceant in coetibus altioris et culturae, praesertim in coetibus universitatis inter professores et alumnos, saeptis scientificis peculiari modo prae oculis habitis.

C - Ad apte apostolatum culturalem exercendum, in primis scientificae methodi exigentiae debite observentur. In singulis culturae saeptis augeatur peculiaris peritia et novissimae notitiae sedulo acquirantur.

Praecipuis doctrinis theologicis laicus excultus carere non potest, ut sciat res sensu theologico diiudicare et interpretari utque theologia et vita mutuo propius accedant.

Commercia inter excultos viros catholicos ineantur et foveantur. Vitam proprii culturalis coetus unusquisque scienter et intime vivat, relationibus tamen cum suo ambitu sociali diligenter servatis.

Magni momenti est, praesertim pro excultis laicis, vitae commercia cum clero statuere.

Ad haec omnia facilius consequenda necesse est ut sacerdotes peculiari cura et ratione praeparentur.

II - De publicis moribus

Quamvis quaestio de publicis moribus procul dubio semper exstiterit, novam induit rationem novamque gravitatem, cum animi undique naturalismo pervasi sint, faventibus persaepe hodiernis communicationis socialis instrumentis. Caeterum, cum publici mores sive a legibus, sive a conscientia

individuorum pendeant, singulorum civium responsabilitas duplici hoc sensu devincitur.

Christifidelium actio iuxta triplicem praecipue directionem exerceri potest:

a) ita in primis singula individua efformare ut, praeter iudicium, maioris forte numeri, criteria obiectiva his in saeptis vigentia agnoscant. Satagant insuper ipsas publicas opiniones effingere, ut principia recti ordinis moralis magis magisque sancte serventur;

b) de exsistentia aptarum legum edocere ac notitias diffundere, quae saepe ignorantur;

c) actionem communem honestorum hominum excitare ac fovere ad legum applicationem sive a militibus publicae disciplinae praepositis, sive a tribunalibus diligentius obtinendam: recolatur hac in re momentum consociationum ad publicos tuendos mores.

III - De socialis communicationis instrumentis

Quae de hodiernis instrumentis communicationis socialibus, ab hac Sacra Synodo abunde enucleantur, docentur, monentur et statuuntur,[2] laici omnes peculiariter sibi dicta esse intelligant. Hoc enim, ratione ipsius vitae quotidianae, ad ipsos pertinet; sed insuper his in saeptis, laicis generatim competit activitas Ecclesiae partes agere: nam sine ipsis, sine ipsorum ingenio, technica peritia ac pecunia, reapse parum Ecclesia agere valet.

Et sic, omnibus quibus poterunt auxiliis, ipsimet ea omnia ad rem deducere adlaborent, praesertim vero qui officio, facultatibus, technicis ingenuisque disciplinis, tum ad publicas opiniones recte efformandas, tum ad ipsius Ecclesiae doctrinas defendendas et latius diffundendas, polleant.

Ad hoc autem, excellens apostolatus munus sancte efficaciterque exercendum, laici, una cum christianae conscientiae fortitudine atque erga Ecclesiae Hierarchiam alacri docilitate, in eorundem instrumentorum communicationis socialis provincia congruam certamque doctrinam sedulo sibi acquirere conentur.

IV - De temporibus subsecivis recte utendis

1. Humani civilisque huius temporis cultus, artium technicarum ac oeconomicarum institutionum profectu in dies aucto, publicis inde cogitandi et agendi rationibus non parum immutatis, uberius a labore vacuum tempus hominibus praesto est.

Communis haec condicio vitae non leves induxit immutationes novasque gignit quaestiones apud opifices ac artifices praesertim qui olim nullam fere operis intermissionem noverant.

2. In hodiernis hisce adiunctis frequentiores praebentur hominibus animum relaxandi illumque perficiendi occasiones, simul et facultas vitam spiritualem augendi, divino cultui partem capiendi necnon apostolatum exercendi. Notabilis tamen pars vitae quae a labore vacua remanet, plurimis detinetur inceptis quae saepissime christiano afflatu carent.

3. Urgens hic panditur laicis apostolatus saeptum sive ad relaxationis incepta iuxta sensum Christi et Ecclesiae normas ineunda ac perficienda sive ad novas fovendas formas quae simul vitam christianam promovere valeant.

4. Plurimi hodie diffunduntur relaxationis modi ac viae. Peculiaris tamen cura habenda erit de peregrinatis seu turistis, qui dicuntur, necnon de ludicris certaminibus (sport) quibus plurimi alliciuntur homines. Quae cum longe lateque diffusa sint, novis semper formis novisque adaucta mediis, iam vitam socialem, religiosam et civilem omnium gentium profunde afficiunt.

Turismus, qui dicitur, occasiones quam plurimas suppeditat elevationis animi ac caritate amplectendi homines eorumque mores civilesque cultus et diversas Ecclesiae quaestiones apud diversas gentes exsistentes dignoscendi. Unde peculiaris sollicitudo laicis peregrinatos humaniter ac christiane accipiendi. Maxime tamen cavendum est ne huiusmodi peregrinationes, sive ipsis peregrinatis, sive his ad quos adveniunt, nimiae relaxationis et animi remissionis causa sint.

Ludicra certamina (sport) ad sensum pulchri colendum, necnon ad animum humaniter effingendum non parum conferre possunt; sed immoderatae etiam ostentationis et iactantiae causam exhibere et solius insuper corporis cultus, caeteris maioris momenti neglectis.

Quandoque immo ludicra certamina eo deveniunt ut saeva et etiam lethalia evadant atque ideo christianis principiis ac moribus omnino contradicant: unde his in casibus prorsus a laicis christianis vitanda atque communi actione impugnanda sunt, donec opportune reformentur.

NOTAE

[1] Notandum vero est Secretariatum de Prelo et Spectaculis unum ex dictis argumentis optime pertractasse, Commissionem autem de Episcopis ac Dioeceseon regimine integrum caput argumento « De peregrinatorum seu turistarum cura » dicasse.

[2] Cf. Schema Constitutionis « De instrumentis diffusionis seu communicationis socialis ».

PARS III

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE CARITATIVA

PROOEMIUM

[*Dilectio proximi signum est discipulorum Christi*]

Cum iam hisce nostris temporibus adimpleri videantur verba Christi: « quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum »,[1] Sacrosancta Synodus, ut praeclarum unitatis Ecclesiae et caritatis nuncium, et testimo-

nium, omnibus hominibus actionis caritativae obligationem commemorat. Etenim apostolatus omnis originem ducit ex praecepto Christi, qui, postquam commendavit his verbis mandatum dilectionis Dei: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum », addidit: « Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetae ».[2]

Signum, igitur, discipulorum Christi, iuxta Divini Magistri sententiam, proximi dilectio est: « in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[3]

[*Ecclesia altam semper praetulit caritatis facem*]

« Nihil idcirco mirum si catholica Ecclesia, a Christo capiens documentum, mandatum Christi conficiens, per bis mille annos, a priscorum nempe diaconorum ministeriis ad nostros usque dies, continenter altam praetulit facem caritatis, non minus praeceptis quam exemplis latissime editis ».[4]

Verba, enim, quibus ab Ignatio Antiocheno Romana Ecclesia celebratur: « Universo caritatis coetui praesidens »,[5] universali Ecclesiae iure competunt, utpote quae « ob suam... inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ... magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ».[6]

[*Instantia actionis caritativae hoc tempore*]

Hodie, vero, communicationis instrumentis ac mediis expeditioribus factis, distantiae inter homines ita quodammodo evictae sunt, ut mundi universi incolae membra unius familiae se habeant. Actio, igitur, caritativa christifidelium, universos fines attingens, omnes homines amplecti debet, ut qui cibo potuque, vestitu, domo, medicinis, labore, instructione, humanae vitae ducendae facultatibus carent, aerumnis vel infirma valetudine cruciantur, exilium vel carcerem patiuntur, reficiantur et, praestitis auxiliis, leventur.

Itaque, nostra haec aetas actionem caritativam, ad quam exercendam Ecclesia a Conditore suo ius inalienabile et munus praeclarum accepit, et quam, decursu temporum, eadem egregie promovit, urgentiorem facit et in immensum prolatam.[7]

[*Ipsa humanitatis lex promovet plurima benefica opera et incepta*]

Ipsa autem humanitatis lex movet etiam civitates et nationes in re oeconomica progressas erga eas quarum oeconomicae progressiones in effectu sunt, ita quidem ut « quibus nationibus saturitas copiaque sit omnium bonorum, ab iis status non est neglegendus aliarum, quarum cives in tantis versentur domesticis difficultatibus, ut egestate fameque paene conficiantur ».[8]

Cum, vero, adsistentiae socialis formae privatae vel publicae, nationales vel internationales, multiplices susceptae sint ac suscipiantur, et universos

fines civilis societatis ingrediantur, Sacrosancta Synodus laicis commendat ut, praeter opera ab Ecclesia constituta, adsistentiae socialis institutiones ipsas, sua praesentia et supernaturalis caritatis afflatu directe et indirecte foveant utque, in utroque operositatis campo, totis viribus sese impendant.

NOTAE

[1] *Mt.* 24, 12.
[2] *Mt.* 22, 37-40.
[3] *Io.* 13, 5.
[4] IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 402.
[5] S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Romanos, PG* V, 685.
[6] *Conc. Vat. I,* Const. *De fide Catholica,* Cap. III.
[7] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix vol. II, Pars II, pp. 707-709: « De actuositate Ecclesiae ».
[8] IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 440.

CAPUT I

DE NATURA ET AMBITU ACTIONIS CARITATIVAE

1. [*Caritas supernaturalis actionem caritativam urget*]. Actionis caritativae nomine hic veniunt omnia incepta et opera tum individua tum collective ordinata, quae sub impulsu caritatis supernaturalis fiunt ad adiuvandum proximum in indigentia constitutum vel ad egestatem eius praeveniendam. Sicut virtute supernaturali caritatis diligimus « proximum propter Deum »,[1] sic et in actione caritativa, secundum illud Sancti Thomae, « ratio diligendi proximum Deus est; hoc enim debemus in proximo diligere ut in Deo sit ».[2]

Actio caritativa hominem in egestate degentem allevare dum sibi proponit, quidquid humana persona indigentis ex integro sibi postulat haud negligit; eiusdem igitur culturalem, socialem, spiritualem profectum perficere, eidemque subsidia quibus ipse sibi consulere valeat necessitatibus, providere curat.

2. [*Actionis caritativae opera*]. Fideles omnes caritatem in cordibus suis, per Spiritum Sanctum diffusam[3] ad actionem perducere studeant « opere et veritate ».[4]

Actio caritativa complectatur praesertim ea quae Dominus, in novissimo iudicio, sese requisiturum esse praedixit, nempe: esurientes pascere, sitientes potare, nudos vestire, hospites suscipere, infirmos visitare, captivos redimere.[5] Alia iure addidit traditio christiana opera misericordiae his similia quae fraternae caritatis testimonium sunt.

3. [*Indoles universalis et ordo actionis caritativae exercendae*]. Exemplum et mandatum Christi secutus quivis fidelis caritatem cum omnibus hominibus, quacumque necessitate laborantibus, communicet, ita quidem ut or-

dinem servet caritatis, scilicet et coniunctionis suae rationem cum eo quem iuvat et bonorum quibus iuvat, et necessitatis propter quam iuvat.[6]

4. [*Actio caritativa excedit ordinem naturalis adsistentiae*]. Supernaturali sua ratione actio caritativa elevatur supra ordinem naturalis adsistentiae quae ex mere humano vel sociali impulsu procedit.

5. [*Opera adsistentiae socialis naturalis ordinis iuvanda*]. Cum autem gratia naturam non destruat, sed elevet atque perficiat, fideles actus et incepta adsistentiae socialis quae ad naturalem ordinem pertinet ne contemnant neve impugnent, sed potius, iuxta merita, agnoscant, eisque, collato opere, pro viribus, foveant.[7]

NOTAE

[1] S. AUGUSTINUS, *De Trinitate,* 8, 8. *PL.*

[2] S. THOMAS, *Summa Theologica,* II-II, q. 25, a. 1.

[3] Cf. *Rom.* 5, 5.

[4] *I Io.* 3, 18; cf. *I Iac.* 1, 2.

[5] Cf. *Mt.* 29, 31-46.

[6] S. AUGUSTINUS, *De Doctrina christiana,* I, 27; *PL* 34, 29.

[7] Cf. Plures allocutiones Pii Pp. XII, praesertim vero illam quam ad « Pax Romana MIIC », die 25 aprilis 1957, habuit, *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 298-299.

IOANNES XXIII, in suo sermone ad delectos viros qui interfuerunt Conventui Consilii « Food and agriculture Organisation » (F.A.O.), Romae habito die 10 nov. 1959, aperte dixit Ecclesiam valde probare incepta eiusdem organizationis, gratulatus est cum omnibus iis qui in ea operam dant; immo appellavit ipsam F.A.O. « immensam operam misericordiae, operam misericordiae quae universum mundum attingere conatur » (« Mais qu'est-ce que toute l'activité de la F.A.O. sinon une immense œuvre de miséricorde, une œuvre de miséricorde à l'échelle mondiale! »), *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 865, 866.

CAPUT II

DE IUSTITIA ET ACTIONE CARITATIVA

6. [*Dignitas et necessitas caritatis et iustitiae*]. Cum a christiana doctrina non minus alieni sint qui, perfectione ordinis iuris supposita, caritatem superfluam reddere autumant, quam alii qui actionem caritativam, neglecta iustitia, extollunt, Sacrosanctum Concilium omnes christifideles admonet ut utriusque virtutis et dignitatem et necessitatem et earum in rebus humanis ordinandis indissociabilem coniunctionem agnoscant et foveant.

7. [*Iustitiam caritas urget*]. Nedum caritas iustitiam negligat, in ipsa actione caritativa quidquid iustitiae est, e contrario urget, indesinenter promovens puritatem, integritatem, perfectionem iustitiae, in altero homine [1] alterum ego secundum praeceptum Domini,[2] et etiam ipsum Christum respiciens. Ita ut rectius dici debeat: ubi deest observantia erga personam in

actione caritativa, ibi ipsa caritas deficit, et quo magis crescit caritas eo magis crescit observantia erga homines, dignitatis et aequalitatis sensus ac praecavetur quidquid in actione caritativa libertatem, personalem autonomiam minueret et inde iustitia detrimentum caperet.

8. [*Caritas iustitiae limites excedit*]. Licet cuique fas non sit caritati relinquere quod a iustitia debetur, ipsa tamen caritas iustitiam perficit, attingens, immo suo ardore excedens fines iustitiae; nam « non quae sua sunt quaerit »,[3] sed omnia sua cum aliis animo prompto et amicali coniunctione participare parata est.

9. [*Caritas superat iustitiam*]. Opera iustitiae, quamvis assidue amplificentur, spatia caritatis [4] necesse est etiam atque etiam dilatari; caritas enim secretum possidet coercendi atque suaviter mulcendi poenas et aerumnas quae vitam hominum continuo, sicut pauperes, de quibus dicit Christus: « semper pauperes habetis vobiscum »,[5] comitantur, quaeque, etsi peccati sunt sequela, fieri possunt redemptionis instrumenta.

10. [*Ecclesiae ius et officium adsistentiae*]. Publicae auctoritatis est adsistentiam socialem ita instituere ut omnibus civibus ea praesto sint, quorum defectus bonum commune in discrimen vocaret. Postulat vero ordo iuris ut cum singulorum hominum et coetuum tum etiam ipsius Ecclesiae agnoscatur et protegatur ius et officium aliis subveniendi, sive individualiter sive coniunctim exercendae. Quapropter fideles studeant ut ordo iuris ita constituatur ut libertas aliis subveniendi et operositatis caritativae Ecclesiae iure civili sanciatur.

NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 5, 43.
[2] Cf. *Mt.* 25, 40.
[3] *I Cor.* 13, 15.
[4] Cf. S. AUGUSTINUS, Sermo X, *De verbis Domini. PL.*
[5] *Mt.* 27, 11 et *Lc.* 14. 17.

CAPUT III

DE OBLIGATIONE ACTIONIS CARITATIVAE

11. [*Opera caritativa supererogatoria non sunt*]. Altissimum christifidelium officium est ut maximum mandatum ad actum perducant. Reicienda proinde est falsa illa et in praxi perniciosissima opinio quae opera caritatis omnia supererogatoria esse autumat.

12. [*Quilibet proximus in necessitate constitutus adiuvandus*]. Ad actionem caritativam omnes, suarum facultatum ratione habita, obligantur ubi quilibet proximus in necessitate constitutus occurrat cui subvenire possint. Hodierni temporis condiciones et adiuncta hanc obligationem premunt cum

hinc humanarum calamitatum notitiae raptim circumferantur et inde multiplicia concessa sint subveniendi modi et instituta.

13. [*Urgentior necessitas erga eos qui sunt in periculo morali vel spirituali*]. Proximi necessitatibus adesse impensius urget, si periculum moralis et spiritualis ruinae proximo instet a materiali vel sociali indigentia. Exemplo sit Bonus Pastor qui, nonaginta novem ovibus in deserto dimissis, ad illam quae perierat vadit donec inveniat eam.[1]

NOTA

[1] Cf. *Lc.* 15, 4.

Caput IV

DE ACTIONE CARITATIVA ET APOSTOLATU LAICORUM

14. [*Opera apostolatus Christifidelium sunt testimonium caritatis*]. Sicut mysteria Incarnationis et Redemptionis divinam erga homines caritatem manifestant, ita omnia Christifidelium opera in aedificatione Corporis Christi hanc caritatem cum hominibus communicent eiusdemque testimonium praebeant. Quapropter apostolatus christifidelium illa caritate informetur quae « patiens est, benigna est, ... non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ».[1]

15. [*Momentum actionis caritativae inter opera laicorum apostolatus*]. Quamvis opera apostolatus omnia a caritate procedant, tamen inter ea praeclarum locum obtinent opera caritativa quibus auxilium hominibus in necessitatibus constitutis praestatur. Haec enim opera evangelici apostolatus propositum fovent, fidei semitam expediunt, miro modo amicitiae necessitudinem et societatem vitae instaurant, caritatis quam Ecclesia in Sacramentis et in Liturgia, praesertim Eucharistica, celebrat, sunt perspicuum documentum.

16. [*Speciale in operibus caritativis munus laicis fidelibus incumbit*]. Laici his operibus caritativis Ecclesiae participant praesertim eo quod possessionum suarum et temporalium laborum sociale munus attendentes, utriusque generis bona egenis communicent; quod varias suas naturales et acquisitas capacitates, scientias et artes eorum iuvamini applicent; quod in multiplicis adsistentiae socialis institutis evolvendis et animandis assidue cooperentur.

17. [*Dignitas humana in actione caritativa observanda*]. Dignitatem personae, libertatem conscientiae, imaginem Dei in proximo quasi elucentem christifideles dum perficiunt ministerium caritatis observent, in omni humanitate et fraternitate; caveant igitur ipsi ne eos quos adiuvant vel opera quibus adiuvant quasi dominandi adminicula habeant et mera instrumenta fidei propagandae.[2]

18. [*Dignitas humana observanda etiam in operibus socialibus caritatis*].

Opera socialia caritatis christifideles exsequentes, testimonium exhibeant honoris qui redditur Deo in proximo omni opere caritatis ita ut, subsidium qui praestant simul cum iis qui praestitis subsidiis utuntur, speciem afferant singularis vitae trinitariae, in homine servante unitatem humanae familiae, in individuo dignitatem humanae personae, et propter Dei Filium aequitatem amoris et redemptionis divinae.

19. [*Communio in activitate caritativa cum non catholicis*]. Cum ad unitatem Ecclesiae in fide fovendam et schismata unitatem adversantia cohibenda, mutua, ut experientia docet, communicatio in caritate et operibus non solum inter domesticos fidei sed etiam inter fideles et eos qui fidei dono vel integre nondum gaudent vel carent, conferat, christifideles verbum Domini de evangelici Samaritani exemplo sectantes, huiusmodi animum, discrete quidem, sed generose patefaciant.

NOTAE

[1] *I Cor.* 13, 4-7.

[2] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Enc. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 442, 443.

CAPUT V

DE ACTIONE CARITATIVA SINGULORUM

20. [*Necessitas actionis caritativae nostris temporibus augetur*]. Licet huius temporis institutiones homines hominibus admoveant, ipsi tamen frequenter extranei manent animo ac spiritus solitudine afficiuntur et cruciantur: obligatio actionis caritativae singulorum, qua homo homini vere proximum et fratrem se praebet, non solum non minuitur sed verius augetur.

21. [*Efficacia actionis caritativae singulorum*]. Actio caritativa singulorum quae secreto et dulci animo egentem adit, miserationis affectu compulsa et plausu aliena, pauperi subsidium tempestivum praebet, quem ad certam spem inducit, fiduciam arctam inspirat singularemque prae se fert efficaciam.

22. [*Actio caritativa intimum hominis animum praesertim attingit*]. In caritate individuali exercenda, nisi gravis inopia pauperis aliter suadeat, curandum praecipue illa praestare quae humanae personae dignitati potius conveniunt, qualia sunt: consilia praebere et laborem suppeditare, atque in primis quae intimum hominis animum attingunt.

23. [*Spiritus caritatis singulorum est ratio felicis exitus etiam operum communis adsistentiae*]. Spiritu quo actionem caritativam individualem explicantes informari debent, etiam in adsistentiae communis institutis operam praestantes imbuantur, ita ut singuli suae caritatis instinctu incitati conspirent in felicem exitum communis caritatis.

CAPUT VI

DE ACTIONIS CARITATIVAE ORGANIZATO EXERCITIO

24. [*Caritatis opera collectiva*]. Caritatis opera non solum seorsim a singulis sed etiam associatis perfici natura socialis hominum exigit, ut, viribus unitis, efficacius procedatur.

25. [*Omnes christifidelium communitates caritatis consociationes se considerent*]. Cum obligatio actionis caritativae universam Ecclesiam teneat, omnes eius communitates veluti consociationes caritatis spiritu animatas sese considerent: quod pro Ecclesia tam universali quam particulari, in primis vero pro paroecia, ad effectum perducendum est.

26. [*Operibus caritatis ab Ecclesia commendatis laici cooperentur*]. Illis proinde caritatis operibus, de quibus in canonibus 467, 468, 469 C.I.C., laici libenter cooperentur, ii praesertim qui Associationibus Catholicis nomen dederunt.

27. [*Laicorum munia erga instituta caritativa*]. Sacrosancta Oecumenica Synodus laicis summopere commendat institutiones caritativas, eisdemque et nomina et subsidia dare invitat. Ergo laude digni sunt qui ad opera caritativa sese impendunt et qui, prout mores diversarum regionum ferant, otii sui magnam partem, v. g. diem dominicam, tempus vacationum aut ab opere vacuum, pro curandis miseris, senescentibus, aegrotis, sua sponte offerunt.

28. [*Relationes inter instituta caritativa et Hierarchiam*]. Quae de forma iuridica associationum et institutionum earumque ad Hierarchiam relatione dicta sunt, etiam ad instituta caritativa applicentur, ratione habita eorum peculiaris indolis.[1]

29. [*Associationes caritativae in ambitu dioecesano*]. Episcopi est pro sua Dioecesi, intra limites iuris universalis, opera et incepta organizata efficaciter coordinare, immo praeordinare, quae opportuna videntur, prouti adiuncta ferant, cooperantibus convenienter et clericis et laicis.

30. [*Associationes caritativae in ambitu nationali*]. In qualibet natione curent Episcopi ut adsit consilium quod omnium associationum caritatis coordinationi efficaciter provideat, prouti condiciones religiosae, politicae, oeconomicae, sociales cuiusvis nationis postulant. Huius consilii est etiam relationes curare inter ipsas associationes caritativas Ecclesiae et cetera adsistentiae socialis instituta, sive a publicis auctoritatibus sive a coetibus quibuscumque moderata. In hoc consilio clerici et laici partes habeant.

31. [*Associationes caritativae in ambitu internationali*]. Consilia coordinativa operum caritatis apud singulas nationes in efformando superiore consilio quodam internationali cooperentur, sicut iam fit in institutione quae dicitur « Caritas Internationalis ».

Huius consilii fines praecipui sunt:

a) in ambitu internationali studiis aptisque mediis, necessitatibus, etiam praeveniendo, consulere;

b) diversarum nationum actiones caritativas exigentiis Ecclesiae universalis accommodare;

c) cum aliis adsistentiae socialis consiliis internationalibus cooperari. Si Summo Pontifici placuerit, precibus nonnullorum Episcoporum accedenti, cuidam Sacrae Congregationi curam Apostolatus Laicorum committere, iuxta propositum supra expositum,[2] optandum est ut in eodem Dicasterio peculiare instituatur officium de actione caritativa.

32. [*Laici et institutiones caritativae a religiosis promotae*]. Cum inter opera caritatis quae in Ecclesia perficiuntur conspicua exstent instituta nonnulla ab Ordinibus vel Congregationibus religiosis, operibus caritativis praecipue intentis, inita, haec ut magni faciant Sacra Synodus laicos hortatur, auxilium et patrocinium eis praestare, et vocationes pro ipsis Ordinibus et Congregationibus fovere commendans.

NOTAE

[1] Cf. supra Part. I, *Notiones Generales,* Cap. II.
[2] Cf. supra Part. I, *Notiones Generales,* Cap. VIII, n. 54.

Caput VII

DE FORMATIONE LAICORUM AD ACTIONEM CARITATIVAM EXERCENDAM

33. [*Caritatis exercitium et personalis sanctimonia*]. Laici in mysterium caritatis Christi introducantur et caritatis misericordiaeque opera necessaria esse saluti edoceantur, praeterea ipsa ad evangelicam perfectionem et animi sanctimoniam consequendam rectam viam praebere et praeclarissimum vitae christianae testimonium offerre.[1]

34. [*Institutio ad actionem caritativam in familia, in paroecia, in dioecesi*]. Cum animi cultus sicut cuiusvis disciplinae initium sumat iam inde a puerili aetate, parentes necnon puerorum praeceptores curent exemplo esse officii caritatis liberis et discipulis, quos etiam ad opera caritatis instituant et ad ea exercenda, ipsis moderantibus, immittant.

Momentum et dignitatem operum caritatis moderatores institutionum in paroeciis et dioecesibus suis auditoribus illustrent et, si oportuerit, tueantur, ita ut christifideles omnibus ad egenos sublevandos inceptis, data opera et oblata pecunia, patrocinentur.

35. [*Institutio « methodologica » seu « systematica » laicorum ad actionem caritativam*]. Ii, quorum interest animarum salus, promoveant, ad exemplum Hierarchiae, cui laicos ad opera caritatis apparare semper curae fuit, institutionem eorum « methodologicam » seu « systematicam », quam vocant, novis semper adiunctis accommodatam. Quare, regulares cursus ad

hanc institutionem comparandam pro laicis quibus officium est exercendi adsistentiam et beneficentiam, laudandi et commendandi sunt. Ergo, quae iam exstant ad hunc finem scholae catholicae foveantur, aliaeque opportune erigantur.

Qui vero apud studiorum universitates in doctrina sociali tradenda incumbunt, doctrinam catholicam de adsistentia sociali, ratione habita progressus scientiarum, quod attinet ad vitam sive individualem sive socialem, curent elaborare.

Laici autem illa institutione informati non modo in opera et instituta Ecclesiae sese impendant, verum etiam in associationibus omnibus perviis, necnon publicis adsistentiae socialis inceptis, arrepta occasione vel opportunitate, operam navent, christianae caritatis afflatu ea curantes animare.

36. [*Fideles doceantur per opera caritatis Christum colere in fratribus*]. Fideles omnes doceantur debitam moderationem, studiosam observantiam, fraternum animi sensum erga proximum suum in exercitio caritatis servare, illud in primis prae oculis habentes: quod fit ad fratrem sublevandum a labore vel dolore, sibimetipsi fieri Christum in Evangelio affirmasse.[2]

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-8 aprilis 1962.

NOTAE

[1] Pius XII, *A.A.S.*, 44 (1952), p. 470. Hoc principio ductus, laicus A. F. Ozanam Associationes Vincentianas laicorum fundavit.

[2] *Mt.* 25, 48.

Pars IV

DE APOSTOLATU LAICORUM IN ACTIONE SOCIALI

Declaratio

I

Ecclesiae opera in christiana ordinis naturalis instauratione

1. *In praesenti oeconomia aeternae salutis hominum, omnes naturalis ordinis fines ad supernaturalem ultimum hominis finem ordinantur.*

Qua de re uterque ordo — et naturalis et supernaturalis — unicum historicum divinae Providentiae consilium constituit.

Non sunt tamen confundendi neque separandi; sunt vero distinguendi; et ordo naturalis ita actuari debet ut supernaturalis ordinis effectionem non impediat immo potius secundet, etenim homines in ordine supernaturali proprium finem ultimum consequuntur.

2. *Ordo naturalis suam propriam autonomiam habet; habet scilicet fines proximos, leges, methodos, media, principia auctoritatis, officia et iura propria aut in sua ipsius natura fundata. In tempore igitur ad actum perducitur fines eius agnoscendo et prosequendo; legibus suis scilicet oboedientiam praestando, suam methodum adhibendo, principiis suis auctoritativis exercendis, officiis implendis ac iuribus vindicandis quae in eius ambitu continentur. Ordo vero supernaturalis requirit ut activitates temporales in fide et caritate exerceantur iuxta sententiam Pauli Apostoli dicentis: « Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite ».*[1] *« Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum ».*[2]

3. *In historica ordinis naturalis actuatione homines peccati originalis vulnere infecti,*[3] *in multos ac gravissimos prolapsi sunt errores, ad cognitionem veri Dei praesertim necnon naturae humanae et ordinis moralis principiorum quod attinet.*

Huiusmodi errores ipsorum activitates et temporalis ordinis instituta pervaserunt; inde consectaria maxime negativa quoad personae humanae dignitatem et vitae mores effluxerunt.[4]

Hodie igitur sicut et praeteritis temporibus Ecclesiae est operam suam praestare ad ordinem naturalem in seipso instaurandum eumque ad ordinem supernaturalem ordinandum.

Iamvero in hac Ecclesiae opera munus maximi momenti et omnino necessarium ad fideles laicos spectat.

4. *Haec Ecclesiae opera tendit, praesertim hodie, ad omnes notiones scientificas componendas in apta rationali cognitione Dei, humanae personae, principiorum ordinis moralis. Ad temporales activitates explicandas intra moralis ordinis ambitum; ad temporales institutiones informandas principiis moralibus.*

Christifideles insuper caritatis afflatu temporales activitates vivificare vocantur.

5. *Ecclesiae opera in naturali ordine instaurando ac ad Deum ordinando, in omnibus suis elementis considerata, apparet tamquam vera aliqua forma apostolatus, quatenus et ipsa verum aliquod testimonium exhibet de exsistentia Christi et Spiritus eius in mente fidelium.*

Etenim redemptiva Christi actione fideles maiore cum claritate, firma cum certitudine et nullo admixto errore ordinis moralis principia cognoscere valent; itaque ad huiusmodi principia detegenda sive ad eadem clarius cognoscenda alios adiuvare possunt; temporales activitates caritate animare queunt, unde eae efficientiores in ipso ordine naturali ad eius pertingendos fines redduntur; simulque tandem spiritualium rerum desiderium in aliis accendere valent viamque ad ceteras apostolatus formas sibi ipsis sternere, quae magis conferunt ad vitam supernaturalem in aliis suscitandam.

II

6. *Expositio huius Partis in duos Titulos dividitur*:

In primo Titulo considerantur rationes communes respicientes Ecclesiae opera in christiana ordinis naturalis instauratione. In hac enim parte quid huiusmodi restauratio complectatur declaratum est; dictum est scilicet de partibus quae necessario ad laicos in ea actuanda spectant; de diversis formis ac methodis adhibendis iuxta diversas historicas conditiones in quibus Ecclesia operatur; de necessitate aptae educationis laicorum ad hunc finem; de possibilitate ac de officio spiritualem perfectionem prosequendi ad finem supernaturalem pertingendum mediantibus ordinis naturalis activitatibus in fide et caritate exercendis.

In altero Titulo de diversis ordinis temporalis saeptis, in quibus Ecclesia, praesertim per laicos, hodie ad instaurandum in Christo hunc ordinem adlaborat, actum est. Sunt procul dubio magni momenti saepta; haec tamen prae ceteris delecta sunt ratione habita doctrinae Summorum Pontificum hac in re in novissimo saeculo praesertim; et considerata sunt etiam quae Episcopi ad Commissionem Antepraeparatoriam Concilii Vaticani II miserunt.[5]

In unoquoque ex dictis saeptis quaedam enunciantur principia et quaedam normae doctrinae socialis Ecclesiae non sane ad corpus doctrinae systematicum componendum, sed ad fideles, praesertim laicos, hortandos ut ea ad actum perducant, concretae situationis historicae ratione habita.

NOTAE

[1] *I Cor.* 10, 31.
[2] *Col.* 3, 17.
[3] Cf. *Rom.* 5, 12-21.
[4] Cf. *Rom.* 1, 18-32; 3, 9-20.
[5] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, Pars I, pp. 100-118, Pars II, pp. 710-712.

PROOEMIUM

[*Ordo temporalis in Christo instaurandus*]

Cum Deus Omnipotens, Factor caeli et terrae, universum mundum disposuerit ad gloriam suam in plenitudine Christi, Filii Sui, Verbi Incarnati, consummandam, meminerint Christifideles se non tantum ut terram repleant atque subiiciant [1] esse vocatos, sed insuper ad universum temporalem ordinem in Christo instaurandum ac perficiendum, secundum illud Apostoli: « omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ».[2]

Quapropter apostolatus Ecclesiae etiam ipsum ordinem temporalem attingit, pervadit atque informat, ita quidem ut, integer manens in sua natura, totus simul ea vita vivificetur qua abundamus in Christo Iesu.

[*Libertas filiorum Dei erga hominum opera servanda*]

Hodiernae aetatis proprium est ut homo, scientiae et artium ingenti progressu in temporalibus ditatus, necnon bonorum omnis generis copia, aptior in dies appareat ad divinam suam circa mundum vocationem adimplendam. Alia tamen ex parte, his ipsis particularibus bonis seductus, haud parum periclitatur ne, universalis et integrae suae naturae sensum amittens, servus operum quae ipse confecit magis inveniatur, quam regali illa filiorum Dei libertate erga res creatas excellens, ad quam mirabiliter conditus est et mirabilius reformatus.[3]

[*Progressus scientiarum et artium doctrina christiana compleatur*]

Sacrosancta Synodus igitur fideles omnes hortatur ut scientiarum et artium progressui libenter pro viribus operam dent, illumque compleant apta cognitione hominis « ad imaginem Dei » conditi,[4] ordinis moralis, et Creatoris mundi. Studeant insuper ut divina illa Lux, quae est Christus « Imago Dei invisibilis »,[5] in quavis humani cultus regione resplendeat, et ab Ipsa tota veritas, in ordine sive naturali sive supernaturali, magis magisque scateat.

[*Actio vero temporalis legi morali confirmanda ac caritate perficienda*]

Christifideles pariter naturalis ordinis activitates et institutiones, dum eas ad normam principiorum ipsis inditorum regunt, simul semper legi morali subiiciant. Cuius observantiam caritate quae finis ac plenitudo legis est [6] informent, ita ut ordo naturalis totus in Christo instauretur et perficiatur.

NOTAE

[1] Cf. *Gen.* 1, 28.
[2] *I Cor.* 3, 23.
[3] Cf. *Miss. Rom.*, ad Offertorium.
[4] *Gen.* 1, 26.
[5] *Col.* 1, 15.
[6] Cf. *Rom.* 13, 10.

TITULUS I

DE ACTIONE SOCIALI IN GENERE

CAPUT I

DE LAICORUM ACTIONE IN INSTAURANDO ET PERFICIENDO ORDINE NATURALI

1. [*Munus proprium laicorum*]. Christianae ordinis naturalis instaurationi ac perfectioni totius Ecclesiae est operam dare. Iamvero, sacra ei a Suo Institutore indita structura requirit, ut fideles qui ad officia clericorum

deputantur, etiam in ordine ad temporalia imprimis ut Divini Verbi praecones et divinorum mysteriorum dispensatores inveniantur; [1] laici vero, licet in iis mysteriis participent, rebus temporalibus tamquam proprio ordinario muneri incumbant.

2. [*Ad quod implendum parati sint*]. Laici igitur, in temporali ordine ad Christi gloriam aedificando, propriam in diversis rerum temporalium provinciis aptitudinem, distinctam intelligentiam, prudens in procedendo iudicium, applicent accurate; ad quae omnia praeparantur diuturno studio, cotidiano usu propriae et alienae experientiae, indagatione quaestionum quovis die exsurgentium, diligenti denique laborandi methodo.

3. [*In nonnullis aptiores sunt*]. Laicis etiam convenientius solvendae relinquuntur quaestiones haud paucae, quae ex rapido scientiarum et artium progressu circa res continuo mutantes oriuntur et in quibus persaepe, quamvis de discernendis rebus non parvi momenti pro Regno Dei agatur, implicatio tamen vel incertitudo rerum plures licitas et magis consentaneas procedendi vias aperit. Efficax praeterea agendi opportunitas in diversis ordinis temporalis campis iis praebetur qui ordinarie ipsis incumbunt.

NOTA

[1] *I Cor.* 4, 1.

Caput II

DE RELATIONE LAICORUM AD HIERARCHIAM [1]

4. [*Propria industria et responsabilitate agant*]. In universo temporali ordine instaurando christifideles, praesertim qui peculiari ornantur aptitudine, propria industria et responsabilitate agant, ratione semper habita ordinis moralis evangelica caritate perficiendi.

5. [*Munus Hierarchiae*]. Huius ordinis principia authentice interpretari et enucleare munus est ecclesiasticae Hierarchiae, cuius etiam fas est iudicare, omnibus rite perpensis, de conformitate operum et institutionum ordinis temporalis cum principiis moralibus et decernere de eis quae ad ordinis supernaturalis bona custodienda et promovenda requiruntur.

6. [*Laudantur laicorum incepta*]. Hierarchia in actione sociali laicorum generosa et efficacia incepta summopere laudat atque commendat, eosque in Domino invitat ut suas ipsius decisiones prompto animo ad effectum deducant.

7. [*Consilia de actione sociali instauranda*]. Commendat Sancta Synodus ut pro dioecesibus aliquod de actione sociali consilium instauretur, ex peritis sacerdotibus simul et laicis compositum, quod Hierarchiam in suo apostolico munere adiuvet. Pro universali autem Ecclesiae apostolatu simile consilium constituatur.[2]

NOTAE

[1] Quamvis in prima Constitutionis parte generalia principia relationum laicorum ad Hierarchiam iam exposita sint, convenientius hoc loco ea complentur quae in specie regunt operas temporales.

[2] Hoc consilium distinguendum est ab illa institutione coordinativa, de qua supra in Parte I, n. 54 sermo est, eique inserviat.

CAPUT III

DE ACTIONIS SOCIALIS FORMIS

8. [*Seligendae formae quae simul christianis principiis et concretis adiunctis respondeant*]. Cum diversissimae inveniantur in variis populis et communitatibus conditiones religiosae, culturales, sociales, politicae, fideles, sicut in omnibus operibus ad apostolatum christianorum pertinentibus, ita etiam in actione sociali exercenda eas seligant formas et methodos quae universalia vitae christianae principia, concretis temporum et locorum adiunctis spectatis, melius et efficacius applicari sinunt.

9. [*In varios coetus et institutiones christifideles conferant ad bonum commune*]. Hac in re permagni est christifideles variis coetibus socialibus, institutionibus, condicionibus rerum conferre ea quae christianorum propria sunt.

Formae ac methodi eligantur quae cum rerum natura consonent.

Insuper in formis eligendis semper prae oculis habeatur et singulorum coetuum utilitas et bonum commune, sive Reipublicae sive Ecclesiae Universalis.

10. [*De cooperatione catholicorum cum aliis*]. Communis veritatum christianarum vel saltem naturalis legis agnitio permittere potest, locorumque et temporum adiuncta requirere queunt catholicorum participationem cum aliis in actionibus, immo in associationibus ad fines temporales honestos attingendos. Quod si fiat, formationem catholicam ad hanc operositatem congruis subsidiis sibi comparare catholici ne omittant.

CAPUT IV

DE LAICIS AD ACTIONEM SOCIALEM EFFORMANDIS

11. [*Praeparatio requisita*]. Ad actionem socialem apte exercendam, laici praeparentur sub adspectu technico, doctrinali, morali.

Curare oportet ut unusquisque suam vocationem sequatur, ad suiipsius perfectionem, necnon ad bonum commune prosequendum.

12. [*Technica praeparatio ab idoneis institutis tradatur*]. Ad instructionem et educationem technicam, cuique campo propriam, collaborare debent

institutiones speciatim idoneae, ut sunt familiae, scholae, coetus, motus,[1] syndicatus, consociationes professionales et politicae.

13. [*Doctrinalis eruditio, pars integrans educationis*]. Doctrinalis eruditio in re sociali est pars integrans educationis et a pueritia, prout par est, iam inchoetur oportet: parentes, magistri, catechistae et alii periti pueros et adultos modo idoneo eam doceant, ratione semper habita adiunctorum in quibus ipsi degunt.

Enitendum est ut doctrina socialis Ecclesiae modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas, tum scriptis periodicis, tum libris, tum denique radiophonicis et televisificis transmissionibus adhibitis.[2]

14. [*Doctrina socialis Ecclesiae in institutis tradenda*]. In institutis temporalibus principiis christianis perfusis, eadem doctrina socialis Ecclesiae tradatur a sacerdotibus, religiosis et laicis rite eruditis et probatis.

15. [*Erigantur scholae sociales pro laicis*]. Curandum est ut scholae vel instituta socialia erigantur, in quibus idonei laici in doctrina sociali catholica opportune erudiantur, ita ut, etiam gradibus academicis ornati, approbentur ad ceteros doctrinam socialem docendam.

Insuper instituta erigantur ad formandos eos qui actioni sociali incumbunt.

Laici erudiantur de ratione doctrinali contenta in iis quae proprio marte decernunt.

16. [*Educatio concreta, mediante actione adquiritur*]. Educatio concreta, vitae personali et socialibus condicionibus aptata, ipsa mediante actione adquiritur; nam « nemo novit iuxta doctrinam catholicam in re oeconomica et sociali agere, nisi reapse in eadem provincia et iuxta eandem doctrinam agendo ».[3]

Laici mente et affectu ad illam suiipsius activam efformationem dirigantur oportet, qua accurate muniti, adminiculum non neglegendum ad ipsam doctrinam elaborandam afferre poterunt. Ad illud iuvabit influxus quem vicissim exercent mediantibus consociationibus, praesertim christianis.

17. [*Methodus concreta doctrinae applicandae*]. Doctrinam socialem Ecclesiae ad effectum deducere arduum est opus; quapropter, praeter principia etiam methodum adquirere oportet, unde ad concretam applicationem deducantur. Qua in re in mentem revocantur tres procedendi gradus tribus hisce verbis significati: *aspicere, iudicare, agere.*[4]

18. [*Fraterna caritas in actione temporali*]. In inceptis ordinis temporalis rite exercendis, fraterna caritas ad omnes extendatur, qui viis etiam disparibus ad eundem finem tendunt; suppositis immo iudiciis nonnumquam discrepantibus, ubi, citra veritatis certitudinem, amplissimus liberae opinioni remanet locus.

Caveant christifideles studiosissime ne vires suas crebris extenuent contentionibus, neve, per speciem quaerendi id quod sibi videatur optimum, illud interea praetermittant quod revera efficere possint, atque ideo efficere debeant.[5]

19. [*Modus operam praestandi cum acatholicis*]. Catholici, cum in mu-

neribus exsequendis, ad res oeconomicas socialesve pertinentibus, homines attingunt, qui secus atque ipsi de vita sentiunt, sibimetipsis semper constent, neve ad ea media consilia descendant, e quibus aut religionis aut morum integritas aliquid detrimenti capiat. Pariter tamen aliorum sententiam aequa perpendant benignitate, et parati sint ad ea cum fide coniunctisque viribus efficienda, quae vel suapte natura sint bona, vel ad bonum adducant.[6]

20. [*Necessitas fovendae vitae spiritualis*]. Ad actionem socialem rite exercendam, vitam supernaturalem nutriant oportet: assidua Verbi Divini meditatione, sacramentorum frequentatione, ad sacram liturgiam activa participatione.

NOTAE

[1] Mouvement, Movimento, Movimiento, Movement, Bewegung.

[2] « Optamus praeterea, ut haec de re sociali disciplina in indicem addatur religiosarum materiarum, quibus vel paroeciae vel consociationes laicorum apostolatui incitando suos erudiunt; modis omnibus in vulgus emanet, quos recentior induxerit aetas: hoc est, tum scriptis, quae vel cotidie vel in certos dies in lucem edantur; deinde libris de studiis doctrinae emissis, aut eruditorum aut vulgi captui aptis, denique in radiophonicis et televisificis transmissionibus adhibitis » (*Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 [1961], p. 454).

[3] *Mater et Magistra* (*A.A.S.,* 53 [1961], p. 455; insuper: « Hanc ob causam in eiusmodi evulganda institutione magnae partes esse dandae videntur consociationibus apostolatui laicorum promovendo, iis praesertim quibus sit propositum, ut quod in re praesenti sit suscipiendum, id vim suam ex lege christiana omnino capiat; utpote quarum sodales e cotidiano harum rerum usu possint prius seipsos, postea iuvenes ad huiusmodi officia exsequenda melius informare » (*Ibid.*).

[4] *Mater et Magistra* (*A.A.S.,* 53 [1961], p. 456): « doctrinae praecepta quae sunt de rebus socialibus plerumque per tres hos gradus ad effectum adducuntur: primum quae sit vera rerum condicio circumspicitur; deinde hic rerum status diligenti aestimatione cum praeceptis iisdem confertur; tum demum quid suscipi possit quidve suscipi debeat statuitur, ut normae, quae traditae sunt, pro temporum locorumque habitu, usurpentur. Qui tres procedendi gradus tribus hisce verbis: *aspicere, iudicare, agere,* passim significantur ».

[5] « At vero, cum ad effectum haec praecepta sunt adducenda, fieri nonnumquam potest, ut vel ipsi catholici homines, et ii quidem mente sincera, in varias discedant sententias. Quod ubi contingat, sit nihilominus iisdem curae, ut simul mutuam inter se exsistimationem et observantiam servent atque testentur, simul rimentur ad quod collatis consiliis conspirare possint; ut quod necessitas flagitet, tempestive praestent. Caveant praeterea studiosissime, ne vires suas crebris extenuent contentionibus, neve per speciem quaerendi id quod sibi videatur optimum, illud interea praetermittant quod revera efficere possint, atque ideo efficere debeant » (*Mater et Magistra,* l. c., p. 456).

[6] *Mater et Magistra,* l. c., pp. 456-457.

Caput V

DE GLORIFICATIONE DEI AC DE SUPERNATURALI CHRISTIFIDELIUM PERFECTIONE

21. [*Dei glorificatio*]. Sacrosancta Synodus recolit ordinis temporalis aedificationem, iuxta principia exposita, ad Dei glorificationem pertinere.

22. [*Supernaturalis christifidelium perfectio*]. Christifideles insuper, in ordine temporali operantes, propriam perfectionem supernaturalem prosequi possunt ac tenentur.

Operas ergo temporales exercentes secundum leges ipsis insitas ad fines earum proprios consequendos, fide et caritate agant, iuxta illud Apostoli: « Veritatem facientes in caritate, crescamus in illo, per omnia, qui est caput Christus ».[1]

23. [*De caritatis efficientia in temporali operositate exercenda*]. Meminerint christifideles, si cum fide et caritate temporales operas compleant, earum vim non minuere sed potius augere, etiam ad ipsum obtinendum ad quod eaedem activitates natura sua ordinantur. Nam qui « lux in Domino »[2] facti sunt, atque « ut filii lucis »[3] ambulant, tutiore iudicio percipiunt quid ex iustitiae normis sit agendum in variis humanae navitatis provinciis; et qui christiana caritate ducuntur efficacius agunt, cuiuscumque generis eorum operae sint.[4]

NOTAE

[1] *Eph.* 4, 15.

[2] *Eph.* 5, 8.

[3] *Ibid.*

[4] Cf. *I Cor.* 13, 4-7; *Mater et Magistra*: « Quotiescumque humana agitatio atque instituta, quae in huius vitae rebus versantur, etiam ad animi profectum et ad sempiternam hominis beatitatem adiuvant, tum eadem censenda profecto sunt efficaciore vi pollere ad id ipsum obtinendum, ad quod suapte natura proxime spectant. Siquidem per omne tempus valitura est praeclara illa Divini Magistri sententia: « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis », *Mt.* VI, 33. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 461.

Titulus II

DE ACTIONE SOCIALI IN SPECIE

Praeambulum

[*De christiana ordinis temporalis informatione*]

Crescente in dies activa in Ecclesia laicorum generosa voluntate ad assumenda et praestanda propriae responsabilitatis munera, magis magisque in ipsa societate civili accrescit propensio, ut omnes, qui apti sunt, et personae

et coetus, ad culturalis, socialis, politicae vitae participationem admittantur. Quae quidem collaborandi facultas christianis omnibus et ansam praebet et obligationem informandae civilis societatis principiis et spiritu christianae doctrinae socialis.

Quapropter Sacrosancta Synodus omnes laicos hortatur ut tantum sibi munus in omnibus ordinis temporalis saeptis commissum agnoscant et exsequantur, speciali tamen ratione habita sequentium magni momenti negotiorum.

Caput I

DE FAMILIA [1]

24. [*In ordine sociali, familia praestantiorem locum tenet*]. Cum familia in omnibus humani christianique cultus saeptis evolvendis praestantiorem locum obtineat, Sancta Synodus ipsam appellat ad ea officia adimplenda quae ipsi incumbunt tamquam naturali, iuridicae, sociali, oeconomicae, morali unitati.[2]

25. [*Familiae et consociatarum familiarum munera*]. Laudantur fructuosi conatus familiarum efficiendi, propria navitate, ea quae ad hunc finem ducunt; quod quidem, collatis earum associationum viribus, congruentius obtinetur.[3]

Cum familiae, ratione structurae et amplitudinis, muneris et efficientiae socialis, necnon modi auctoritatis exercendae multum inter se differant, familiae ipsae et earum consociationes constanter studeant ut, condicionibus temporum et regionum continuo mutantibus sese aptantes, essentiales domesticae societatis fines efficacius attingant.

26. Satagendum est ut iustitia et iuribus socialibus plene fruantur domestici adiutores eorumque — praesertim adolescentium — personalitatis moralis, professionalis et socialis recta evolutio foveatur.

Agnoscatur domesticis ius et possibilitas active participandi associationibus religiosis et socialibus, praesertim iis, quae ab ipsis et pro ipsis specialiter instituantur.

27. [*Familia a diversis institutionibus iuvanda*]. Familiare institutum ab omnibus societatis institutionibus corroboretur et protegatur, ita ut, propria industria, fines suos naturales assequi valeat; quod postulat ut coniuges libere vires suas sibi invicem et proli dicare possint; ut parentes propriam responsabilitatem filios educandi et sustentandi ad effectum perducere queant; ut familiae decenti habitatione et congrua vitae securitate gaudeant.

Qua in re conandum est ut familiae, pro diverso prolis numero, congruis vitae condicionibus fruantur.[4]

28. [*Respublica tueatur iura parentum et familiae*]. Fideles insuper quod ad publicas potestates attinet, propriam et primariam parentum responsabilitatem vindicent quoad condignam prolis et procreationem et educationem. Curent ut leges et administratio publica hac in re familias efficaciter adiu-

vent, praesertim quoad habitationem, proprietatem, laborem, securitatem, tributa, earumque publicam aestimationem mediis efformandae opinionis promoveant, et vitam contra errores et abusum libertatis defendant. Adversentur insuper dispositionibus iuridicis quibus iura coniugii et familiae laeduntur, etiam sub specie et per modum adiutorii.

In ordinandis emigrationibus, summopere attendatur ad domestici convictus iura et officia.[5]

29. [*Colendae in vita familiari virtutes sociales*]. In vita familiari, sedulo servari debent ordo interior ac leges coniugii et familiae. Et ideo specialiter colantur sociales virtutes quales sunt veracitas, caritas, pietas, oboedientia, iustitia, fidelitas, discretio, patientia, hospitalitas. Responsabilitatis sensus, aestimatio mutua, in prosperis et adversis collaboratio et gratitudo nutriantur.

Parentes filios ad libertatis intra fines ordinis moralis usum educent, suo praesertim exemplo, iuxta illud Apostoli: « Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini ».[6]

NOTAE

[1] De familia hic agitur quatenus constituitur in ordine temporali sociali; qua talis enim in toto hoc ordine tractando omitti nequit. Eadem ex causa magis conveniens esse visum est commissioni praeparatoriae, non omnia, quae in hac Constitutione de familia edicuntur, integro quodam capite cohaerenter absolvere.

[2] Leo XIII, *Rerum Novarum, A.S.S.*, 23 (1890-91), p. 646; Pius XI, *Divini Illius, A.A.S.*, 22 (1930), pp. 52, 63; Pius XI, *Mit brennender Sorge, A.A.S.*, 29 (1937), pp. 164-165; Pius XII, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19.

[3] Pius XII ad Delegatos Unionis Intern. Sodalitatum ad iura familiae tuenda, Romae coadunatos, 20 sept. 1949, *A.A.S.*, 41 (1949), p. 552.

[4] Pius XI, *Divini Illius, A.A.S.*, 22 (1930), p. 63; *Casti Connubii, A.A.S.*, 22 (1930), pp. 587-588; *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, 23 (1931), p. 200; Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941, *A.A.S.*, 33 (1941), p. 202; Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 20; Operariis ex Italiae dioecesibus coadunatis, 13 iunii 1943, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 172.

[5] Idem ac supra, insuper: Pius XI, *Casti Connubii, A.A.S.*, 22 (1930), p. 554; Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941, *A.A.S.*, 33 (1941), p. 203; Delegatis ad Conventum Unionis Internationalis Sodalitatum ad iura familiae tuenda, Romae coadunatis, 20 septembris 1949, *A.A.S.*, 41 (1949), p. 552; Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes, 18 septembris 1951, *A.A.S.*, 43 (1951), p. 731; Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1952, *A.A.S.*, 45 (1953), p. 41; Ioannes XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.*, 53 (1961), pp. 429, 439.

[6] *Eph.* 6, 4.

CAPUT II

DE EDUCATIONE

30. [*Christianae educationis momentum*]. Civilis cultus (« civilitas ») noster celeriter in dies augescit scientificae praesertim ac technicae indolis incrementis.

Gravior igitur fit quaestio educativa cuius exitus arctis iungitur nexibus cum integro singulorum hominum auctu, cum debita in vita sociali efficacitate, cum ultimi denique finis hominum adeptione. Ad eiusdem ergo felicem successum non tantum singuli homines sed etiam familia, civilis societas et Ecclesia tenentur.[1]

31. [*Ius et munus familiae*]. In omnibus scholis pro minoribus a quibusvis rectis agnoscatur ius parentum liberos educandi. Habet enim familia proxime a Creatore munus proptereaque ius prolis educandae: quod quidem nulli in terris potestati infringere licet.

32. [*Ius Ecclesiae declaratur*]. Ius Ecclesiae propria instituta scholastica, cuiusque gradus, cuiusque ordinis, erigendi et colendi agnoscatur, immo vindicetur et defendatur.

33. [*Instaurandae sunt et iuvandae scholae christianae*]. Curent parentes ut scholae quas eorum proles frequentat placitis educationis christianae vere respondeant. Ad hoc etiam conferant ut huiusmodi scholae sufficienti copia pro quovis educationis gradu et ordine erigantur, qua in re ab omnibus catholicis iuventur oportet. Concordibus viribus enitantur efficere ut huiusmodi ius publice agnoscatur et in praxim deducatur.

34. [*Conditionibus hodiernis aptetur educatio*]. Omnes qui in universa educationis ratione participant, id est, familiae et earum consociationes, Ecclesia, publicae auctoritates, instituta ordinis tum oeconomici tum culturalis in eo concordent ut eruditionis et educationis obiectum ac methodus requisitis dierum nostrorum oeconomicis, culturalibus, socialibus accommodentur, ita tamen ut dignitas humanae personae et colatur et perficiatur.

35. [*Accessus culturae omnibus pateat*]. Christifideles ita progressum socialem promoveant, ut cuiusque coetus pueris et puellis, nullo admisso discrimine, fundamentalis eruditio et idonea educatio tradi possit; immo ita satagant ut iuniores illi qui sagaci ingenio gaudent et firma voluntate donantur mentis eminentiorem cultum animique ornamentum recipere valeant.

36. [*Proprium adulescentium ingenium colendum*]. Studeant insuper ut scholae in disciplinis suis ac methodis conferant ad integram educationem. Curent ut adulescentes idoneam praeparationem scientificam et technicam acquirant; ut ad illas dirigantur activitates quae proprio eorum ingenio respondeant; ut superiorum bonorum magis magisque conscii iudicare assuescant, proprio marte et recte agere addiscant, sensumque socialem sibi efforment. Ad quae omnia obtinenda magistri eorumque consociationes efficaciter conferre vocantur.

Magistri catholici et educatores sui muneris praestantiam et Christi docentis exemplum [2] prae oculis habeant semper.

37. [*Educatio in diversis laboris campis*]. Cum nostris diebus magni momenti sint, in educandis adulescentulis, incepta et institutiones laboris, curent parentes, publicae potestates, bonis gignendis consociationum et collegiorum opificum moderatores, sodales, praesertim maiores natu, ut etiam laborandi rationes, relationes et condiciones, exigentiis physicae, professionalis, socialis, moralis et religiosae educationis rite adaptentur.

38. [*Pro subnormalibus*]. Apte seligantur rationes et viae ad puerorum et adolescentium qui « subnormales » dicuntur, educationem et formationem rite perficiendam.

39. [*Adultorum educatio*]. Christifideles adultorum educationem et efformationem ne negligant, sive agatur de rudimentis docendis aut complendis, sive de concreta praeparatione ad vitam socialem plene evolvendam, praesertim propria industria et responsabilitate etiam in minoribus coetibus. Quam adultorum educationem spiritu christiano animare contendant.

40. [*Temporis liberi conveniens usus*]. In hodiernae societatis adiunctis, peculiariter attendendum est quantum ad vitam religiosam, ad concordiam vitae familiae, ad intensiorem participationem vitae sociali et ad progressum culturae vel institutionis personalis conferat etiam temporis liberi rectus usus. In qua ita quidem iuvenes educandi sunt ut, propria responsabilitate, tempore honeste ac fructuose utantur: quae hac in re laudabiliter peraguntur a catholicis societatibus, praesertim iuvenilibus, Sacrosancta Synodus omnibus commendat.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XI, *Divini Illius, A.A.S.,* 22 (1930), p. 51.
[2] Cf. *Mt.* 23, 8.

CAPUT III

DE CONDICIONE MULIERUM IN LABORE ET VITA SOCIALI [1]

41. [*Dignitas mulieris*]. His nostris temporibus mulieres, quicumque sit civilis cultus (civiltà) ad quem pertinent et in quo vivunt ac operantur, in dies magis ac magis propriae dignitatis consciae fiunt.

Attamen Sancta Synodus, vehementer dolet in nationibus non paucis atque in latis etiam terrarum continentibus vitae conditiones ac laboris formas, quibus mulieres permultae coguntur, nimis onerosas immo non raro inhumanas esse.

Invitantur proinde Christifideles omnes ut, dignitatem mulieris agnoscentes, in omnibus vitae socialis campis eiusdem dignitatis concretae instaurationi faveant.

42. [*Fundamentalis aequalitas viri et mulieris*]. Viri mulierisque a Creatore indita distinctio ac eorum ad invicem ordinatio agnoscantur, simul tamen praedicetur illa aequalitas qua gaudent ut personae et Dei filii adoptivi.[2]

43. [*Munus proprium mulieris in vita sociali*]. Mulieres bona omnia vitae supernaturalis et terrenae attingere oportet qua mulieres, propriam operam in omnia saepta afferentes, ita ut earum personalitas plene evolvatur et inde societas reapse ditetur.[3]

Satagendum ergo est ut in omnibus rerum et locorum adiunctis eae condiciones vitae mulieribus efformentur ut ipsae propria dona plenius attingere ac explicare queant.

Meminerint mulieres Deum ipsis praesertim vitae humanae thesaurum concredidisse, et in munere prolis educandae, nobilissimo quidem et arduo, matrem numquam ex toto suffici posse.

44. [*Laboris mulieris dignitas*]. Perfectiones illae individuales et sociales personae humanae communes quae ex labore oriuntur, merito praedicantur etiam de labore mulierum; quae tamen in eo suscipiendo et peragendo semper prae oculis habeant quantum earum operositas domestica valeat ad vitam familiarem bene ordinandam.

45. [*Mulieres extra domum laborantes*]. Cum mulieres laborem extra domum exercent, curent et ipsae et omnes qui de iis respondere debent, ne utilitates propriae et sociales quae inde, vel immediate vel pro honesta posteriore vita, praesertim si non nupserint, gignuntur, in detrimentum vergant superiorum bonorum, moralium et socialium, speciatim vero familiae, sed ea promoveant.

46. [*Uxoris et matris muneri detrimentum ne afferatur*]. Uxoris et matris labor primariis familiae muneribus nullum detrimentum afferat. Satagendum ergo est ne umquam mater ex necessitate cogatur operas externas suscipere quae eius obligationes familiares in discrimen adducant.[4]

Si mulier, vel ex necessitate vel ad evolvendas peculiares ingenii vires, extra domum operas exerceat, aptis et multiplicibus dispositionibus ei vera libertas detur illas eligendi, quae eius mulieris et matris condicioni conveniunt.

47. [*Congrua praeparatio requisita*]. Ut mulieres plene et absque ullo detrimento dotes propriae personalitatis in vita sociali et in labore evolvere queant, necesse est ut congrua religiosa, intellectuali, sociali, technica institutione ornentur, quae mulieris indoli, aetati et condicioni, societatis progressui ac temporum et locorum adiunctis, accommodata sit.

Valde ergo laudantur mulierum consociationes quae operam navant ad talem educationem et actionem socialem.

NOTAE

[1] In hoc capite non agitur de muliere in Ecclesia et in familia, sed tantum de muliere quoad laborem et vitam socialem; proferuntur tamen animadversiones circa vitam religiosam et moralem et circa munera familiae quae cum labore et vita sociali mulieris connectuntur.

[2] Cf. *Gal.* 3, 28; Pius XII, 21-X-1945, *A.A.S.,* 37 (1945), p. 285.

[3] Pius XII, 14-X-56, *A.A.S.,* 48 (1956), p. 782; Ioannes XXIII, 6-IX-61.

[4] Cf. *Quadragesimo anno, A.A.S.,* 23, p. 200; Ioannes XXIII, 8-XII-1960.

Caput IV

DE ORDINE RERUM OECONOMICARUM ET SOCIALIUM

48. [*Divitiae ad iustitiae et aequitatis normas distribuantur*]. Postremis hisce decenniis oeconomicae plurium nationum rationes producendi efficacitatem admodum adauxerunt.

Attamen dum divitiae non raro ingentissimis auctibus in quorumdam praedivitum manibus congeruntur, hic atque illic plurimi inveniuntur homines qui asperam coguntur degere vitam, quique miseriae ac famis angustiis oppressi, summis vitae iuribus minime fruuntur.

Christifideles proinde omnesque honesti homines pro viribus enitantur ut oeconomicae res ad iustitiae et aequitatis normas instruantur et mutua gentium collaboratio in socialibus et oeconomicis saeptis in dies efficacior reddatur.

49. [*Activitas oeconomica legi morali submittitur*]. Salva indole propria scientiae oeconomicae quoad obiectum et methodum, necnon autonomia operositatis oeconomicae quoad finem proprium et immediatum, activitas oeconomica exercetur attento ordine morali.[1]

Finis vero activitatis oeconomicae dirigitur ad illam bonorum temporalium copiam quae efficaciter omnium personarum, familiarum, civitatum, necnon totius humani generis progressui sociali et morali favet.[2] Sollerter ergo omnes, praesertim qui divitiis pollent, ab immoderato bonorum temporalium appetitu caveant, memores omnium officiorum caritatis et iustitiae in ordine tum individuali tum sociali.

50. [*De remuneratione laboris*]. Quoad laboris remunerationem, iustitiae et aequitatis normae omnino sunt servandae. Hoc sane postulat ut opifici merces tanta saltem solvatur quantum ad vitam degendam homini dignam et ad familiae onera convenienter ferenda par sit. Ratio etiam habeatur boni communis propriae civitatis et totius humanae familiae, necnon condicionum societatem bonis gignendis.[3]

51. [*De libertate in proprio labore eligendo*]. Libertas eligendi proprii laboris modum et locum, ratione habita iurium familiarum et boni communis, agnoscatur, vindicetur et ad effectum deducatur.

Omnes in solidum cooperentur ut laboris opportunitas omnibus pro posse comparetur et servetur.[4]

52. [*De laboris dignitate et opificum promotione*]. Humanae personae dignitas exposcit ut societas bonis gignendis veram induat humanae consortionis speciem. Hoc flagitat ut opifices numquam tamquam obiecta seu instrumenta, semper vero ut subiecta seu personae agnoscantur et tractentur; distinctione servata quam requirunt condiciones technicae et iuridicae, omnes plene communicent in mutuo obsequio et benevolentia; in sincera virium concordia conspirent; laborem, non tantum ut inde lucrum capiant, verum etiam ut munus sibi creditum, perficiant; ut opifices ipsi vocentur in partem vitae societatis cui operam navant.[5]

53. [*De privati dominii iure et muneribus*]. Duplex dominii datur ratio, individualis nempe et socialis, prout sigulos respicit vel ad bonum spectet commune; quod implicat a natura ipsa ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut bona quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant.

Vitae oeconomicae ita temperare conentur omnes, ut facilior fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidenda bona, imprimis haud statim peritura, quae veluti *spatium vitale* familiae constituunt, immo titulos participationis in proprietate mediorum productionis.

Foveatur etiam proprietas communis associationum et institutionum, quatenus ad sensum personalis responsabilitatis promovet.[6]

54. [*De parvis et mediis negotiis*]. Parvis et mediis negotiis, ratione habita boni communis, favendum est, eo quod eorum inceptores facilius secundum propriae conscientiae requisita ea regere possunt. Ad eorum oeconomicam independentiam tuendam inceptores ipsi inter se cooperentur: quem conatum, pariter ac diversas societatum cooperativarum formas, publicae potestates adiuvent, eo magis quod artifices ad cultioris humanitatis profectum conferunt, quippe qui ipsa sua arte stimulentur ad officiorum conscientiam colendam, et ad nova efficienda opera, eleganti forma praestantia.[7]

55. [*De maioribus inceptis oeconomicis eorumque consociationibus*]. Rectores inceptorum, eorumque associationes, quo ampliore gaudent potentatu, eo attentius iustitiae tuendae et boni communis leges servare tenentur; praesertim in distribuendo labore, in genere productionum eligendo, in rythmo productionis determinando, in amplificandis vel mutandis inceptis.

Ne tolerentur pactiones quibus pretia arbitrarie imponuntur contra iustitiam et commune bonum, lucra pro lubitu praestabiliuntur, legitima competitio iniuste impeditur[8].

56. [*De munere auctoritatis civilis in re oeconomica*]. In ordine oeconomico instaurando priores tribuendae sunt partes privatae singularium hominum industriae, qui quidem vel soli agant, vel cum aliis multiplici ratione consocientur, ad communia bona sibi comparanda.

Hac tamen in re praesens accedat civilis potestatis opera necesse est, ut

recte bonorum externorum incrementum provehatur, idque conducat ad socialis vitae progressum atque ideo ad omnium civium utilitatem.

At semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomica, eiusmodi esse oportere, ut privatorum, singularium aut consociatorum, libertatem in agendo, non solum non coerceat, sed etiam augeat,[9] et fundamentalia convictus principia, solidarietatis quidem et subsidiaritatis, caute serventur.[10]

57. [*De providentia sociali*]. Curent fideles ut providentiae socialis et securitatis instituta erigantur quae apta sint ad iura essentialia personae tuenda, ita ut uniuscuiusque vitalibus necessitatibus fiat satis; et ut unusquisque, quoad rem oeconomicam, valetudinem et culturam, illis condicionibus gaudere valeat quas, spectatis adiunctis, requirit ipsius dignitas.[11]

58. [*De politica sociali*]. Favendum est politicae activitati quae ad socialem securitatem firmandam dirigitur, iuxta modum politicae auctoritatis proprium; quae scilicet ad hoc tendat ut liberius et facilius cives ipsi sibi providere valeant, ratione habita de singulorum, familiarum, intermediorum corporum inceptis. Obsecundent christifideles praesertim liberas consociationes et sociales institutiones, quae scholasticam eruditionem, professionalem efformationem, necnon valetudinis curam promoveant.[12]

NOTAE

[1] *Rerum Novarum, A.S.S.*, 23 (1890-91), p. 647; *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, 23 (1931), p. 190; Pius XII, Nuntius Radiophonicus 1-VI-1941, *A.A.S.*, 33 (1941), p. 207.

[2] Pius XII, Nuntius Radiophonicus 1-VI-1941, *A.A.S.*, 33 (1941), p. 200; *Mater et Magistra, A.A.S.*, 53 (1961), p. 420.

[3] *Rerum Novarum, A.S.S.*, 23 (1890-91), p. 662; *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, 23 (1931), pp. 200-201; *Divini Redemptoris, A.A.S.*, 29 (1937), p. 92; Pius XII, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 20; Idem, Ad operarios ex Italiae dioecesibus convenientes, 13-VI-1943, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 172; Idem, Nuntius Radiophonicus operariis Hispaniae datus, 11-III-1951, *A.A.S.*, 43 (1951), p. 215; Ioannes XXIII, *Mater et Magistra A.A.S.*, 53 (1961), p. 419.

[4] *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, 23 (1931), p. 201; Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1-VI-1941, *A.A.S.*, 33 (1941), p. 201; Idem, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 19; Idem, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1952, *A.A.S.*, 45 (1953), pp. 41-42; Ioannes XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.*, 53 (1961), p. 421.

[5] *Rerum Novarum, A.S.S.*, 23 (1890-1891), pp. 659-660; *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, 23 (1931), p. 199; *Divini Redemptoris, A.A.S.*, 29 (1937), p. 91; Pius XII, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.*, 35 (1943), p. 20; Idem, ad « ACLI », 11-3-1945, *A.A.S.*, 37 (1945), p. 392; Idem, ad « UNIAPAC », 7-5-1949, *A.A.S.*, 42 (1949), p. 283; Idem, ad « Mouvement Ouvrier Belge " MOB " », 11-9-1949, *A.A.S.*, 41 (1949), p. 549; Idem, Nuntius Radiophonicus operariis Hispaniae datus, 11-3-1951, *A.A.S.*, 43 (1951), p. 215; Ioannes XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.*, 53 (1961), p. 424.

[6] *Rerum Novarum, A.S.S.,* 23 (1890-1891), p. 651; *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 23 (1931), p. 191; PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1-VI-1941, *A.A.S.,* 33 (1941), p. 199; IDEM, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1942, *A.A.S.,* 34 (1943), p. 17; IDEM, Nuntius Radiophonicus, 1-IX-1944, *A.A.S.,* 36 (1944), p. 253; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 428-429.

[7] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1-IX-1944, *A.A.S.,* 36 (1944), p. 254; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 422-423.

[8] *Quadragesimo Anno A.A.S.,* 23 (1931), pp. 210-211; PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1-IX-1944, *A.A.S.,* 36 (1944), pp. 252-254.

[9] *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 414-415.

[10] *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 23 (1931), p. 203.

[11] *Rerum Novarum, A.S.S.,* 23 (1890-1891), p. 656; *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 23 (1931), pp. 203, 206, 212; PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1-VI-1941, *A.A.S.,* 33 (1941), p. 200; IDEM, Nuntius Radiophonicus, 1-IX-1944, *A.A.S.,* 36 (1944), p. 254; IDEM, Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1944, *A.A.S.,* 37 (1945), p. 17; IDEM, Epistola ad E. V. Carolum Flory, Praesidem « Semaines Sociales » Galliae, 7-VII-1952, *A.A.S.,* 44 (1952), p. 623; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 414-415; 430.

[12] PIUS XII, ad E. V. Carolum Flory, Praesidem « Semaines Sociales » Galliae, 7-VII-1952, *A.A.S.,* 44 (1952), p. 623; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 419, 420.

CAPUT V

DE ORDINE IN SOCIETATE

59. [*Ius naturale consociationis servandum*]. Hac nostra aetate plures sunt civiles societates in quibus alternis vicibus immoderatae libertatis immo et licentiae tempora, tempora politicae oppressionis excipiunt, aut regimina constituuntur quae civium summa iurium vi potiuntur.

Cuius etiam rei causa haec est: in huiusmodi civilibus societatibus aut corpora intermedia desunt aut, si quae sunt, sub egoistico quorumdam coetuum impulsu operantur vel vim tamquam normam adhibent.

Studeant igitur fideles ut naturale hominum ius vario modo sese consociandi universaliter et realiter agnoscatur. Momentum diversorum ordinum, corporum et consociationum agnoscentes, necnon historicam eorum efformationem et evolutionem recte considerantes, pro sua condicione opportune in iis praesentes sint et efficaciter operentur, ratione semper habita totius ordinis moralis.

60. [*De relationibus inter sodales in consociatione*]. In relationibus sodalium consociatorum ordinandis, numquam praetermittantur humanae personae iura; quod flagitat ut singuli socii, semper active in consociationibus praesentes, earum structuram et incepta libere et responsabiliter determinent, ita ut ipsae veri convictus humani speciem et naturam exhibeant.[1]

61. [*De relationibus collegiorum et consociationum inter se*]. Inter diversa corpora et collegia mutua promoveatur existimatio.

Vis organizationis et solidarietatis lex, omni coetui et consociationi necessaria, nullo prorsus modo concipiantur tamquam medium contra alios dimicandi, salvo casu legitimae defensionis; talia vero sint ut propriae eorum operae vim habeant ad plenius et dignius cum aliis conspirandum. Nullus autem coetus alios sibi submittere callidis machinationibus audeat.[2]

Ad universae societatis vitam quod attinet, satagendum est ut collegia, corpora, coetus et consociationes suis normis et consiliis reipsa regantur, sancte tamen servato bono communi sive propriae civitatis sive totius humanae familiae.[3]

Publica potestas ius libere sese consociandi agnoscat, eiusque exercitium promoveat; corporum collaborationi faveat legibus vel decisionibus quae eorum autonomiam vereantur et operam advocent in determinandis et perficiendis publicis inceptis.[4]

62. [*De principio subsidiaritatis*]. In necessitudinibus moderandis inter societatis humanae membra fixum immotumque manere debet gravissimum principium subsidiaritatis: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem evocare iniuria est, simulque grave damnum et recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere. Quo verum, perfectius servato hoc « subsidiarii » officii principio, rectus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantior erit socialis et auctoritas et efficientia eoque felicior ac laetior reipublicae status.[5]

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), pp. 423-424.

[2] Cf. *Mater et Magistra,* l. c., p. 425.

[3] Cf. *Rerum Novarum, A.S.S.,* 23 (1890-1891), pp. 664-665.

[4] Cf. PIUS XI, *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 23 (1931), p. 205.

[5] Cf. PIUS XI, *Quadragesimo Anno,* 15-V-1931, *A.A.S.,* 23 (1931), p. 203; DENZ. 2266.

CAPUT VI

DE SCIENTIIS ET ARTE

63. [*Christiani religionis virtute praeluceant*]. Nostrae aetatis peculiare est ingens in scientiis ac technicis profectus.

Non raro tamen in viris qui ad scientificas investigationes vel ad technica inventa operam dant, sensus recti rerum ordinis minuitur vel amittitur; indeque spiritualium bonorum cultus exstinguitur. Funesta hinc oriuntur discrimina inter scientificum ac technicum profectum et moralem hominum perfectionem.[1]

Scientificas investigationes colere bonum quidem est humanitatis eximium, cui christifideles ut operam navent Sancta Synodus exhortatur.

Iamvero christiani, qui in inquisitione scientifica versantur, religionis virtute praeluceant qua, infinitam Maiestatem Omnipotentis Dei in Eius operibus agnoscentes, testimonium verbo et opere praebeant, ad doctorum simul et simplicium eruditionem.

64. [*Amor veritatis et caritas fraterna*]. In ipsa sua actione scientifica testimonium Deo et Ecclesiae reddunt, ea mensura qua amor veritatis et caritas fraterna eos impellunt ad socios suos, catholicos vel non, communi labore iuvandos in peragendis inquisitionibus. Et hoc quidem modo suspicationes eorum refellent, qui laborem vere scientificum cum fidei professione componi non posse autumant.

65. [*Disciplinas positivas, imprimis sociales, promoveant*]. Christifideles nostris diebus in scientiis colendis eas ne negligant quae de rebus naturalibus et empiricis agunt. In primis sociales disciplinas mutabilibus temporum requisitis adaequare ne omittant, quippe quae, ut homines ad metas attingendas secundum naturam suam, intrinsece socialem, iuvare possint.

66. [*Inter disciplinas sacras et profanas mutua communicatio*]. Qui profanis disciplinis incumbunt investigationis fructum cum iis qui sacras colunt scientias studeant communicare; illud speciali modo postulant munera nostris diebus ab Ecclesia praestanda; quae quidem communicatio utrique parti proderit.

67. [*De Arte*]. Artes colendae sunt a christifidelibus.[2]

Artifices enim, quos christiana inspiratio ciet, non modo praestantissimum opus implent, verum etiam permultis genuinum vivendi auxilium afferunt; obtinent insuper ut totus artium liberalium campus, feraci et uberiore modo, Christo christianaeque vitae coniunctus maneat.

In omnibus institutionibus ad culturam et ad educationem, praesertim vero ad formationem professionalem, pertinentibus, curandum est ut sensus aestheticus rite excolatur.[3]

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Nuntius Radiophonicus in Festo Nativitatis Domini, a. 1953, *A.A.S.*, 46, p. 10.

[2] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Vol. II, Pars II, pp. 444-446.

[3] Cf. *Phil.* 4, 8.

CAPUT VII

DE ORDINE ARTIUM TECHNICARUM

68. [*Genuinus progressus technicus ad Deum ducit*]. Genuinus progressus technicus, una cum humanae immo et culturalis vitae commodis, quae exinde gignuntur, ad Deum mentem inclinat, quoniam homo, quo magis ar-

cana creationis penetrat, eo melius invisibilem ac omnipotentem Creatorem agnoscit, sapientem Providentiam reveretur, harmoniam in Eius opere concelebrat.[1] Idem progressus, dum hominum genus a servili labore gradatim eximit, faciliora gentium commercia reddit humanaeque familiae fraternitati favet.[2]

69. [*Pericula technicismi*]. Curent fideles ut artium technicarum et morum cultus pari gradu procedat, ita ut in commodum non in detrimentum, sive temporale sive spirituale, vertatur. Mens enim mere technica, dum, Deo ignoto vel neglecto, hominem sibi plene sufficere contendit, eundem in mundo temporali recludit, paulatim in novam servitutem redigit, in materialismum practicum deiicit.[3]

Illi vero qui in humanae familiae bono scientiis et artibus promovendo, laudabiliter incumbunt, caveant ne humana persona ut merum instrumentum assumatur.[4]

70. [*Ad solvenda problemata etiam moralia vocatur technica*]. Sancta Synodus omnes his in rebus peritos necnon idonea instituta invitat ad progressum technicum ita promovendum ac temperandum, ut, eo adiuvante, problemata permulta et ardua hodiernae societatis, praesertim moralia, rite solvi queant.

NOTAE

[1] Cf. *Rom.* 1, 20 sq.
[2] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24-XII-1953, *A.A.S.,* 46 (1954), p. 7.
[3] PIUS XII, ibid., p. 9.
[4] *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 450.

CAPUT VIII

DE ORDINE REIPUBLICAE

71. [*Partem activam in rebus publicis sumant laici*]. Ipsi scientifici ac technici profectus intra civiles societates mutuas hominum relationes frequentiores efficiunt ac progignunt quaestiones quas homines singulatim vel diversimode consociati minime solvere possunt. Hoc autem publicas auctoritates ad earum actionem magis ac magis augendam inducit, unde civium libertas in discrimen adducitur et accretio responsabilitatis sensus in ipsis praepeditur.[1]

Christifideles ergo, unusquisque pro condicione sua, se ad active rebus publicis participandum obligatos sentiant [2] et satagant ut intra ordinis moralis fines exerceatur auctoritas, ad bonum commune recte intellectum promovendum: ad eas scilicet vitae socialis condiciones procurandas, quibus homines omnes, suam ipsorum perfectionem plenius ac facilius consequi valeant.

Hoc in primis flagitat ut omnibus publicis potestatibus sanctum sit naturalia personae iura agnoscere, promovere, tueri.

72. [*In decernendis negotiis publicis partem habeant*]. Iura civium in efformanda opinione publica et in negotiis publicis decernendis, praesertim in omnibus electionibus, continuo vindicent ac reapse exerceant, sicut requirit ordo reipublicae; et ad haec cooperentur cum quibusque civibus bonae voluntatis.[3]

73. [*De habitudine civium ad publicam auctoritatem*]. Christiani virtutis oboedientiae et reverentiae erga auctoritatem publicam legitimam exemplum praebeant.[4]

Caveant ne, nimia a republica inopportune postulantes, exinde civium, familiarum necnon coetuum socialium propriam responsabilitatem minuant; ultro vero reipublicae materialia et personalia servitia afferant quibus ad fines suos perficiendos indiget.

Ubi autem, excedente auctoritate civili suam peritiam, premuntur cives, quae a bono communi obiective postulantur ne recusent; ius vero eis sit omnia media moraliter licita adhibere, ad sua conciviumque suorum iura defendenda, servatis illis limitibus quos lex naturalis et evangelica delineant.[5]

74. [*Vigilanti et prudenti cura patriam diligant*]. Laudanda quidem est erga suam gentem et patriam pietas. Strenue tamen christifideles obsistant particularismo et pernicioso nationalismo quo cives propriae nationis limites et defectus dissimulant, dum aliarum bona et virtutes non vident.[6]

Iura et ingenuam indolem tum ethnicorum coetuum tum variarum stirpium tueantur, omni discrimine firmiter reiecto.

75. [*Ecclesiae libertas tuenda*]. Speciali cura christifideles enitantur ut omnes reipublicae ordines et instituta plenam Ecclesiae libertatem agnoscant in eius exercenda missione.[7]

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, *Mater et Magistra.*

[2] Cf. *Immortale Dei, A.S.S.*, 18 (1885), p. 177; *Sapientiae Christianae, A.S.S.*, 22 (1890), p. 285; PIUS X, *Il Fermo proposito, A.S.S.*, 37 (1905), p. 758.

[3] Cf. *Libertas, A.S.S.*, 20 (1887-1888), p. 612.

[4] Cf. *I Petr.* 2, 13-14; *Rom.* 13, 1-7; *Diuturnum*: *A.S.S.*, 14 (1881-82), p. 7; *Immortale Dei, A.S.S.*, 18 (1885-86), p. 163.

[5] Cf. *Diuturnum, A.S.S.*, 14 (1881-82), p. 8; *Sapientiae Christianae, A.S.S.*, 22 (1890), p. 388; PIUS XI, *Acerba nimis*, 8 martii 1937, *A.A.S.*, 29 (1937), pp. 196-197.

[6] Cf. *Ubi Arcano*, 23 dec. 1922, *A.A.S.*, 14 (1922), p. 682; *Caritate Compulsi*, 3 maii 1932, *A.A.S.*, 23 (1932), p. 179; *Allocutio consistorialis*, 13 martii 1933, *A.A.S.*, 25 (1933), p. 112; *Summi Pontificatus*, 20 oct. 1939, *A.A.S.*, (1939), p. 437.

[7] Cf. *Sapientiae Christianae*, 10 ian. 1890, *A.S.S.*, 22 (1889-90), p. 398; *Au milieu des Sollicitudes*, 16 dec. 1892, *A.S.S.*, 24 (1891-92), p. 134.

CAPUT IX

DE UNIVERSALI POPULORUM ORDINE INSTITUENDO

76. [*Condendae institutiones internationales et supernationales*]. Ob profundas mutationes in populorum convictu, quae ex evolutione historiae et progressu technico et scientifico sequuntur, relationes inter humanas communitates in dies frequentiores et implicatiores fiunt. Inde sequitur nova oriri problemata, oeconomica, socialia, politica, culturalia, universale bonum et ipsam mundi pacem spectantia, quae solummodo instituta internationalia, immo et supernationalia, auctoritate et congruis subsidiis cumulata, aggredi et solvere possunt.[1]

77. [*Catholici cooperentur*]. Sacrosancta Synodus catholicos monet ipsorum officium esse cum omnibus hominibus bonae voluntatis diligenti studio cooperari ad huiusmodi instituta condenda et perficienda, ita quidem ut non ab uno vel alio imponantur, sed ipsis gentibus adlaborantibus instituantur.

Enitendum est ut harum institutionum navitas ita ordinetur ut iura propria singularum personarum, familiarum, necnon socialium et ethnicorum coetuum minime laedantur sed defendantur, et tales statuantur condiciones quibus huiusmodi iurium exercitium securius ac plenius efficiatur.[2]

78. [*Particularismus nationalis superandus*]. Fideles, illi praesertim qui in maiore publica responsabilitate constituti sunt, operam dent ut respublicae particulares earumque moderatores, supremae potestatis limitationes agnoscant quae requiruntur ad collaborationem et associationem inter nationes, quaeque possibilem reddunt coordinatam et efficacem omnium vel plurium nationum societatem.[3]

Illi autem qui in opinionem publicam maiorem influxum exercent, studeant ut efformetur conscientia communis quae ad hunc finem requiritur.

79. [*Cooperatio inter nationes progressas et progredientes*]. Iustitia et caritas postulant ut nationes, edulibus bonis ac frugibus magis redundantes, prompto subsidio populis inopia et fame laborantibus succurrant.[4]

Iustitia et caritas pariter postulant ut opulentiores illae nationes ita inter se et cum egentibus nationibus cooperentur, ut istarum cives scientificam peritiam, professionales aptitudines ac capacitatem acquirere possint; ut nationes egentes debitam adsistentiam technicam revera obtineant; ut denique congrua instrumenta accipiant quibus et ipsae quam primum propriis viribus suam progressionem oeconomicam et socialem prosequi valeant.

80. [*In dies augeantur adsistentia et cooperatio*]. Exoptat Sacrosancta Synodus ut haec multiformis culturalis, scientifica, technica, oeconomica adsistentia et cooperatio, quae iam hodie laudabiliter praebetur, in dies augeatur, posthabito cuiuscumque generis dominandi consilio.[5]

81. [*Peculiaris catholicorum obligatio*]. Catholici, qui ad Communitates in rebus scientificis et oeconomicis progressas pertinent, ad illud altissimi

humani ingenii opus totis viribus conferant, intra et extra adsistentiam publicam, praesertim propter coniunctionem cum omnibus hominibus ex caritate Christi fluentem.[6]

82. [*Quae sint agenda a christianis in nationibus progredientibus*]. Christianos omnes qui membra sunt Communitatum quarum oeconomicus progressus est in cursu, Sacrum Concilium invitat ut ipsi cum ceteris hominibus firmo proposito satagant ut divitiae quae paulatim ex propria industria nationis augentur et opes quae collaborantibus ceteris nationibus praesto fiunt, iuxta normas iustitiae et aequitatis inter omnium classium et regionum cives distribuantur; ut oeconomica progressio in omnibus provinciis congruenter existat, in industria scilicet, in agricultura et in servitiis communibus; ut progressus oeconomicus, socialis et culturalis cum vividiore spiritualium bonorum cultu, pari gressu procedat.[7]

Meminerint omnes officium evolvendae uniuscuiusque communitatis in quocumque campo, membris ipsius communitatis in primis incumbere.

83. [*De solvenda quaestione demographica*]. Omnes christifideles qui in rebus politicis, culturalibus, oeconomicis, technicis et socialibus periti sunt Patres Concilii appellant ut impigre diligenterque curent eas quaestiones solvi quae ex difficultatibus scatent aequandi populationis numero possibilitates communicandi in bonis quae terra et ingenium humanum omnibus praestare valent. Huius enim quaestionis solutio vere humana secundum principia doctrinae Ecclesiae dari potest et debet, in sua autem concretione etiam catholicorum laicorum virtutem inventionis necnon eorum strenuam collaborationem postulat.[8]

84. [*De pace*]. Ad veram pacem in mundo confirmandam, christifideles ea mutua commercia ineant quae requiruntur ad bellum praeveniendum, ad nostrae aetatis tam lethalia instrumenta efficaciter interdicenda, ad sinceram, mutuam, progredientem, vigilanti cura custoditam armorum ademptionem obtinendam,[9] ad crimina contra humanitatem et nationum societatem rite reprimenda.

Resistant catholici illi nationalismo et superbiae collectivae ex quibus praecipue tensiones periculosae et perniciosae emanant. Satagant ut quaestiones quae inter gentes exsurgunt, iuridicis institutis solvantur. Meminerint quod pax, quae opus est iustitiae [10] et caritatis, in morali summopere progressu constat. Ad hoc ergo pro viribus omnia communicationis, commercii ac mutui adiutorii subsidia adhibeant.

85. [*De pace quae Christus est*]. Ceterum ipsi, ut pacis sequestres, cum omnibus « hominibus bonae voluntatis »[11] impense ac incessanter operam dent, ut « in terra pax » quae vera pax est, quam Christus, « Princeps pacis », attulit mundo, pax nempe non tantum armorum sed et cordium, inter eos qui filii unius Patris sunt, et eodem pretiosissimo Sanguine redempti, regnet in aevum.

Textus definitive probatus — cum uno tamen suffragio contrario quoad caput VI, Tit. II — in Sessione Generali habita diebus 2-8 aprilis 1962.

NOTAE

[1] BENEDICTUS XV, *Pacem Dei munus,* 23 maii 1920, *A.A.S.,* 12 (1920), p. 216; Ad Archiepiscopum Genuensem, *A.A.S.,* 14 (1922), p. 217 et ad Em.mum Card. Gasparri a Secretis Status, *A.A.S.,* 32 (1922), p. 65; PIUS XII, In Natali Domini 1939, *A.A.S.,* 32 (1940), p. 10; Nuntius Radiophonicus in Natali Domini 1944, *A.A.S.,* 37 (1945), p. 19.

[2] PIUS XII, In Natali Domini 1945, *A.A.S.,* 38 (1946), p. 22; In Natali Domini 1950, *A.A.S.,* 43 (1951), p. 57.

[3] PIUS XII, *Summi Pontificatus,* 20-X-39, *A.A.S.,* 31 (1939), p. 43; ad V Congressum iurisperitorum Italiae, 6-XII-1953, *A.A.S.,* (1953), p. 796.

[4] Cf. IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, A.A.S.,* 53 (1961), p. 441.

[5] Cf. *ibid.,* pp. 441-442.

[6] Cf. supra Part. II, Cap. V, *De Apostolatu laicorum in ambitu internationali et supranationali.*

[7] Cf. IOANNES XXIII, *Mater et Magistra,* l. c., pp. 444-445. — *Acta et Documenta...,* Pars II, pp. 718-719.

[8] Cf. PIUS XI, *Casti Connubii, A.A.S.,* 22 (1930), p. 559; PIUS XII, Conventui Unionis Catholicae Italicae, 20 oct. 1951, *A.A.S.,* 43 (1951), p. 838; IOANNES XXIII, *Mater et Magistra, ibid.,* pp. 445-459.

[9] BENEDICTUS XV, Adhortatio ad Moderatores populorum belligerantium, 1 aug. 1917, *A.A.S.,* 9 (1917), p. 418; Litt. Encycl. *Pacem Dei munus pulcherrimum, A.A.S.,* 12 (1920), pp. 209-259; PIUS XII, In Natali Domini 1940, *A.A.S.,* 31 (1939); *A.A.S.,* 32 (1940), p. 10; In Natali Domini 1940, *A.A.S.,* 33 (1941), p. 12; In Natali Domini 1941, *A.A.S.,* 34 (1942), pp. 16 et 59; In Natali Domini 1944, *A.A.S.,* 37 (1945), pp. 18-20. — Cf. *Acta et Documenta...,* Pars II, pp. 720-721.

[10] Cf. *Is.* 32, 17.

[11] Cf. *Lc.* 11, 14.

SECRETARIATUS DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS

DE INSTRUMENTIS DIFFUSIONIS SEU COMMUNICATIONIS SOCIALIS *

PROOEMIUM **

1. Inter mirifica technicae artis inventa, quae hodiernis prae ceteris temporibus, Deo favente, humanum ingenium e rebus creatis deprompsit, ea peculiari sollicitudine Mater Ecclesia excipit ac prosequitur quae animum potissimum respiciunt, viasque quasdam novas hominibus praebent cuiusvis generis nuntios, cogitata ac praecepta facillime *communicandi*. Ex quibus vero inventis ea eminent *instrumenta* quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque humanam *societatem*, natura sua, attingere valent, sicut multiplices preli formae, cinematographeum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quae proinde iure meritoque *instrumenta communicationis socialis* vocari possunt.[1]

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima et octava congregatione sessionis quintae, diebus 2-3 apr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 493-590.

** DECLARATIO: Fere insuperabiles experti sunt difficultates sodales huius Secretariatus Praeparatorii in sermone latino flectendo ad munus sibi concreditum perficiendum, quod Summus Pontifex in Litteris Apostolicis, quarum initium est: *Superno Dei nutu,* his verbis declaravit: « Secretariatus pariter instituitur quaestionibus omnibus expediendis, quae, cum hodiernis vulgandarum sententiarum rationibus (ut sunt folia impressa, radiophonicae et televisificae transmissiones, cinematographica spectacula etc.) quo modo conectuntur ».

In primis haud facile apparuit nomen latinum invenire ad res omnes, de quibus agitur, proprie designandas.

Penes linguas hodiernas variae reperiuntur voces ad hanc novam rerum provinciam appellandam; ex quibus aliae magis extollunt aptitudinem ad transmissionem sententiarum (« techniques de diffusion »), aliae efficaciam socialem (« mass media », « Publizistik »), aliae facilitatem in usu imaginum et vocum (« mezzi audiovisivi »).

Etiam minus conveniens videtur, ad has res designandas, vocem « spectacula » usurpare, quia minime omnibus novis inventis tribui potest, sicut v. gr. radiophoniae, et quia ipsa vox multa complectitur quae ad sententias vulgandas non pertinent, sicut agones, ludos circenses et similia.

Praeterea vox « spectacula » non satis enuntiat rationem, omnibus inventis de quibus hic agitur propriam, directe communicandi aliquod spirituale conten-

2. [*Quibus rationibus Ecclesiae intersint*]. Ipsa enim Ecclesia profitetur haec instrumenta optima esse subsidia humano generi praebita, cum multum conferant, si recte adhibeantur, ad excolendos singulos homines, atque ad humanam societatem mentis cultu animique virtute locupletandam, immo vero ad Dei regnum propagandum et firmandum. Sive enim datis nuntiis, sive impertitis praeceptis, sive praebitis spectaculis agant, haec inventa tam latissime, celerrime et efficacissime — praesertim cum per aurium atque oculorum delectamenta animos demulcent — ingenuarum artium decoras species, necnon naturales et revelatas veritates ac exempla virtutum hominibus communicare eosque instimulare valent, ut spes affulgeat fore ut ad suprema promptius homines possint dirigi ac conformari, iidemque facilius noscant se omnes filios eiusdem Patris coelestis esse, uniusque humanae familiae fratres.[2]

3. Novit quidem Mater Ecclesia hominem, cuius in manibus haec instrumenta sunt posita, cum sit libertate arbitrii praeditus necnon originali labe vulneratus, posse, proh dolor, ea adhibere contra divini Conditoris consilium et in sui iacturam convertere; immo eius maternum sensum angunt damna quae ex eorum pravo usu humanae consociationi saepius orta sunt.[3]

4. Ceterum Ecclesia, cum divinum acceperit mandatum omnibus hominibus totique humanae familiae verbum salutis praedicandi, cumque sit societas inter homines et pro hominibus constituta, procul dubio hodierna communicationis socialis instrumenta e re sua considerare debet.[4]

5. [*Qua ratione in Sancta Synodo Vaticana tractentur*]. Censent ergo huius Sanctae Synodi Patres, ad proposita sibi praestituta attendentes, maxime oportere quaestiones praecipuas expendere cum prelo, cinematographeo, radiophonia, televisione reliquisque communicationis socialis instrumentis connexas; indeque doctrinam tradere et generales normas statuere, quae spectent ad rectam christiani populi institutionem morumque renovationem, ad catholicae vitae incrementum, necnon ad ecclesiasticorum laicorumque apo-

---

tum et consequenter continuo atque efficaciter in animos agendi, etiamsi communicatio ipsa speciem oblectamenti accipiat.

Propterea necessarium visum est huius Secretariatus sodalibus peritorum in hac re virorum sententiam obsecundare atque ad designanda nova haec inventa nomen proponere *instrumentorum communicationis socialis,* in posterum etiam in iurisprudentia ecclesiastica et in pastoralibus documentis utendum.

Quod nomen simul innuit horum inventorum originem, cum technicis artibus conexam; deinde actionem instrumentalem, qua contentum spirituale, ab auctore humano compositum, aliis communicatur; denique vim quam celeriter in totam societatem exercet.

Hae postremae notae, id est directa in animos vis et propriae actionis amplitudo — cotidie centena milia milium lectorum, spectatorum, auditorum attingentes — Ecclesiae sollicitudinem excitant et universam quaestionem pastoralem *De instrumentis communicationis socialis* inter gravissimas res Concilio Oecumenico subiiciendas ponunt.

N. B.: Voce « prelum » significatur in his Litteris prelum periodicum (« press », « la presse », « die Presse », « la stampa » etc.) nisi aliud e contextu constet.

stolatus methodos ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodandas.[5]

6. [*Hominibus bonae voluntatis invitatio*]. Confidit autem haec Sancta Synodus de hac re Ecclesiae doctrinae et disciplinae expositionem non solum saluti christifidelium profuturam, sed et omnibus bonae voluntatis hominibus[6] probatam fore; iis scilicet qui, naturae leges morales prosequi contendentes, student nova haec inventa in hominum utilitatem et in societatis bonum — cuius sors in dies arctius a communicationis socialis instrumentorum recto usu pendet — unice flectere.

TABULAE ABBREVIATIONUM

DOCUMENTORUM EX MAGISTERIO ECCLESIASTICO QUAE SAEPIUS IN HOC SCHEMATE CITANTUR

A.A.S. – *Acta Apostolicae Sedis,* commentarium officiale.

Ad Petri Cathedram – Litterae Encyclicae IOANNIS XXIII, de veritate, unitate et pace, caritatis afflatu provehendis, die 29 iulii 1959, *A.A.S.,* LI (1959), pp. 459-531.

A.S.S. – *Acta Sanctae Sedis* (priora quinque volumina sub titulo *Acta ex eis excerpta quae apud Sanctam Sedem geruntur*).

Boni Pastoris – Motu Proprio IOANNIS XXIII, de Pontificio Consilio rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae novis legibus constituto, die 22 febr. 1959, *A.A.S.,* LI (1959), pp. 183-187.

C.I.C. – *Codex Iuris Canonici.*

DENZ. – H. DENZINGER, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.*

Discorsi Messaggi – *Discorsi, Messaggi, Colloqui del Santo Padre* GIOVANNI XXIII, ab anno 1958, Tipografia Poliglotta Vaticana.

Discorsi e Radiomessaggi – *Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità* PIO XII, XX, ab anno 1939 ad 1958, Tipografia Poliglotta Vaticana.

Divini illius Magistri – Litterae Encyclicae PII XI, de christiana iuventutis educatione, die 31 dec. 1929, *A.A.S.,* XXII (1930), pp. 49-86.

Film ideale – Sermo PII XII ad viros in industria cinematographica operam navantes, pars I, die 21 iunii 1955, *A.A.S.,* XLVII (1955), pp. 501-512; pars II, die 28 octobris 1955, *A.A.S.,* XLVII (1955), pp. 816-829.

I rapidi progressi – Adhortatio PII XII ad Episcopos Italiae de televisione, die 1 ian. 1954, *A.A.S.,* XLVI (1954), pp. 18-24.

Les Semaines Sociales – Epistula ab Officio publicis Ecclesiae Negotiis ad Praesidem Hebdomadae Socialis Galliae, die 14 iulii 1955, *L'Osservatore Romano,* die 22 iulii 1955.

MANSI – I. D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio,* Ed. phototypica, Graciaci, a. 1960.

Mater et Magistra – Litterae Encyclicae IOANNIS XXIII, de recentioribus rerum socialium processibus ad christiana praecepta componendis, die 15 maii 1961, *A.A.S.,* LIII (1961), pp. 401-464.

Miranda prorsus – Litterae Encyclicae PII XII, de re cinematographica, radiophonica et televisifica, die 8 sept. 1957, *A.A.S.,* XLIX (1957), pp. 765-805.

Oss. Rom. – *L'Osservatore Romano.*
PL – I. P. Migne, *Patrologiae latinae cursus completus.*
Vigilanti cura – Epistula Encyclica Pii XI, de cinematographicis spectaculis, die 29 iun. 1936, *A.A.S.,* XXVIII (1936), pp. 249-263.

NOTAE

[1] Cf. *Miranda prorsus,* ibid. (in *tabulis abbreviationum*), pp. 765-766; *Les Semaines Sociales,* ibid.; *Vigilanti cura,* ibid., p. 256; Sermo Pii XII ad moderatores ephemeridum Civitatum Foederatarum Americae Sept., die 24 martii 1952, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, p. 31.

[2] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., p. 251; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 769, 772, 777; Sermo Pii XII ad viros actionis catholicae Italicae, die 20 sept. 1942, *Discorsi e Radiomessaggi,* IV, pp. 214-215.

[3] Cf. Sermo Pii XI ad Moderatores ephemeridum exterarum, die 9 aprilis 1934, *L'Oss. Rom.,* 11 aprilis 1934; *Vigilanti cura,* ibid., p. 251; *Miranda prorsus,* pp. 769, 772; *Boni Pastoris,* ibid., p. 184.

[4] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 766; Sermo Pii XII ad ephemerides catholicas, die 18 februarii 1950, *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, p. 368.

[5] Cf. *Ad Petri Cathedram,* ibid., p. 511.

[6] « Quoslibet catholicos, etiam omnes cordatos homines » *Vigilanti cura,* ibid., p. 258; « di quanti sono dotati di un sereno giudizio e di un senso di responsabilità », « l'unione concorde dei buoni contro il film corruttore » *Film ideale,* ibid., pp. 505-506.

PARS I

DE COMMUNICATIONIS SOCIALIS INSTRUMENTIS IN UNIVERSUM SUMPTIS *

Titulus I

DE ECCLESIAE DOCTRINA **

[*Introductio*]. Expositionem aggrediens de Ecclesiae doctrina circa instrumenta communicationis socialis in universum sumpta, haec Sacrosancta

* Declaratio: Diversitate ac multiplicitate instrumentorum communicationis socialis minime neglecta, opportunum visum est in primis de argumentis tractare quae omnia instrumenta, in universum sumpta, respiciunt, ea quidem ratione, ut, quantum fieri potest, iterationes vitentur.

Praeterea, contingenti seu temporanea nota istorum instrumentorum perspecta, quae facile modificantur, evolvuntur, transformantur, immo aliquando decidunt, dum nova antea ignota prosiliunt et invehuntur, necesse fuit quaestiones ad ipsa instrumenta pertinentes ita pertractare ut Concilii statuta etiam in posterum valeant.

** Declaratio: Ad finem pastoralem harum Litterarum prosequendum, peculiaris nota ac diligentia necessaria visa est in exponenda Ecclesiae doctrina de rebus ad instrumenta communicationis socialis spectantibus.

Vaticana Synodus eo spectat ut fideles probe sciant: quae iura atque officia in hac parte ad Ecclesiam pertineant; quibus rationibus normisque bonus vel malus eorum moralis usus innitatur; denique, quomodo varii hominum ordines ad rectum horum instrumentorum usum suam possint operam conferre.

Caput I

DE IURE ET OFFICIO ECCLESIAE

1. [*Ecclesiae iurium atque officiorum fontes*]. Sanctae Ecclesiae iura atque officia quae instrumenta communicationis socialis respiciunt, proficiscuntur ex munere eidem Ecclesiae a Christo Domino concredito docendi omnes homines, eosque ad pascua salutis secure ducendi,[1] tum revelatas veritates tradendo, tum iuris naturalis leges authentice interpretando.[2]

2. Hac in suprema et universali magisterii auctoritate constituta,[3] atque evangelizandi necessitate compulsa, quam iam Apostolus gentium sibi incumbere profitebatur,[4] Ecclesia Catholica affirmat proprium munus circa hodierna communicationis socialis instrumenta sibi perpetuo esse adimplendum: scilicet et nuntium salutis, his instrumentis adhibitis, praedicandi, et redemptos omnes docendi ac moderandi, ut ipsi, quod bonum est tenentes et ab omni specie mala abstinentes, sal terrae mundique lux sint semper et ubique, suaeque huius vitae et aeternae saluti prospiciant.[5]

3. [*Ecclesiae agendi ratio*]. His officiis a Divino Redemptore sibi concreditis semper Ecclesia fideliter functa est, primum quidem instrumenta sui apostolatus seligendo atque aptando ad temporum necessitates et condiciones. Verbum enim salutis non tantum per sacrorum praeconum voces, sed etiam Apostolorum, Pontificum Doctorumque scriptis evulgare sategit; immo vero, praesertim ut rudiores per sensibilia ad superna raperentur, canticis,

---

Agitur de doctrina iam saepius in Magisterii ecclesiastici documentis per partes exhibita, nunc autem in unum collecta, tribus praesertim argumentis in lucem positis:

— De iure Ecclesiae libere his instrumentis utendi (caput I); urget enim alte coram nationibus revocare quod libertas habendi catholicum prelum, catholicas radiophonicas televisificasque transmissiones et alia huiusmodi ad Ecclesiae operam necessaria, omnino pertinet ad religionis libertatem.

— De iudiciis practicis circa moralitatem earum rerum quae his instrumentis diffunduntur (caput II); requiritur enim non solum ad populi christiani bonum, sed etiam ad Pastorum necnon censorum ecclesiasticorum utilitatem, ut praecipuae quaestiones morales in hac materia a Concilio auctoritative solvantur ad rectum iudicium efformandum et ad unitatem actionis firmandam.

— De officiis eorum in quorum manibus instrumenta communicationis sunt posita (caput III); agitur enim hic de fundamento ad perfectionem coetuum artificum atque auctorum (« morale professionnelle », « professional ethics », « Berufsethik », etc.).

scaenicis spectaculis, omniumque ingenuarum artium innumeris mire elatis operibus usa est; praeterea, foliis librisque prelo editis, vixdum hoc inventum adhiberi coeptum est; novissime vero omnibus hodiernarum technicarum instrumentis.[6]

4. Nec umquam defuit Ecclesia in docendo, monendo atque statuendo, ne fideles, his omnibus utentes, detrimentum caperent. Huc enim facit Pauli praedicatio, post quam Ephesii neophytae, *qui fuerant curiosa sectati, libros contulerunt et combusserunt*;[7] huc faciunt acta Conciliorum, a Nicaeno[8] et a Costantinopolitano II,[9] in quibus de Arii *Thalia* et de *Tribus Capitulis* actum est, usque ad Lateranense V, quod praecepta de impressione et approbatione librorum statuit *ne id, quod divino favente numine, ad Dei gloriam et fidei augmentum ac bonarum artium salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christifidelium saluti detrimentum pariat*;[10] denique usque ad Tridentinam Synodum, quae de libris edendis ac legendis tractandum mandavit.[11]

5. Nec desunt innumeri Summorum Pontificum interventus: ab Anastasio, qui Origenis scripta respuit,[12] et a Leone Magno, qui Manichaeorum ac Priscillianorum volumina interdixit,[13] usque ad Paulum IV, qui, primus, pro tota Ecclesia librorum prohibitorum *Indices* redegit.[14]

6. Recentiore vero tempore Summi Pontifices, qui de scriptis prelo excussis agere ac statuere numquam destiterunt,[15] ut animarum saluti prospicerent, simul quaestiones etiam omnes perpenderunt quas novissima instrumenta communicationis socialis, saeculo vigesimo invecta, proponerent, ac necessarium iudicaverunt de eisdem quaestionibus in magisterii pontificii documentis late atque competenter tractari.[16]

7. [*Ecclesiae iurium atque munerum natura et ambitus*]. Sacris igitur Litteris, necnon perpetua Ecclesiae agendi ratione et ecclesiastici magisterii testimoniis innixa, haec Sacra Synodus profitetur et docet: ius munusque esse Ecclesiae inviolabile, et communicationis socialis cuiusvis generis instrumentis, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessaria vel consentanea, libere uti, et homines docere ac moderari ut, ab omnibus animarum periculis sibi praecaveant, atque suam totiusque humanae familiae salutem perfectionemque, horum instrumentorum auxilio, ad hanc vitam et aeternam quod attinet, assequantur.[17]

8. Hoc vero Ecclesiae Catholicae ius cuiusvis generis instrumentis libere utendi, et Sedi Apostolicae et singularibus Ecclesiis competit;[18] non tantum vero si ipsorum instrumentorum possessio penes ipsam Ecclesiam sit, sed, pro rata parte, boni communis causa, etiam si ea instrumenta a civili societate, vel a privatis gerantur.[19]

9. Nativum autem ius Ecclesiae docendi et moderandi non solum respicit principia doctrinae sed etiam particulares determinationes circa horum instrumentorum usum, veluti sunt de pelliculis prolata iudicia vel ephemeridum interdictio aut commendatio.[20]

10. Suadetur ergo omnibus cordatis hominibus, et praesertim Ecclesiae sinceris actuosisque filiis, ut istorum instrumentorum usus Ipsi faciliorem pro viribus reddant,[21] pro certo habentes iura atque munera in hac parte ab Ecclesia exercenda, omni tempore de humano genere promerita,[22] nedum societatis civilis iura laedant, peringentes utilitates humanae consociationi conferre, ipsorum instrumentorum recto incremento favere, familiarem atque socialem vitam roborare, scientiam ditare, ingeniorum cultum animique humanitatem extollere, pacis consensum inter nationes valide obsecundare atque tutari.[23]

CANONES

I - Si quis dixerit Ecclesiam iure nativo non pollere habendi instrumenta communicationis socialis, iisque utendi, quatenus ad suum ipsius finem assequendum conferant, a doctrina catholica est alienus.

II - Si quis Ecclesiae negaverit nativum ius et officium res quae ad eadem instrumenta pertinent, quatenus ad animorum institutionem et sanctitatem conferant, diiudicandi, approbandi vel respuendi, a doctrina catholica est alienus.

NOTAE

[1] « Quod in aure auditis, praedicate super tecta » *Matth.* X, 27; « ... euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » *Mc.* XVI, 15; « Euntes ergo, docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » *Matth.* XXVIII, 19-20.

[2] Cf. GREGORIUS IX, Epistula *Ab Aegyptiis* ad Theologos Parisienses, die 7 iulii 1228, DENZ. 442-443; Decretum S. Officii *Lamentabili,* die 3 iunii 1907, n. 5, DENZ. 2005; Conc. Vaticanum I, Sessio III, die 24 apr. 1870, Constitutio dogmatica de fide catholica, Cap. IV, *De impossibilitate oppositionis inter fidem et rationem,* DENZ. 1797; PIUS XI, *Divini illius Magistri,* ibid. (in *tabulis abbreviationum*), p. 64; PIUS XI, Litterae Encyclicae *Quadragesimo anno,* die 15 maii 1931, *A.A.S.,* XXIII (1931), p. 190.

[3] Cf. *Divini illius Magistri,* ibid., p. 49 et sqq.

[4] *I Cor.* IX, 16.

[5] *I Thess.* V, 21-22; *Matth.* V, 13-14.

[6] *Miranda prorsus,* ibid., p. 768.

[7] *Act.* XIX, 19-20.

[8] MANSI, ibid., vol. II, pp. 637, 657 et praesertim p. 919.

[9] MANSI, ibid. vol. IX, pp. 179-202 et sqq.; pp. 252-254 et 298.

[10] MANSI, ibid., vol. XXXII, pp. 912-913.

[11] MANSI, ibid., vol. XXXIII, pp. 117-118.

[12] MANSI, ibid., vol. III, p. 945; *PL,* vol. XX, 73; vol. XXI, 627-631; vol. XXII, 722.

[13] *PL,* ibid., vol. LIV, 694-695.

[14] « Index auctorum et librorum, qui tamquam haeretici aut suspecti aut perniciosi ab Officio S. Romanae Inquisitionis reprobantur et in universa christiana Re-

publica interdicuntur », Romae 1557; cf. F. A. ZACCARIA, *Storia polemica delle proibizioni de' libri,* Roma, 1777, p. 145.

[15] Litt. Enc. *Quanta cura,* PII IX, die 8 dec. 1864, *A.S.S.,* III (1867), p. 161; Litterae Encyclicae ad Episcopos Brasiliae, LEONIS XIII, 1899, *Acta Leonis,* p. 195; Epistula Encyclica ad Episcopos Lusitaniae, LEONIS XIII, *Pergrata Nobis,* 1886, *Acta Leonis,* pp. 189-190; Litterae Encyclicae ad Episcopos Italiae, S. PII X, *Il fermo proposito,* 1905, *A.S.S.,* XXXVII, p. 741 et sqq.; Sermo PII XI in Conventu augurali Expositionis catholicarum scriptionum ex universo orbe in Civitate Vaticana, die 12 maii 1936, *A.A.S.,* XXIX (1937), pp. 139-144.

[16] *Vigilanti cura,* ibid.; Sermo PII XII ad III Conventum preli catholici internationalem, die 18 febr. 1950, *Discorsi e Radiomessaggi* XI, pp. 365-372; *Miranda prorsus,* ibid.; IOANNIS XXIII, Sermo ad iurisperitos Italiae, die 8 dec. 1959, *A.A.S.,* LII (1960), pp. 45-50; *Boni pastoris,* ibid.; *Nostra Patris,* ibid.

[17] « Ecclesia autem... inviolabili iure fruitur ea impertiendi, quae sibi ex divino mandato concredita sunt. Cui sacrosancto iuri officium eorum respondeat oportet, qui publicam rem moderantur; ita quidem, ut etiam ad has artes, quibus veritatem virtutemque propaget, ei aditus patere debeat »: *Miranda prorsus,* ibid., p. 773; cf. etiam *Divini illius Magistri,* ibid., p. 54; *C.I.C.,* Can. 1322, § 2.

[18] Cf. *C.I.C.,* Can. 1495.

[19] Cf. *Miranda prorsus,* ut supra.

[20] Cf. Nuntius radiophonicus PII XII de conscientiae christianae institutione, die 23 martii 1953, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIV, p. 22.

[21] « Qui vero Ecclesiae sinceri actuosique filii sunt... efficere pro viribus iubentur ut eadem technicis hisce inventis uti possit, quatenus ad animorum sanctitatem conferant » *Miranda prorsus,* ibid., p. 773.

[22] Cf. Conc. Vaticanum I, Sessio III, die 23 apr. 1870, Cap. IV, *De fide et ratione,* DENZ. 1799; Litterae Encyclicae *Immortale Dei,* LEONIS XIII, die 1 nov. 1885, DENZ. 1878, 1879; « Est enim humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix » *Miranda prorsus,* ibid., p. 774.

[23] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 776 et sqq.

CAPUT II

DE ORDINE MORALI OBIECTIVO SERVANDO

1. [*De ordinis moralis primatu*]. Alterum propositum sibi praestitutum aggredientes, declarandi scilicet rationes quibus bonus vel malus instrumentorum communicationis socialis usus diiudicetur, Patres Concilii praeprimis obiectivi ordinis moralis primatum ab omnibus tenendum edicunt.[1] Hic enim ordo ceteros ordines cum iisdem instrumentis connexos, — sicuti oeconomicum, politicum, ad artem pertinentem — licet praestantes, unus excedit.

2. Solus namque moralis ordo hominem, Dei rationalem creaturam, et ad superna vocatum, in tota ipsius natura complectitur, atque, si integre fideliterque servetur, eum ad perfectionem et beatitudinem plene assequendas adducit, itemque principia, divinis praeceptis confirmata, ei suppeditat, ad horum etiam instrumentorum usum quod attinet, semper et ubique vali-

tura,[2] etsi artium technicarum progressus societatisque mutatae condiciones novas in dies gignant quaestiones.

3. [*Quae ad recta iudicia moralia requirantur*]. Ad rectum ergo iudicium morale ferendum in implicatis quaestionibus moralibus ex usu instrumentorum communicationis socialis ortis vel orituris, tria sunt coniunctim consideranda: *ratio* scilicet *agendi* ipsorum instrumentorum propria; *contentum,* quod instrumenti ope communicatur, et *adiuncta,* seu circumstantiae omnes, in quibus ipsa communicatio perficitur.[3]

4. Sicut enim omnino moraliter bonus est diiudicandus tantum ille instrumentorum communicationis socialis usus qui prorsus paret Dei mandatis, quorum maximum est dilectio Dei ac proximi, sic legem moralem laedit usus qui vel in uno offendat.[4]

5. [*Ratio agendi*]. Attendatur ergo oportet imprimis ratio agendi — tam unicuique instrumento propria, quam omnibus coniunctim agentibus communis — qua id genus instrumenta ita suam ingentem vim fascinatoriam in homines exercere contendunt, ut ipsi, praesertim si imparati sint, eamdem animadvertere, dominari ac, si res ferat, reicere, saepenumero non valeant; maxime cum id genus instrumenta potius aptentur ad homines in numerum coacervatim cogendos quam ad singulas personas, suae libertatis conscias, afficiendas.[5]

6. Accedit etiam quod ob sensuum oblectationem et sciendi semper nova cupidinem, quas ipsa in utentibus gignunt, eadem nimiam animorum attentionem ac temporis non modicam partem sibi facile arrogant. Nemo igitur est qui non videat pericula libertati, cultui navitatique, tum singulorum hominum tum societatis, ab immoderato usu istorum instrumentorum timenda, quibus obviam eatur necesse est idoneis auxiliis, quae christianae virtutes, praesertim caritas, prudentia et temperantia, suadeant.[6]

7. [*Contentum*]. Deinde attendatur oportet *contentum* quod, ope istorum instrumentorum, propria sua forma, communicatur, et ex quo potior et prima honestas seu moralitas communicationis pendet.[7]

8. Dum igitur semper erunt ea contenta reprobanda quae istorum instrumentorum ope Deum religionemque impetere, veritatem mutilare vel deformare, moralem sensum debilitare, legitimae auctoritati insultare, malam auri potestatem extollere, genus luxuriosum vitae dilaudare, facinora, rapinas, odia inter sociales classes et inter varias stirpes cohonestare audeant; e contrario omnino laude digna sunt ea quae iisdem instrumentis honorem Deo debitum, religionis supernaturales divitias, animi ornatum, scientiarum atque ingenuarum artium merita extollant atque promoveant; amorem Dei et proximi inter homines ac nationes, iustitiam et pacem genuini nominis, castum connubium familiaeque sanctitatem, necnon digna hominibus oblectamenta omniaque veri nominis bona procurent.[8]

9. Haec autem instrumenta flecti quidem possunt vel ad nuntia danda, vel ad praecepta impertienda, vel ad veritates demonstrandas, immo ad fabulas actionesque fingendas, sive arte cultuque praestantes, sive etiam ad

communia attinentes oblectamenta, dummodo, omnia quae quibusvis litterarum vel spectaculorum generibus communicentur, ad legem moralem conformentur.[9]

10. [*Adiuncta*]. Denique attendenda sunt adiuncta, in quibus reapse unaquaeque communicatio socialis perficitur, circumstantiae scilicet omnes personarum, locorum, temporum et ceterorum id genus, quae eius honestatem valeant mutare, vel prorsus novare. Maiora enim officia moralia effectoribus incumbunt si effectio vel divulgatio communicationis sub auctoritate civili perficiatur,[10] vel si aere publico sustentetur; maxime autem si res efficiantur vel vulgentur a catholico instituto vel a persona religiosa.[11]

11. Diversum autem erit iudicium morale ferendum de communicatione iuxta gradum praeparationis spiritualis, iuxta culturae evolutionem ac multitudinis sensum, ac praesertim iuxta aetatem lectorum, auditorum et spectatorum;[12] diversum vero si haec instrumenta intra ipsos domesticos parietes nuntia spectaculaque introducant.[13] In omnibus enim lex moralis postulat ut illa vitentur quibus haec « humana inventa salutaribus illis utilitatibus priventur quas, ex providentis Dei consilio, primum quaerere oportet ».[14]

12. [*De nonnullis quaestionibus moralibus hodie agitatis*]. Ceterum minime latet Patres Concilii usum horum instrumentorum tum quaestiones psychologicas et sociologicas, tum, et imprimis, morales excitasse novas atque implexas, quae, ut solvantur, in dies acriora studia requirunt. Quare ipsi Patres viros scientiis psychologicis et moralibus vacantes adhortantur ut suas investigationes in hac materia prosequi contendant.

13. Ut tamen christifideles omnes, necnon universi cordati homines, rectam sibi conscientiam efformare possint, placuit Patribus tres quaestiones, nostra aetate maxime agitatas, tangere, scilicet: de libertate informationis, de libertate artis, ut aiunt, atque de descriptione mali moralis.

14. [*De iure ad informationem deque libertate informationis*]. Nemo sane est qui neget hodiernae societatis progressiones et vinculorum inter humanae societatis sodales augmentum, perutilem, immo potius plerumque necessariam, informationem reddidisse. Publica enim et tempestiva eventuum rerumque communicatione plenior et continua instructio singulis hominibus providetur, ita ut ad bonum commune efficaciter omnes conferre possint, sicque pleniorem totius civilis societatis profectum tueantur.[15]

15. Inest ergo in societate humana ius ad informationem de omnibus quae singulis, vel coetibus, secundum uniuscuiusque condiciones, conveniant; huius tamen rectum iuris exercitium expostulat ut, iustitia et caritate semper servatis, in suo obiecto communicatio sit integra, scilicet ne substantia rei nuntiatae, in nuntiis seligendis vel supprimendis, mutiletur vel mutetur; sit etiam, in modo honesta et conveniens, scilicet sancte leges morales hominisque dignitatem servet, cum in nuntiis promendis tum in quaeritandis. Non omnis enim scientia prodest, caritas autem semper aedificat.[16]

16. [*De libertate artis*]. Continua artium technicarum progressio ac perfectio multum contulerunt sive ad veterum artificum opera aptanda et

late divulganda, sive ad nova, novis adhibitis significandi rationibus, artificia exprimenda. Hinc factum est ut controversiae in praesentiarum increbrescerent de rationibus inter artis iura, ut aiunt, et legis moralis normas, quas alii aliter exhibere contendunt, secundum scilicet, tum de ethica tum de aesthetica disciplinis opiniones, saepe aberrantes, singulorum proprias.

17. Primatu ordinis moralis nuper declarato, Patres Concilii necessarium ducunt, ad iura Dei animarumque tuenda, haec recolere: tum artifices in miris operibus effingendis et divulgandis tum receptores ea sibi comparantes iisque fruentes, cum homines permaneant, Christi gratia redempti, semper legis moralis imperio obstringi.

18. Ea ergo libertate legitime utantur oportet quae est vera hominum libertas, qua scilicet *omnes adhibeantur opes et cum ceteris communicentur quae ad virtutem humanaeque naturae perfectionem conferre possint.*[17] Quid enim prodest homini si, ut pulcherrima quaeque huius saeculi adipiscatur, animae suae detrimentum patiatur? [18] Haec autem eo maius valent quo frequentiores imparatioresque erunt receptores quibus artis opera destinentur, insuper quo vehementior erit vis fascinatoria ipsius communicationis, denique quo minus materia communicata splendore verae artis refulgebit.

19. [*De tractatione mali moralis*]. Ad malum morale in argumentis ope communicationis socialis tractandis, tam ficticiis quam historicis quod attinet, narratio culparum vel errorum humanorum potest sane inservire ad hominem penitius cognoscendum explorandumque, ad veri bonique magnificentiam manifestandam atque extollendam, opportunioribus ceterum effectibus dramaticis obtentis.[19]

20. Mali tamen narratio, descriptio vel repraesentatio, ne damnum potius quam utilitatem animis afferant, legibus moralibus subiaceant omnino oportet, eo vel magis cum agatur de rebus quae sibi debitam reverentiam exigant, vel quae hominem, originali labe vulneratum, facilius ad inordinatam libidinem incitent. Ne, ergo, ludicre, vel plus aequo in malo quis immoretur, neve hoc inhoneste tractet, scilicet sive flagitiosas res probando immo celebrando, sive eas dolosis ac depravantibus ornatibus instruendo, sive eas illis praebendo quibus modica vel nulla sit facultas eadem recte intelligendi iisque obsistendi. Huc enim faciunt timendae Domini minae: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi per quem scandalum venit.*[20]

Canones

I - Si quis dixerit usum instrumentorum communicationis socialis legibus moralibus non esse obnoxium, ita ut singulis hominibus, vel eorum coetibus, iis uti liceat, posthabitis Dei et proximorum iuribus, tam in propria agendi ratione, quam in eius contento exhibendo, et in adiunctis quibus ipsa communicatio perficiatur, a doctrina catholica est alienus.

II - Si quis dixerit liberum exercitium iuris ad informationem vel progressum ingenuarum artium exposcere ut quaevis nuntia scriptaque, quaevis imaginum vocumque species, quodvis genus spectaculorum, libere quaerantur,

efficiantur et cuilibet divulgentur, licet veritati, religioni, bonis moribus, personae humanae dignitati, rectae iuventutis institutioni, aut ceteris boni communis rationibus infensa, a doctrina catholica est alienus.

NOTAE

[1] Cf. S. THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, I^a-II^{ae}, q. I^a, a. 5, 7; q. II^a et sqq.; *Les Semaines Sociales,* ibid.

[2] Cf. Litterae Encyclicae PII XII *Summi Pontificatus,* die 20 oct. 1939, *A.A.S.*, XXXI (1939), p. 423; Nuntius Radioph. PII XII de conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda, *A.A.S.,* XLIV (1952), p. 272; Litterae Encyclicae PII XII *Humani generis,* DENZ. 2306; S. THOMAS AQ., *Summa Theologiae,* I^a-II^{ae}, q. XXIV, a. 4.

[3] Cf. S. THOMAS AQ., *Summa Theologiae,* I^a-II^{ae}, q. XVIII, a. 2, 3 et 10.

[4] Cf. *Matth.* XXII, 37-39; « Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus » *Iac.* II, 10.

[5] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., pp. 255-256.

[6] *Film ideale,* ibid., pp. 504-505; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 777-780, 782, 804; *Boni Pastoris,* ibid., pp. 184 et 185.

[7] Cf. *Matth.* XII, 35; XV, 18.

[8] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., pp. 255-256; Sermo PII XII ad Moderatores Societatis Radiophonicae Italiae, die 3 dec. 1944, *Discorsi e Radiomessaggi,* VI, pp. 211-213; *I rapidi progressi,* ibid., pp. 19-20; *Nostra Patris,* ibid., pp. 492-493.

[9] Cf. *Film ideale,* ibid., pp. 817-824; Sermo PII XII ad diurnarios Helvetiae, die 14 apr. 1946, *Discorsi e Radiomessaggi,* VIII, p. 43.

[10] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 773.

[11] Cf. Instructio Pontificii Consilii rem cinematographicam moderantis ad Episcopos Italiae, die 1 iunii 1953.

[12] Cf. *Film ideale,* ibid., p. 507 et sqq.

[13] Cf. *I rapidi progressi,* ibid., pag. 20; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 794, 801.

[14] *Miranda prorsus,* ibid., p. 770.

[15] Cf. Sermo PII XII ad Conventum intern. scriptorum ephemeridum cathol., die 15 febr. 1950, *A.A.S.,* XLII (1950), p. 256.

[16] *I Cor.* VIII, 1.

[17] *Miranda prorsus,* ibid., p. 773; cf. Sermo PII XII de Beato Angelico, die 20 apr. 1955, *A.A.S.,* XLVII (1955), pp. 291-292; Sermo PII XII ad censores ecclesiasticos librorum, die 13 febr. 1956, *A.A.S.,* XLVIII (1956), pp. 133-134.

[18] Cf. *Matth.* XVI, 26.

[19] Cf. *Film ideale,* ibid., pp. 822-829.

[20] *Matth.* XVIII, 7.

CAPUT III

DE SINGULORUM CIVIUM ATQUE SAECULARIS POTESTATIS OFFICIIS

1. [*Partitio*]. Ecclesia, ad instrumentorum communicationis socialis materiam quod attinet, silentio praeterire nequit officia eorum omnium quibus facultas est in rectum usum ipsa instrumenta convertere.

Quorum in numero imprimis recensentur omnes qui, in hac rerum parte, in publicas opiniones agere possunt; deinde receptores, parentes, praeceptores, iique omnes qui ipsis instrumentis, ex suscepto munere, operam navant; denique auctoritas civilis: a quibus omnibus ordinis moralis in hac rerum parte instauratio navitatem postulat magnanimam atque consociatam.[1]

2. [*De publicis opinionibus recte efformandis*]. Cum opiniones publicae — quae vim et efficaciam hodie exercent maximam in omnium ordinum cives et in vitae sive privatae sive socialis magni ponderis proposita — potissimum efformentur atque magis magisque increbrescant ex istorum instrumentorum suasionibus, omnes societatis consortes suis iustitiae et caritatis officiis satisfaciant necesse est, operam navando ad ipsas opiniones, etiam ope istorum instrumentorum, recte efformandas atque pandendas.[2] Ideoque, et in hac parte sibi claras certasque rerum notitias comparent, sese ad rectum iudicium morale exerceant, idemque opportune et fortiter manifestent, omnibus adhibitis auxiliis quae iustae leges praebeant. Nec se a culpa vacuos iudicare audeant si, ob sui absentiam, mala in publicis opinionibus saepenumero invalescant.

3. [*De receptoribus*]. Procul dubio peculiaria officia obeunda sunt a receptoribus: a lectoribus scilicet, a spectatoribus et ab auditoribus, qui informationes et spectacula his instrumentis diffusa, personali ac libera electione, *recipiunt*. Recta autem electio expostulat ut ea omnia vitentur quae spiritalis detrimenti causa vel occasio fiant, ne alii per pravum exemplum in periculum inducantur, neve bonis communicationibus obstetur, malis vero faveatur: quod quidem plerumque fit pretium exhibitoribus solvendo, qui ob oeconomicas dumtaxat rationes haec instrumenta adhibeant.[3]

Inest ergo receptoribus grave officium sese tempestive certiores faciendi de sententiis his in rebus a competenti auctoritate latis, atque eisdem, secundum rectae conscientiae normas, fideliter obsequendi.[4] *Vir enim prudens dirigit gressus suos,*[5] *qui vero amat periculum, in illo peribit.*[6]

Curent ergo receptores ut suam conscientiam excitent atque instituant, ita ut inordinatis suasionibus facilius obsistant, bonis autem, quae virtute, scientia et arte praestant, plene faveant.[7]

4. [*De iunioribus ac de iis quibus eorum cura committitur*]. Iuniores praesertim cohortandi sunt ad disciplinam et moderationem in usu horum instrumentorum, atque ad ea deligenda quae ipsorum captui conveniant; deinde studiose ducendi ut res visas, auditas, lectas penitius intellegant, de iis simul cum educatoribus disserant, ac rectum iudicium proferre ediscant.[8]

Huiusmodi autem perutile opus, rectam paedagogiam spectans, inter officia recensendum est parentum eorumque qui ipsorum vices gerunt, scilicet magistrorum, institutorum, sacerdotum, quibus iuniorum cura committitur; qui omnes sollicitudinis suae uberem fructum consequentur si, quae alios tenentur docere, ipsi egregie calleant, et si in istorum instrumentorum usu, virtutis exemplo suae praecepta firment.[9]

5. [*De iis qui, ex suscepto munere, his instrumentis operam navant*]. Attamen praecipuum morale officium in recto instrumentorum usu communicationis socialis respicit diurnarios, scriptores, scaenicorumque apparatuum artifices, actores, praebitores, diribitores, gestores et venditores, criticos ceterosque qui harum communicationum auctores fiunt. Omnino enim patet qualem quantamque partem ii omnes sortiti sint in hodiernis hominum consortionibus, scilicet informando, incitando, totum immo humanum genus recte vel pessum ducendo.[10]

6. Eorum itaque erit, oeconomicas vel politicas, vel artis rationes ita moderari ut, Dei Regnum primum quaerentes,[11] bono communi humanaeque culturae simul prospiciant.[12] Quibus arduis sane tamque sacris officiis harum artium viri periti satisfacere nequibunt, nisi iidem prius rectam vitae humanae opinionem sibi efforment ac teneant, quae istis muneribus rite implendis eos ex intimo disponat.[13] Qui vero nomen dederint consociationibus ad suam professionem spectantibus, eas seligant quae legum moralium reverentiam in suae artis exercitio sibi imponant ac omnia incepta et pacta reiciant quae rectae conscientiae adversentur; ita civilis auctoritatis debitam vigilantiam salubriter praecurrent et virtutum iter sibi invicem planius reddent.[14]

7. [*De auctoritate civili*]. Ex doctrina christiana de origine et natura auctoritatis civilis, postulatur ut etiam ipsa in hac re peculiaribus officiis obstringatur, ratione boni communis, cui haec instrumenta ordinantur.[15] Eius enim, pro suo munere, est informationis veram libertatem, qua hodierna societas ad sui profectum omnino eget, defendere atque tutari; religionem, culturam, artes fovere, ut crescant et augeantur; receptoribus, ut suis legitimis iuribus libere frui possint, patrocinari.

8. Praeterea civilis potestas definitum atque in dies amplius obtinet officium optima quaeque communicationis socialis incepta augendi,[16] praesertim vero ea quae, licet necessaria vel maxime utilia — uti sunt quae iuventae conveniant — a mercenariis quidem negliguntur, dum ab aliis, qui boni, veri pulchrique incrementum sibi proponerent, suscipi nequeunt nisi a publica auctoritate suppeditentur.

9. Denique eadem publica potestas gravissimo tenetur officio[17] horum instrumentorum disciplinae, per iustas leges, vigilanter consulendi, ne ex eorum pravo usu gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant; nec licet asserere per hanc vigilem curam iniuste singulorum comprimi libertatem,[18] si saecularis potestas debita severitate compescat negotia ad morum integritatem evertendam — saepenumero studiose ordinata atque

mercatorio apparatu instructa —, praesertim si ad iuniorum aut incultorum hominum morale praesidium vigilantia exerceatur, et si validae deficiant cautiones ex parte eorum qui, ex suscepto munere, haec instrumenta adhibent.

CANONES

I - Si quis dixerit omnes homines in conscientia non obligari ut ex prelii foliis atque spectaculis ea solummodo seligant quae moraliter bona sunt, ea vero quae moribus adversantur respuant, a doctrina catholica est omnino alienus.

II - Si quis dixerit eos qui, suscepto munere, instrumentis communicationis socialis operam navant ad leges morales conformari non posse aut non debere, a doctrina catholica est omnino alienus.

III - Si quis dixerit non esse auctoritatis civilis officium publicos mores et legitimam libertatem in usu instrumentorum communicationis socialis tuendi atque fovendi atque ipsis instrumentis per iustas leges efficaciter consulendi, a doctrina catholica est omnino alienus.

NOTAE

[1] Cf. Sermo PII XII ad Urbis puellas, die 12 maii 1946, *Discorsi e Radiomessaggi,* VIII, p. 77 et sqq.; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 775-776.

[2] Cf. Sermo PII XII ad III Conventum preli catholici internationalem, die 18 febr. 1950, *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, pp. 365-372.

[3] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 787-788; Nuntius Officii ab Ecclesiae publicis negotiis ad Officium Catholicum Internationale de re cinematographica, die 6 iun. 1958, *L'Oss. Rom.,* die 18 iun. 1958.

[4] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 787, 795-796, 803; Nuntius Officii ab Ecclesiae publicis negotiis ad Officium Catholicum Internationale de re cinematographica, die 10 iun. 1954, *L'Oss. Rom.,* 21-22 iun. 1954.

[5] *Prov.* XV, 21.

[6] *Eccli.* III, 27.

[7] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 780-781, 786.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 780-782, 791, 802-803; PII XI Litterae Encyclicae *Casti connubii,* die 31 dec. 1930, *A.A.S.,* XXII (1930), p. 556.

[9] Cf. *Divini Illius Magistri,* ibid., pp. 81-82; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 803-804.

[10] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 787-791; Sermo PII XII ad editores, die 10 dec. 1950, *Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 357.

[11] Cf. *Lc.* XII, 31.

[12] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 779, 789-790.

[13] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 791-792.

[14] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 775.

[15] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 775-776, 792, 798-799.

[16] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 773-774; *Mater et Magistra,* ibid., *A.A.S.,* LIII (1961), pp. 415-419.

[17] Cf. *Mater et Magistra,* ibid., pp. 429-430; *Miranda prorsus,* ibid., p. 775.

[18] *Miranda prorsus,* ibid., p. 775.

TITULUS II

DE ECCLESIAE ACTIONE SEU APOSTOLATU *

[*Introductio*]. Huius Sanctae Synodi Patres, ad ea venientes quae actionem ipsius Ecclesiae apostolicam hac in parte respiciunt, decernunt normas proferre de recto istorum instrumentorum usu ad veritatem institutionemque christianam quod attinet atque de subsidiis quae ad hanc Ecclesiae navitatem fructuosiorem reddendam conferre possunt.

CAPUT I

DE VERITATE INSTITUTIONEQUE CHRISTIANA PROPAGANDA

1. [*Declaratio*]. Ecclesiae Pastores et christifideles conentur oportet ut instrumenta communicationis socialis diligenter adhibeantur, prout rerum temporumque adiuncta exposcent, in multiplicibus apostolatus operibus, ut eorum quoque ope, hominis naturali perfectioni consulatur, atque per Ecclesiae vocem, verbum Christi nuntietur. Neminem enim, qui nostri temporis mutatas condiciones perpendat, latere potest haec instrumenta eiusmodi esse ut receptas ecclesiastici apostolatus rationes non parum evehant, immo etiam ad praedicationis, scholarum et ipsorum templorum utilitates [1] conferant, dummodo filii lucis apte et operose haec instrumenta adhibeant, neve tenebrarum filiis concedere sinant.[2]

2. Est itaque cur Concilium sollicitudinem suam convertat ad singula inceptorum genera quae tam necessarium istorum instrumentorum usum respiciant; scilicet ad ea incepta quae receptores omnes — seu lectores, spectatores, auditores — ad rectum usum erudiant ac instimulent; ad ea praeterea in quibus ipsa instrumenta ad apostolatum exercendum usurpentur; ad

---

* DECLARATIO: Ad usum preli, televisionis, radiophoniae ceterorumque huiusmodi instrumentorum iuxta christianae doctrinae praecepta instaurandum festinanter operari expedit. Non agitur enim amplius de quadam minoris momenti causa, sicut ex. gr. erant spectacula praeteriti temporis, sed de rebus quae quotidie ingentem et quam maxime efficacem vim exercent in spiritualem omnium hominum iam a teneris annis profectum.

Tantae causae instructio, ut ad rem deducatur, totius Ecclesiae studium ac collationem postulat.

Saeculo elapso gravissima orta est (atque adhuc perseverat) quaestio cum scholae « sine Deo » multis in nationibus institutae sunt; nostra hac aetate non minoris momenti ac amplitudinis periculum exoritur ex litterarum, imaginum, vocumque communicatione sociali quae Deum ignorant ac eius legem persaepe conculcant. Quod periculum, nisi, Deo opitulante, aptis mediis avertatur, christianam institutionem subvertet.

ea denique quae sacerdotes et laicos parent ad apostolatum, his adhibitis instrumentis, perficiendum.

3. [*De inceptis quae receptorum praeparationem respiciunt*]. Cum rectus instrumentorum usus communicationis socialis, quae receptoribus praesto sunt, aetate cultuque diversis, ut iam dictum est in Parte I, Tit. I, Cap. III, n. 4, accommodatas et proprias requirat istorum receptorum instructionem atque educationem,[3] mandat haec Sancta Synodus ut incepta omnia, quae huic fini consequendo sint apta, — praesertim si iunioribus destinentur, in familiis, in scholis ceterisque iuventae operis — foveantur, multiplicentur atque iuxta morum christianorum principia dirigantur.[4]

4. Omnino igitur laudanda sunt: consociationes ad honesta scripta evulganda atque ad decora spectacula promovenda; coetus, libri et commentaria ad studium, ad lectionem et ad culturam cinematographicam, radiophonicam, televisificam provehendam; lectiones in scholis cuiusvis gradus, curricula studiorum ad mentes nostrae aetati in praefatis disciplinis aptandas, ratione eorum praesertim habita qui, ex clero, ex religiosis familiis [5] atque e laicorum coetibus, ad alios educandos deligantur, qui prorsus necessariam cognitionem consequi debent quaestionum omnium, ex usu istorum instrumentorum orientium, quae ad vitam religiosam hominis ac mores attineant.[6]

5. [*De inceptis in quibus ipsa instrumenta ad apostolatum exercendum usurpantur*]. Iubet praeterea haec Sancta Synodus ut, nulla interposita mora atque maxima adhibita industria, id genus instrumenta ad finem apostolatus convertantur, incepta malorum hominum praeveniendo, illis praesertim in regionibus quarum moralis et religiosus progressus urgentiorem deligentioremque navitatem exposcunt.[7]

Pastorum sacrorum vero erit iudicare, pro locorum ac temporum adiunctis, utrum Ecclesiae bono conveniat suo iure uti propria instrumenta communicationis socialis libere condendi et administrandi; ceterum omnimodis curandum est ut viris seu institutis ab Ecclesia probatis, ubique terrarum facultas fiat suas, ope istorum instrumentorum, voces imaginesque efficaciter promere, ad doctrinam, ad educationem, ad culturam christianam vulgandam, vitamque religiosam nutriendam.[8]

6. [*De inceptis quae sacerdotes et laicos parent ad apostolatum his instrumentis perficiendum*]. Ut praeceptis nuper propositis satis fiat, oportet sacerdotes, religiosos et laicos homines tempestive parare, qui congrua polleant technicae artis peritia in his instrumentis moderandis. Quod ut assequantur, Episcopi et Superiores familiarum religiosarum et saecularium institutorum congruum subditorum numerum eligant, qui peculiariter idonei huic apostolatus generi sint, ac studeant, nulli incommodo parcendo, ut opportunis in sedibus rite institui valeant.[9]

7. Laici quoque, arte, doctrina et moribus instrui debent, multiplicato scholarum, facultatum et institutorum numero, ubi diurnarii, auctores cinematographei et radiophonicarum televisificarumque transmissionum, cetérique quorum interest, integram formationem, spiritu christiano imbutam, prae-

sertim quoad doctrinam socialem Ecclesiae, nancisci possint. Maxima vero cura parandi sunt etiam critici litterarii, cinematographici, radiophonici, televisifici ceterique, qui suam quisque scientiam optime calleant, atque talia iudicia ferre edoceantur et incitentur in quibus semper ratio moralis in sua luce collocetur.[10]

Ceterum meminerint animarum Pastores eo tutiorem et efficaciorem apostolatum Ecclesiae per id genus instrumentorum fore, quo maior erit copia catholicorum artificum ac peritorum, exquisitiore diligentia et habilitate praestantium.

NOTAE

[1] « Putamus hac super re necessarium non esse Nos multum immorari; patet enim omnibus quantum diaria, ephemerides ac commentarii valeant sive ad veritatem virtutemque in sua luce ponendas... sive ad fallacias, fucatas veri specie, detegendas... Valde igitur dilaudamus Pastores quibus cordi est eiusmodi scripta... quam latissime pervulgare. Quodsi iam haud parum de causa factum est, multum adhuc superest faciendum » Litterae Encyclicae Pii XII *Evangelii praecones, Discorsi e Radiomessaggi,* XIII, p. 504; cf. etiam: *Vigilanti cura,* ibid. (in *tabulis abbreviationum*), p. 255; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 779-780; Sermo Ioannis XXIII ad Moderatores televisionis scholasticae, die 7 dec. 1961, *L'Oss. Rom.,* 8 dec. 1961.

[2] Cf. *Lc* XVI, 8.

[3] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 780-782.

[4] Sermo Pii XII ad Moderatores societatis radiophonicae Helvetiorum, die 22 apr. 1949, *Discorsi e Radiomessaggi,* X, p. 67 et sqq.; Nuntius Officii de publicis Ecclesiae negotiis ad Conventum internationalem de re cinematographica S. Christophori Habanensis, die 13 dec. 1956, *L'Oss. Rom.,* 5 ian. 1957; *Miranda prorsus,* ut supra nota 3.

[5] Instructio S. Congregationis Religiosorum de apostolatu in re cinematographica, die 11 maii 1953, N. 01666/53; Epistula S. Congregationis Religiosorum ad Pontificium Consilium de re cinematographica, radiophonica et televisifica, die 27 iunii 1957; Instructio S. Congregationis Religiosorum de usu radiophoniae et televisionis in Congregationibus Religiosorum et Religiosarum, die 14 aug. 1957, N. 01762/53; « ... quanti momenti sint partes Sacerdoti concreditae, ut in coeteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere... Sacerdos cui animarum cura demandata est... scire potest ac debet quidquid nostrae aetatis studiis, liberalibus artibus atque technicae progressibus profertur... » *Miranda prorsus,* ibid., pp. 803-804.

[6] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 804.

[7] « Peculiari autem modo exoptamus eos divini verbi praecones hac etiam de causa dilaudare qui... quos suis laboribus excolunt... ad viam veritatis traducunt, cinematographicis etiam, radiophonicis et televisificis artibus recto modo in hanc causam utuntur... » *Miranda prorsus,* ibid., p. 781; cf. etiam: Litterae Encyclicae Pii XII *Fidei donum* de catholicarum missionum condicionibus praesertim in Africa, die 18 maii 1957, *A.A.S.,* XLIX (1957), pp. 233-234; Sermo Pii XII ad II Conventum internationalem de apostolatu laicorum, die 5 oct. 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 466-467.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 798-799.

[9] « Necessarium omnino est ut sive Sacerdotes, sive laici, qui ad hanc tanti momenti navitatem destinentur, recta consentaneaque ratione instituantur » *Miranda prorsus,* ibid., p. 797.

[10] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 787.

Caput II

DE SUBSIDIIS AD VERITATEM PROPAGANDAM

1. [*Rei momentum et necessitas*]. Norunt Patres Concilii quot quantaeque occurrant difficultates superandae ut instrumentorum communicationis socialis usus, qui in dies augetur, ad fines apostolatus atque ad populi educationem flectatur, et ut opera inceptaque huius apostolatus propria increbrescant. Attamen existimant tantum esse rei momentum, quod quidem maius etiam in posterum praevidetur, ut idonea subsidia ad eorum incrementum invenire omnino necessarium esse censeant.[1] Prorsus enim dedecet Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari [2] ac praepediri technicis moris vel expensis, ingentissimis sane, quae istorum instrumentorum propria sunt.

2. Praeterea Ecclesia, quae inde ab antiquis temporibus, fidelium stipibus collatis, incepta apostolatus eorumque subsidia (uti sunt templorum, nosocomiorum atque scholarum aedificia) sustentat, quaeque etiam suis Evangelii praeconibus, ubi novae christianae communitates oriuntur, totius orbis catholici concursu, congrua providere conatur, suos filios hortatur ut, collatis viribus, omnes adlaborent ad opes reperiendas, quibus, receptae sui pastoralis ministerii apparationes ope hodiernorum instrumentorum, compleri, communicari, substitui possint.

3. [*Adiumenta idonea*]. Fidelium proinde erit in primis Deum, divitem in omnes qui invocant Illum,[3] enixe adprecari, ut his urgentibus necessitatibus subvenire dignetur; postea, pro virili parte, de suis facultatibus ad hunc apostolatus finem opitulari.

4. Monet, igitur, haec Sancta Synodus christifideles officio obstringi sustinendi et auxiliandi catholicas ephemerides, folia periodica, taeniolas atque auditoria cinematographica, stationes et transmissiones radiophonicas et televisificas, quorum finis praecipuus sit veritatem evulgare et defendere, atque societatis institutioni christianae providere.[4]

5. Insimul vero consociationes et singulos viros, qui in rebus oeconomicis maxima pollent auctoritate, eadem Sancta Synodus magnopere adhortatur ut suis opibus libenter haec instrumenta, quatenus culturae christianae et apostolatui inserviant, largiter sustentent.[5]

6. [*Dies quotannis in toto orbe celebranda*]. Denique, ut multiformis apostolatus in provincia instrumentorum communicationis socialis efficacius roboretur, haec Sancta Synodus mandat ut in omnibus orbis regionibus dies

congruenter statuatur [6] in qua fideles sedulo edoceantur de suis in hac rerum parte officiis, invitentur ad preces pro hac causa fundendas, et ad stipem ad eundem finem conferendam, quae scilicet in instituta et incepta, ab Ecclesia in hac re promota, sustentanda, adstruenda ac ministranda, in quavis orbis parte, sancte impendatur.

NOTAE

[1] « Haud ignoramus equidem officii huius constitutionem non mediocres a christifidelibus postulare labores, postulare sumptus. Nihilo secius magnum huius causae momentum, itemque necessitas... christianae plebis integritatem... tutandi, id impensae atque operae satis superque requirunt » *Vigilanti cura,* ibid., p. 262; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 783-784.

[2] Cf. *II Tim.* 2, 9.

[3] Cf. *Rom.* 10, 12.

[4] Cf. Sermo Pii XII ad parochos Urbis, die 23 martii 1949, *Discorsi e Radiomessaggi,* XI, p. 16; *Miranda prorsus,* ibid., p. 796.

[5] « Tanti oneris conscientia egregiis eorum inceptis non obest sed potius animos debet confirmare eorum, qui, bona praediti voluntate, pecuniis pollent aut ingenii dotibus ad huiusmodi res efficiendas aptis » *Miranda prorsus,* ibid., p. 790.

[6] « In hanc rem Episcopi... peculiarem per annum diem festum praestituere poterunt, quo christifideles de peculiaribus ipsorum officiis, ad spectacula... quod attinet, sedulo edoceantur, et ad adhibendas Deo supplices preces hac de causa moneantur » *Miranda prorsus,* ibid., p. 787.

Titulus III

DE DISCIPLINA ET ORDINATIONE ECCLESIASTICA *

[*Introductio*]. Ad propositum sibi praestitum perficiendum de communicationis socialis instrumentis, placuit huic Sanctae Synodo normas statuere circa ecclesiasticam disciplinam atque ordinationem, ut Ecclesia, etiam in hac re, tamquam acies ordinata procedat. Usus enim horum instrumentorum,

---

* Declaratio: Catholicorum conamina ad apostolatum in materia instrumentorum communicationis socialis promovendum parum profecerunt usque adhuc, sive propter insufficientem actuositatem, sive, et in primis, propter varias et non ordinatas rationes quibus varie in variis nationibus promota sunt.

Cum autem id genus apostolatus a condicionibus ac causis praesertim pendeat quae locorum, ac saepe nationum, limites excedunt, fere nihil proficiet, nisi firma ordinatio in toto orbe perficiatur.

Quapropter primum his Litteris Episcoporum auctoritas in hac materia declaratur et deinde competenti Sanctae Sedis Officio opportuna munera tribuuntur, ad novas res, ex hisce instrumentis exortas, apte tractandas, minime ceterorum Sanctae Sedis Officiorum competentia mutata.

quae decursu temporis celeriter innovantur, vigilantem, recte statutam ac constantem navitatem exposcit, ne dispersione profundantur vires quas eorundem instrumentorum proficuus usus instanter postulat.

Caput I

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA

1. [*Partitio*]. Ecclesiae pastoralis sollicitudo circa usum instrumentorum communicationis socialis prorsus requirit ut aptis normis ordinentur: primum incepta a catholicis promota, deinde navitas cleri et religiosorum, denique sedulitas totius populi christiani.

2. [*De disciplina in inceptis a catholicis promotis*]. Ut necessariae disciplinae consulatur circa catholicorum incepta in materia instrumentorum communicationis socialis, haec Sancta Synodus statuit ac praecipit:

a) Pro operibus et inceptis ab Ecclesia constitutis, vel ad personas morales iuris ecclesiastici pertinentibus, semper spondebit persona, vel coetus, a competenti ecclesiastica auctoritate probata, sancte semper servatis normis generalibus iuris canonici necnon particularibus praescriptis ad rem latis.[1]

b) Operae vero et incepta quae, vel ex nomine quod usurpant vel ex adiunctis, passim catholica existimentur, ut sua appellatione frui possint vel suam operositatem capessant, a competenti auctoritate ecclesiastica peculiari approbatione egent; quae autem approbatio ad tempus et certis condicionibus concedi poterit, vel etiam iusta de causa, ipsius auctoritatis iudicio, revocari.[2]

c) Omnia denique incepta quae publice a catholicis promoveantur vel dirigantur, sese ad doctrinae Ecclesiae normas conforment, de qua in Parte I, Tit. I, atque Officiis competentibus a Sacra Hierarchia designatis libenter operam praestent, ut huiusmodi Officia, quatenus bonum commune postulaverit, vigilantiam exercere, atque omnia, quae a catholicis in hac materia agantur, recto ordine componere valeant.[3]

3. [*De disciplina Cleri et Religiosorum*]. Eadem Sancta Synodus, ad status ecclesiastici et religiosi decus sanctitatemque tuenda, et ad ordinatam et efficacem tum clericorum tum religiosorum apostolatus operositatem promovendam, haec statuit:

a) Clerici saeculares et religiosi viri qui in directione partes habent, vel adsessoris seu consulentis ecclesiastici munere funguntur, apud periodica, transmissiones radiophonicas et televisificas, in taeniolis efficiendis, vel alia id genus munera explent, nominatione vel expressa licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae egent.[4] Quae quidem nominatio vel licentia iuxta clerici vel religiosi congruam praeparationem concedatur. Ipse autem clericus vel religiosus studeat generalibus normis et peculiaribus praescriptis, a competentibus Officiis Ecclesiasticis latis, obtemperare.

b) Si a clerico vel a religioso instrumenta communicationis socialis in sui ipsius utilitatem adhibeantur, *eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum christifidelibus omnibus refulgeat.*

c) In locis vero, ubi, gravibus de causis, peculiares normae restrictivae ad hoc latae fuerint, Ordinarii et Superiores religiosi curent ut subditi, quorum munus id postulet, congruam cognitionem rerum ad haec instrumenta pertinentium adipisci possint, ii praesertim qui apostolatum istorum instrumentorum sibi commissum habent et qui curae animarum, vel puerorum et adulescentium educationi se dedunt, quique, officii causa, pernoscere debent quaestiones quae in rebus communicationis socialis christifidelibus proponuntur.[6]

4. [*De disciplina populi christiani*]. Omnes denique christifideles monet haec Sancta Synodus ut Ecclesiae, magistrae et duci, bono animo fidant, sine cuius ductu haud facile est recto tramite sese dirigere inter ephemerides, diurnaria folia, taeniolas, radiophonicas et televisificas transmissiones, ceteraque id genus, quae in dies erumpunt atque undequaque hominem aggrediuntur.[7]

5. Magni ergo faciant necesse est, atque libenter excipiant, significationes, sancteque custodiant monita ac statuta a competentibus auctoritatis ecclesiasticae Officiis lata circa honestum utilemque horum instrumentorum usum.[8] Quam ob rem tempestivam certamque notitiam de ipsis, sicut dictum est in Parte I, Tit. I, Caput III, sibi acquirere tenentur.[9] Ita, mala semper vitantes et bona quaeque agere properantes, quotquot nomine christiano gloriantur vitam huic nomini accommodent; lucebit inde lux eorum coram omnibus hominibus, ut ii, eorum opera bona videntes, glorificent Patrem qui in coelis est [10]

NOTAE

[1] Cf. Instructio S. Congr. Religiosorum, die 11 maii 1953; Instructio Pontificii Consilii de re cinematographica et televisifica ad Episcopos Italiae, die 1 iunii 1953; *C.I.C.*, Can. 1336.

[2] Cf. *C.I.C.*, Can. 1340; Can. 1381.

[3] Cf. *Miranda prorsus*, ibid. (in *tabulis abbreviationum*), p. 790; *Boni Pastoris,* ibid., p. 185.

[4] Tamen viris ecclesiasticis fas non est operam adiutricem auctoribus imaginum cinematographicarum praebere sine peculiari moderatorum suorum mandato » *Miranda prorsus,* ibid., p. 791; « Quod attinet autem ad ecclesiasticos viros, etiam ex religiosorum sodalitatibus exemptis, qui suam navant operam apud radiophonicas vel televisificas stationes, Episcoporum erit opportunas impertire normas... » *Miranda prorsus,* ibid., pp. 797-798; cf. etiam: *Miranda prorsus,* ibid., p. 788.

[5] *Miranda prorsus,* ibid., p. 804.

[6] Cf. Pars I, Tit. II, Cap. I, nota 5.

[7] Cf. *Nostra Patris,* ibid., p. 494.

[8] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., p. 261; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 787, 794-795; 802-803.

[9] « Christifideles... gravi obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis (in hac re) ab Ecclesiastica auctoritate latis, eidemque fideliter obsequendi » *Miranda prorsus,* ibid., p. 787; Nuntius ab Officio de publicis Ecclesiae negotiis ad conventum internationalem de re cinematographica Coloniae Agrippinae habitum, die 10 iunii 1954.

[10] Cf. *Matth.* 5, 16.

Caput II

DE ORGANIS AUCTORITATIS ECCLESIASTICAE

1. [*Partitio*]. Cum ecclesiasticae plane traditioni consentaneum sit sive Officia in Curia Romana erigere, sive peculiaria Instituta in singulis Nationibus et Dioecesibus, prout temporum circumstantiae suggerant et postulent, Concilii Patres, ad ea venientes quae ordinationem ecclesiasticam respiciunt circa instrumenta communicationis socialis, quae sequuntur memorare vel statuere decernunt, ut multae ac varii generis quaestiones morales, pastorales ac technicae, recentiore tempore in hac parte exortae, recte componantur competenterque ordinentur.

2. [*De competenti Officio Sanctae Sedis*]. In memoriam revocat haec Sancta Synodus Summos Pontifices supremam suam potestatem in materia istorum instrumentorum exercuisse non solum suo magisterio sed etiam ope competentis Sanctae Sedis Officii; hac enim de causa Pius XII, imm. rec., constituit *in Romana Curia peculiare Consilium, cuius, ex credito munere, esset varias de re cinematographica, radiophonica et televisifica quaestiones diligenter perpendere, ad catholicam fidem et christianos mores quod attinet;*[1] quod Consilium Ioannes XXIII, f. r., in *stabile ac permanens Officium Sanctae Sedis* evexit, eiusque competentiam rerumque agendarum provinciam auxit.[2]

3. His prae oculis habitis, Patres Concilii, votum *Secretariatus de Scriptis prelo edendis et de Spectaculis moderandis* libenter excipientes, Summum Pontificem reverenter rogant, ut huius Officii munera et competentiam ad omnia communicationis socialis instrumenta, prelo non excepto, extendat, atque, si placuerit, — propter rerum tractandarum momentum, munerum amplitudinem atque totius materiae novitatem — in Sacram Congregationem erigat.[3]

4. [*De Episcoporum munere*]. Sicut Sancta Sedes pro universo Orbe catholico, ita Episcopi habent in sua quisque dioecesi ius et officium instrumenta communicationis socialis ad rectum usum dirigendi.[4] Episcoporum propterea erit huiusmodi operibus et inceptis in propriis dioecesibus invigilare, eademque promovere et ordinare, quatenus ad apostolatum publicum spectent, iis non exceptis quae religiosi exempti moderantur.[5] Id autem effi-

cacius faciliusque obtinebitur si dioecesana, vel, si res ferat, regionalia, de his instrumentis Officia instituantur.[6]

5. [*De officiis ecclesiasticis Nationalibus*]. Cum efficientia instrumentorum communicationis socialis fines plerumque excedat singularum dioecesium, cumque efficax pro tota Natione apostolatus virium unitatem requirat, haec Sancta Synodus statuit et mandat, ut, iuxta normas a Summis Pontificibus latas,[7] in omnibus Nationibus Officia Nationalia de re cinematographica, radiophonica et televisifica actuose operentur, ac omni ope adiuventur; immo ut etiam de prelo Officium nationale constituatur.

Quorum Officiorum in unaquaque natione suprema moderatio peculiari Episcoporum coetui, vel alicui Episcopo delegato, concredatur; horum autem officiorum membra sint viri catholicae doctrinae et harum artium periti, quos aliquis sacerdos moderetur ab Episcopis delectus.[8]

6. Horum Officiorum praecipua munera sunt: operam navare ad efformandam conscientiam christianam fidelium, ut ii recte omnibus istis instrumentis utantur;[9] consulere ut fideles a periculis et damnis moralibus inde orituris arceantur, praesertim eos certiores faciendo de qualitate morali taeniolarum [10] et, quatenus fieri possit, foliorum prelo editorum et transmissionum radiophonicarum, et televisificarum;[11] publicis opinionibus prodesse prompte notitias veras colligendo atque vulgando, falsas perniciosasque valide infirmando; incepta promovere vel auxiliis sustinere quae utilia reputentur ad catholicorum apostolatum augendum; dirigere vel ordinare quidquid ope instrumentorum communicationis socialis a catholicis agitur,[12] praesertim ad incepta quod attinet eorum qui hisce instrumentis utuntur educationi destinatis; adsistentiam suppetiasque praestare iis qui, ex suscepto munere, operam dant instrumentis communicationis socialis, etiam, si res ferat, virum ecclesiasticum apud eorum coetus ad hunc finem delegando;[13] diem quotannis celebrandam a competenti Auctoritate ecclesiastica statutam promovere et apparare;[14] praecepta ac mandata Sanctae Sedis, vel ab Episcopis propriae Nationis lata, ad effectum deducenda diligenter curare.

7. Haec autem Officia ab omnibus sese abstineant, quae negotiationis aut mercaturae speciem prae se ferant.

8. [*De Consociationibus Internationalibus Catholicis*]. Cum efficacitas instrumentorum communicationis socialis etiam limites singularum Civitatum et Nationum excedat, atque homines quasi cives efficiant totius consortionis humanae, id est, Orbis terrarum, Officia Nationalia operose adlaborent una cum peculiaribus Consociationibus Internationalibus Catholicis, quae quidem ipsis Officiis nationalibus prodesse studeant, mutuas consultationes promovendo, experientias et communia incepta cum ipsis communicando ac denique quaestiones solvendo, quae in singulis Nationibus congruam solutionem nancisci nequeant.[15]

9. Consociationes Internationales Catholicae a sola Sancta Sede legitime approbantur et ab eadem Sancta Sede immediate pendent.[16]

NOTAE

[1] *Miranda prorsus,* ibid., p. 768.

[2] Cf. *Boni Pastoris,* ibid., pp. 185-186.

[3] Cf. Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando, Series I, vol. III, pp. 29-30, nn. 1, 8, 18.

[4] Cf. *Boni Pastoris,* ibid., p. 185; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 770, 783, 792.

[5] Cf. *C.I.C.,* Can. 1386 et notam 4 capitis praecedentis; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 770, 804.

[6] Cf. Instructio Pontificii Consilii de re cinematographica ad Episcopos Italiae, die 11 iunii 1953.

[7] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., pp. 261-262; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 783-784; *Boni Pastoris,* ibid., p. 185; *Nostra Patris,* ibid., p. 493.

[8] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 783.

[9] Cf. Instructio Pontificii Concilii de re cinematographica, radiophonica, ac televisifica ad Consilium Episcoporum Americae Latinae (CELAM), die 20 nov. 1957.

[10] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., p. 261; *Miranda prorsus,* ibid., p. 787.

[11] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., pp. 794-795.

[12] « ... Nationum Officiis, in quaque regione eo consilio institutis, ut quidquid in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, dirigant rectoque ordine componant » *Boni Pastoris,* ibid., p. 185.

[13] « Hi ergo consulere non dubitent Officium Catholicum... ad quod pertinet quodque libenter iis aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita, delegando » *Miranda prorsus,* ibid., p. 790.

[14] Cf. *Miranda prorsus,* ibid., p. 787.

[15] « Et quandoquidem quaestiones hac de re non paucae haud facile queunt in singulis nationibus enodari ac solvi, perutile profecto erit, si haec singula Officia ad magnas illas ex omnibus Nationibus Consociationes pertinebunt, quas Apostolica haec Sedes, re mature considerata, iam probavit » *Miranda prorsus,* ibid., p. 784.

[16] Cf. notam 15 et etiam: *Boni Pastoris,* ibid., pp. 185-186.

PARS II

DE QUIBUSDAM COMMUNICATIONIS SOCIALIS INSTRUMENTIS SINGILLATIM CONSIDERATIS *

TITULUS UNICUS

[*Introductio*]. Generalibus praeceptis ac monitis latis quibus regantur et ad morum honestatem conformentur communicationis socialis instrumenta, Sacrosancta Oecumenica Synodus peculiares normas atque idonea hortamenta

* DECLARATIO: In *Parte I* harum Litterarum praecepta omnia compendiose proposita sunt quae ministerium pastorale Universalis Ecclesiae in materia instrumentorum communicationis socialis respiciant.

Verumtamen huius Secretariatus Praeparatorius Sodalibus visum est Concilium

tradit circa quaedam instrumenta, quae graves admodum quaestiones pastorales attingunt, sive ob uniuscuiusque instrumenti novitatem sive ob peculiarem in populum efficacitatem.

Quapropter, in hac altera parte, singillatim disciplina exponitur de prelo periodico, de cinematographeo, de radiophonia, de televisione et de aliis quibusdam instrumentis postrema aetate in humanam consortionem invectis.

Concilii Patres fideles tamen hortantur, ut etiam in ceterorum instrumentorum communicationis socialis usu, quorum in hac parte nulla mentio fit, Ecclesiae mentem prosequantur; immo etiam in illis vetustis ac valentibus vulgationis vel spectaculorum formis, sicut theatralia spectacula et volumina prelo edita, quae propriae communicationis socialis instrumenta dici nequeunt (cum raro amplitudine et efficacitate totam societatem simul attingere valeant), Fidei et morum integritatem promovere studeant.

Caput I

DE PRELO

1. [*Varia preli genera*]. Nomine preli vulgo appellantur cuiusvis generis folia typis impressa, sive agatur de diariis, sive de ephemeridibus imaginibus ornatis, sive de commentariis, quae omnia, innumerae fere indolis, lectorum aetati, necessitati, studio ac propensioni accommodantur atque singulis hominibus, pro suo cuiusque libitu aut electione, proponuntur atque publice veneunt. Haec preli varia genera novis technicae artis inventis in dies magis perficiuntur typographica scilicet arte, imaginibus, coloribus et aliis id genus, quorum ope, scite ingenioseque ordinantur cum ad nuntia celerius conquirenda et vulganda, tum ad lectores assidue et ubique alliciendos.

2. [*Preli momentum*]. Prelum, quod hodierna communicationis socialis instrumenta tempore antecedit, nostra aetate in dies invalescit atque maximam in hominum mentes vim exercet communesque vulgi opiniones excitat et commovet. Prelum enim, etsi minore, forte, celeritate quam alia instrumenta, subtiliore tamen vi mentes attingit, cum litterarum cognitionem postulet cumque stabile permaneat documentum quod lector retinere atque iterum legere potest. Insuper hominibus non tantum nuntia varia et eventuum summarium, sed etiam ipsorum eventuum, recentiorum praesertim, interpretationes praebet.

Oecumenicum Vaticanum II, ut spiritualem singulorum hominum necnon totius humanae consortionis renovationem perficiat, non posse tantum in generalibus doctrinae ac disciplinae principiis immorari, sed magis oportere, solido principiorum fundamento posito, vigilanti sollicitudine et perspectis rerum causis ad concretas difficultates et singulas instantias attendere.

Nostrorum enim temporum homines ac praesertim horum artifices instrumentorum, a quibus morum atque culturae profectus maxime in hac disciplina pendet, magis rei quotidianae pressum quam principiorum vim experiuntur: hi omnes ergo concretis egent normis, quae in hac *Parte II* expositae sunt.

3. Preli igitur varia genera quotidie gravissimas quaestiones ad leges morales atque ad religiosam hominum vitam pertinentes gignunt, quae ut recte solvantur, a Patribus Vaticani Concilii in ordine ponuntur.

4. [*Sollicitudinis Ecclesiae documenta*]. Statim ac prelum influxum socialem exercere coepit, Ecclesia magna cum sollicitudine illud prosecuta est, ut innumera documenta testantur quae a Pio IX et Leone XIII,[1] usque ad Pontifices nostri temporis lata sunt.[2] Ex his documentis patet Sanctam Sedem totiusque orbis Episcopos, bonum prelum fovendo, errores arguendo, preli germanam libertatem edicendo, numquam destitisse salutaria monita in hac re tradere, praesertim saeculo hoc vertente, quo preli momentum tantopere succrevit.

5. Singularis tamen Ecclesiae sollicitudo hodie spectat praecipua preli genera, quae sunt: *prelum nuntiis vulgandis* (*informativum* quod vocant) *prelum imaginibus ornatum* vulgo dictum *illustratum,* vel *commentaria,* et speciali modo prelum quod nomine *preli catholici* designatur.

6. [*De prelo nuntiis vulgandis seu informativo*]. Hodie lectores indigent prelo quod de novissimis eventibus ipsos certiores faciat, veraciter, citissime et definite, ea tamen ratione ut iudicium lectoris proprium non impediatur sed facilius et tutius efformetur. Quod officium nonnisi magna cum prudentia atque arte expleri potest. Quare, omnes qui huic preli generi operam dant, veritatis amore, reverentia erga ordinem moralem et erga hominis dignitatem, non minus quam studio perfectionis technicae, duci debent.

7. Imprimis postulanda est a prelo *informativo* talis eventuum propositio atque interpretatio quae factorum gravitati congruat atque necessitatibus lectorum et societatis apte conveniat.

Absint propterea non tantum mendacium, sed etiam silentii conspiratio aut selectio notitiarum, prava seu factiosa mente praebita. Saepius enim prelum peccat veritatem reticendo, sive lucri, sive pressionis seu sollicitationis causa.

8. Ratio cur saepe huius preli honestas hodie in discrimen adducatur, inde oritur quod nuntiorum vulgatio quamdam quaestuosae industriae formam induit. Quo magis scilicet multiplicantur technica inventa ad prelum perficiendum, eo magis rerum nuntii prelo vulgandi, tamquam res ad mercaturam pertinentes habentur; hinc conglobationes et quasi monopolia in notitiarum acquisitione ac in preli distributione oriuntur, quae vim exercent in pretio nuntiorum aestimando, ita ut prelum, hac ratione oppressum, potius ad *mercaturam* exercendam et lucrum faciendum quam ad rerum veritatem vulgandam convertatur.

9. Alia quoque circumstantia, qua honestas *preli informativi* periclitatur, ex eo oritur quod saepe institores, nuntia mercatoria diariis concredentes, ac pro eis pretia exsolventes, iniuste eadem diaria sollicitant ne ipsa munus nuntios vulgandi recte ac libere exerceant.

10. Nec minus periculum ex illicito rei politicae pressu oritur. Societas enim, boni communis causa, prelo multifario ad varias legitimas opiniones de

quaestionibus in civitate disputatis exponendas, indiget ut ex multiplicitate rerum deliberandarum cives rectam opinionem et iudicium sibi efforment. Attamen nonnulli, notitiis selectis, fucatis et etiam falsis, utuntur, tamquam armis in contentione politica et in *bello psychologico,* ut aiunt, ad odia, simultates et praeiudicia inter homines, coetus sociales ac nationes, omni nisu excitanda, atque, ad hunc finem scriptores data opera incitant.

11. Circa nuntia de rebus ad religionem spectantibus, libenti animo Patres Concilii agnoscunt in dies potiorem locum quaestiones et eventus religiosos in prelo obtinuisse. Monentur tamen preli moderatores ut de religione quaestiones personis vere peritis tractandae concredantur ac maxima cum reverentia exponantur.

12. [*De foliis imaginibus ornatis*]. Ad notitias explanandas et amplificandas prelum merito utitur imaginibus, saepe vario colore expressis, quae, diligenter selectae, lectores iuvare valent, quo veritatem melius et facilius cognoscant. Attamen nostris diebus multa folia, praesertim imaginibus ornata, incredibili prope exemplarium copia edita, imaginum vortice, nimis demulcent sensus lectorum, seu potius spectatorum, et eos alliciunt facinorum narratione, pravas cupiditates excitantium. Quo fit ut saepe, indulgentes rebus quae nimis sensus commovent, ac vel etiam *erotismo,* actiones minus honestas, etiam fictas, amplificent quae vitam personarum privatam fama praestantium respiciunt et ita lectores ad mala inducant aut ad falsa iudicia provocent. Valde tandem dolendum est quod non raro in foliis imaginibus decoratis praetermittantur ex more ea omnia quae ad Deum atque spiritualem hominis vitam spectant.

13. [*De commentariis*]. Quam plurima etiam eduntur folia periodica ad vulgandas doctrinas, opiniones, disciplinas, vel ad fabulas amatorias et res mirificas narrandas atque, non raro ad consilia impertienda.

14. Monentur omnes qui his foliis edendis operam praestant de gravitate sui offici, praesertim si de commentariis agatur quae in manus iuvenum facile perveniunt vel etiam, de industria, iunioribus destinantur. Eget enim iuventus nostri temporis, magis quam praeterita aetate, prelo sibi consentaneo, scilicet probo, valido, sana doctrina referto, quod ad altiora animos alliciat atque honesta oblectamenta praestet.

15. [*Praebitorum editorum scriptorumque officia*]. Praebitores ac editores preli, ordinis moralis imperio obsequentes, omnimode enitantur ut lectoribus nuntios veraces honestasque imagines praestent, conscii se gravi obstringi officio servandi ac promovendi bonos mores, civium ordinem atque cultum. Scriptoribus praeterea viam sternant ut libere quidem, sed iuste, munus sibi concreditum expleant.

Qui autem pecunias exponunt ad nuntios mercatorios vulgandos, honestos tantum nuntios praebeant et ab omni iniusto informationum pressu sese abstineant.

16. Scriptores diligenter eventus eorumque adiuncta, scilicet quomodo revera acciderint, cognoscere studeant; quae certe cognoverint, lectoribus

veraciter proponant simulque eventus, iustitia et caritate servatis, tradant. Praesertim scriptores monentur ut magna prudentia adhibeatur in relationibus peragendis de scriptis, spectaculis, transmissionibus, quae magnam vim in temperiem spiritualem nostri temporis exercent. Caveant praeterea ne ex verbis, quibus nuntii eduntur, multitudo lectorum quoquo modo decipiatur, neve ad motus irrationales vel iniustos incitetur.

17. Nuntiorum exquisitores ac photographi ne audeant occulta consilia propagare, si boni communis ratio vel personae humanae reverentia, vel rei natura postulent ut secretum servetur. Venditores alacriter curent lectoribus folia eorum aetati et adiunctis apta et omnino honesta tradere. Ad ordinem moralem integre servandum invitantur omnes qui prelo edendo dant operam ut in coetus nationales et internationales consocientur, quo efficacius rectum libertatis informationis usum fulciant ac tueantur.

18. [*Lectorum munus*]. Fugiant et respuant christifideles folia eorumque venditores quae a veritate avertant vel pravos mores excitent, et sponte ea capessant atque emant, etiam boni exempli causa, quae honestate ac gravitate commendantur. Non tantum parentes omnesque qui curam iuniorum habent, verum etiam caupones, medici, causidici etc. diligenter eligant folia, quae in suis domibus et vestibulis exponuntur. Praeterea, ingenti foliorum varietate ingruente, opus est ut fideles, inde a prima aetate, addiscant foliorum naturam legendorum praecognoscere, ea recte eligere, atque considerate perlegere.

19. Quapropter valde commendanda sunt incepta quae ab Officiis nationalibus de prelo ineuntur eo consilio ut fideles in hac rerum parte erudiantur — praesertim die quotannis celebranda ad hoc statuta — atque de foliorum periodicorum saltem communis honestatis, aptis iudiciis prolatis, certiores fiant.

20. [*De potestatis saecularis interventibus*]. Praeter ea quae supra dicta sunt de potestatis civilis ambitu,[3] officium est civilis potestatis ut tales condiciones in civitate ponantur ac serventur in quibus prelum legitima libertate ad publicas opiniones debite formandas, frui possit. Cum tamen prelum civium profectui et bono communi consulere debeat, auctoritas civilis officio tenetur pravos preli usus compescere, quibus publici mores laeduntur, iura personae humanae conculcantur, reipublicae denique salus — non vero alicuius politicae factionis — in discrimen adducitur. Legitimae autem libertatis preli contemptus ex parte saecularis potestatis procul dubio bono humanae consociationis nocet, ideoque cum ordine morali naturali minime congruit. Pariter legi divinae graviter adversantur quotquot, potestate saeculari innixi, libertatem Ecclesiae in prelo adhibendo [4] impetunt.

21. [*De prelo catholico*]. Ecclesiae filii forti animo contendant ut prelum humanae dignitati omnino idoneum efficiant. Attamen, ad lectores spiritu christiano informandos, prelum generice honestum minime sufficit. Quapropter omnino necesse est ut veri nominis catholicum prelum habeatur et provehatur quod scilicet — sive directe ab ipsa auctoritate ecclesiastica pro-

motum et dependens, sive a catholicis viris — manifeste hoc animo edatur atque diffundatur ut publicam opinionem iuri naturae et catholicis doctrinis praeceptisque consonam efformet, firmet atque admoveat, facta vero, quae Ecclesiae vitam respiciant, pervulget ac recte explanet, cum ad fideles informandos et confirmandos, tum ad eos illuminandos alliciendosque, qui ab Ecclesia discesserint vel adhuc Eam ignorent.

22. Quod si Ecclesiae Christi ius inest omne genus instrumentis communicationis socialis libere utendi, procul dubio ipsa obtinet ius prelum ad suos fines libere habendi, moderandi et vulgandi, subsidiis ac rationibus adhibitis, quae ipsa suo iure decernat. Ut huic Ecclesiae iuri, ceterum cum eiusdem ordinario munere praedicationis arcte connexo, satisfiat, haec Sancta Synodus Sacris Pastoribus enixe commendat ut ubique terrarum, in sua cuiusque dioecesi, statim ac locorum condiciones id sinant, diurnaria vel hebdomadaria folia catholica edantur, et quam late vulgentur.

23. Cui quidem necessario apostolatus instrumento valde proderunt in primis foliorum ipsorum praestantia, deinde totius Cleri et populi christiani consociata et sedula opera. Quare notitiarum abundantia, celeritate et diligentia, technicisque notis prelum catholicum non tantum adversarium vel aemulum aequare contendat, sed eidem etiam antecellere.

24. [*De Consociatione Catholica Internationali*]. Quod propositum ut attingatur, virium dispersio omnimode devitetur hominum, rerum inceptorumque — sive singularum sive omnium nationum — concordem conspirationem promovendo, ac praesertim catholicas nuntiis procurandis sedes seu *agentias* condendo.

25. Suadetur deinde Officiis nationalibus de prelo ut competenti Consociationi Internationali Catholicae nomen dent; curent insuper eadem Officia Nationalia ut folia periodica catholica, catholici diurnarii atque *agentiae* catholicae cum praefata Consociatione Internationali foedere se iungant.

NOTAE

[1] Cf. Pars I, tit. I, cap. 1, nota 15.

[2] Cf. PIUS XI: Sermo in sollemni conventu augurali Expositionis catholicarum scriptionum ex universo orbe in Civitate Vaticana, die 12 maii 1936, *A.A.S.,* XXIX (1937), pp. 139-144; ceteri Sermones eiusdem Summi Pontificis de re diurnaria quoquo modo tractantes collecti inveniuntur in *Documentation Catholique,* XVIII (1936), t. 35, n. 782, pp. 322-356; n. 784, pp. 451-468; n. 795, pp. 707-725; n. 786, pp. 578-619.

PIUS XII: Sermones ac nuntii radiophonici de prelo tractantes ab anno 1939 usque ad annum 1954 prolati, tum secundum seriem chronologicam tum secundum ordinem argumentorum indicantur in *Discorsi e Radiomessaggi,* ibid., in volumine « Indice », pp. 571-573; praeterea sequentes sermones adiiciendi sunt: Sermo ad Consilium de informatione publica ordinanda Nationum Unitarum, die 24 apr. 1956, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII, pp. 137-138; Sermo ad procuratores nuntiorum preli Europae, die 26 oct. 1956, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVIII,

pp. 609-611; Sermo ad diurnarios Civitatum Foederatarum Americae, die 15 apr. 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, p. 87; Nuntius ad Consociationes de prelo catholico promovendo Civitatum Foederatarum Americae, die 17 maii 1957, *Discorsi e Radiomessaggi,* XIX, pp. 197-199.

IOANNES XXIII: Sermo ad diurnarios catholicos, die 4 maii 1959, *Discorsi Messaggi,* I, pp. 303-306; Sermo ad viros operam navantes in ephemeride catholica *L'Avvenire d'Italia,* die 18 oct. 1959, *Discorsi Messaggi,* I, pp. 483-488; Sermo de preli munere, die 22 nov. 1959, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 40-42; Sermo ad diurnarios Americae Septemtrionalis, die 6 dec. 1959, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 540-541; Sermo ad iurisperitos catholicos Italiae, die 8 dec. 1959, *A.A.S.,* LII (1960), pp. 45-50; Sermo ad Conventum de prelo agonistico, die 2 apr. 1960, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 276-278; Sermo ad sodales Piae Societatis S. Pauli, die 3 maii 1960, *Discorsi Messaggi,* II, pp. 645-647; Sermo ad Conventum preli periodici Galliae, die 20 sept. 1961, *L'Oss. Rom.* 21 sept. 1961; Sermo ad diurnarios exteros Romae, die 25 oct. 1961, *L'Oss. Rom.* 26 oct. 1961.

[3] Cf. Pars I, tit. I, cap. II, nn. 14-15; cap. III, nn. 7-9.

[4] Cf. Pars I, tit. I, cap. I, nn. 7-8.

CAPUT II

DE CINEMATOGRAPHEO

1. [*Eius efficacitas*]. Cinematographei efficacitas, abhinc dimidium saeculum, ceterorum communicationis instrumentorum momentum aemulatur et non semel superat quia, suapte natura, peculiarem vim in hominum mentes moresque exercet, tum ob innumeras multitudines spectatorum quos sua actione pertingit, tum ob immensam rerum et opinionum congeriem, quam latissime communicat, tum ob delectationem, qua omnis aetatis et condicionis homines in eius vividarum sonorarumque imaginum concentu fruuntur, tum denique ob condiciones cinematographici spectaculi proprias, quarum vi imaginum fascinatio in spectatoribus valde augetur.

2. [*Vigil Ecclesiae cura*]. Quapropter, per quinquaginta fere annorum spatium, numquam destiterunt Sancta Sedes et Sacri Pastores, sapientissimis doctrinis, instantibus monitis, aptisque institutis, fideles in re cinematographica instruere; ex quibus summa quaedam doctrinae atque disciplinae eruitur ad hominum cuiusvis ordinis animi utilitatem, qui hanc artem industriamque vel frequentant, vel exercent, vel moderantur.[1]

3. [*Praecipua monita confirmantur*]. Quo autem haec salutaria monita ac praecepta luculentius iis quorum interest innotescant et ad effectum adducantur, et quo facilius difficultates in dies enascentes superentur, Sancta Synodus quae sequuntur docet ac servari mandat.

4. [*Effectores et artifices*]. Taeniolarum effectores, auctores et auditoriorum gestores, nonnullarum regionum exemplum imitati, suae conscientiae consulere et publicae auctoritatis operam praevenire contendant, inter se de codice morali observando foedus libere ineuntes; ita ut, remota inhonesti

ac immoderati lucri cupidine, finis imponatur pelliculis efficiendis et exhibendis, quae in dies magis sunt bonis moribus infensae.

5. Quotiescumque vero in taeniolis efficiendis quaestiones quoad religionem aut mores oriuntur, auctores et scaenicorum apparatuum artifices legitimum expetant consilium Officii Catholici rei cinematographicae praepositi; quod Officium *iis libenter aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita, delegando.*[2]

6. Honestorum effectorum et distributorum opibus et inceptis una simul collatis, criticorum consensu ac praemiis pelliculas laude dignas commendando, proborum exercentium, imprimis catholicorum, auditoria multiplicando ac inter se foedere consociando, aliisque id genus auxiliis latis, taeniolarum confectio promoveatur ac secura reddatur quae honestati, humano cultui artique favent, earum praesertim quae iuventuti destinantur.

7. Taeniolarum effectores conscii sint suorum officiorum, quibus tenentur non tantum erga spectatores, sed etiam erga actores et eos omnes qui ipsi effectioni taeniolarum sociam dant operam; eorum ergo mores ne audeant in discrimen adducere, praesertim si agatur de adulescentibus. Ipsi autem actores, suae auctoritatis in spectatores conscii, tam in sua arte exercenda, quam in sua vita, studeant bono exemplo aliis praelucere.

8. [*Sententiae de taeniolarum moralitate*]. Ut recta publica opinio, quae in effectione pellicularum quam maxime valet, studiose efformetur efficaciterque excitetur, utque omnes probe noscant quae sibi spectacula adire liceat, quaeque vero sint vitanda, haec Sancta Synodus praecepta hac de re iam a Sancta Sede lata renovans,[3] statuit ut in omnibus et singulis nationibus iudicia moralia de omnibus pelliculis publice exhibendis ferantur, opportunisque prudentiae rationibus explanata, tempestive edantur et quam latissime propagentur. Quae vero iudicia ab Officiis Nationalibus per specialem coetum probatorum hominum — qui opportune e laicis etiam seligantur — ab ipsis Episcopis ad hoc munus ascitorum et sub ductu sacerdotis, pro unaquaque natione dentur.

9. [*Fidelium officia*]. Fideles autem omnes et singuli *gravi obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab ecclesiastica auctoritate latis eisdemque fideliter obsequendi.*[4] Immo, si Episcopi singularum nationum id opportunum duxerint, consociatia ac publica necnon quotannis renovanda, Deo facta promissione, incitentur ad spondendum se, omnia quae ad sui animi totiusque societatis salutem in hac re faciant, fideliter esse servaturos.

10. [*Spectatorum institutio*]. Ad perniciosam autem inertiam spectatorum removendam, ad vividarum imaginum nimiam fascinationem moderandam earumque profundiores significationes intelligendas pulchritudinesque contemplandas, necnon ad ipsarum suasiones probe admittendas vel respuendas, inter subsidia aptiora commendantur: de re cinematographica institutiones, etiam in scholis, systematice traditae, culturae cinematographicae Consociationes, pellicularum publicae ac moderatae disceptationes.

11. [*Civilis potestatis munus*]. Auctoritas Civilis leges promulgando et urgendo, quibus publicis moribus consulatur, honestarum decorarumque pellicularum maxime iuventuti destinatarum effectionem exhibitionemque praesertim subsidiis et praemiis fovendo et, si necessarium fuerit, nocentes coercendo, conferat ut auditoria cinematographica a pravis pelliculis purgentur, honestis autem abundent.

12. Spectata autem speciali cinematographei in iuventutem efficientia, eadem Auctoritas civilis aditum iuniorum spectatorum ad auditoria cinematographica aptis legibus moderetur, ad pelliculas earumque exhibitionis adiuncta quod attinet.

13. [*Unitas in actione commendatur*]. Confidit autem Sacrosancta Synodus fore ut, omnium cordatorum hominum conspiratione, cinematographeum magis magisque ad mentes erigendas et ad animos oblectandos conferat. Quo facilius citiusque id obtineatur, omnia hac de re catholicorum opera et incepta ab Officiis nationalibus, Officio catholico internationali de re cinematographica adhaerentibus, instimulentur et recto ordine componantur.

NOTAE

[1] Sancta Sedis atque Episcoporum documenta, artem cinematographicam spectantia, magna ex parte typis edita sunt in sequentibus commentariis:

— *Bulletin d'Information* de la Commission Pontificale pour le Cinéma, la Radio et la Télévision, Civitate Vaticana, 1952-1961;

— *Le Cinéma dans l'enseignement de l'Eglise,* curante Pontificio Consilio rei cinem., radioph. ac televisificae praeposito, Civitate Vaticana, 1955;

— *Cinema Cattolico,* curante P. Henrico Baragli, S. I., Romae 1959;

— *Report of the Episcopal Committee on Motion Picture,* curante *National Catholic Welfare Conference,* Washington, 1935;

— *Dokumente Katholischer Filmarbeit,* curante *Katholische Filmkommission für Deutschland,* Düsseldorf, 1956.

[2] *Miranda prorsus,* ibid. (in *tabulis abbreviationum*), p. 790.

[3] Cf. *Vigilanti cura,* ibid., pp. 261-263; *Miranda prorsus,* ibid., pp. 785-787.

[4] *Miranda prorsus,* ibid., p. 787.

CAPUT III

DE RADIOPHONIA ET TELEVISIONE

1. [*Indoles peculiaris*]. Horum instrumentorum peculiare momentum ex eo pendet in primis quod radiophonia, et praesertim televisio, *singulos homines,* finibus vallisque nationum superatis, totius fere orbis eventis praesentes reddunt, eosque cuiusvis quaestionis, vel facti, quae saepe longissime distant, illico participes faciunt.

2. Praeterea, iis instrumentis in usum deductis, personae humanae *pressui collectivo* subduntur; formae enim cogitandi necnon vivendi rationes so-

cialium coetuum, quae communitates nationales vel internationales efficiunt, horum instrumentorum ope patefiunt, eorumque vis eo magis augetur quo ipsae numerosioribus multitudinibus exhibentur, cum singuli homines massae socialis pondere premantur.

3. Denique efficacitatem peculiarem magnique momenti haec duo instrumenta in *familias* exercent, cum suapte natura intra parietes domesticos intrent, quasi hospites qui malum vel bonum secumferunt, familiare sacrarium erectura vel contaminatura.

4. [*Quaestiones morales inde exortae*]. Transmissiones radiophonicae et televisificae, aliter ac contingit in cinematographeo, non semper praevio iudicio de moribus, de doctrina deque humanitatis cultu subiici possunt, quia saepius propriam indolem *contemporaneitatis,* ut dicitur, induunt, quae praeviae criticae locum non sinit.

5. [*Summorum Pontificum atque Episcoporum acta*]. Hisce autem periculis obveniendis pluries Ecclesia monita tradidit atque incepta promovit. Unde enim aetheriae, quasi vinculo spatii exutae, nuntios imaginesque perferentes, quocumque ac celerrime, sese aptissimas praebent ad verbum Evangelii in orbem terrarum propagandum. Persaepe igitur Summi Pontifices necnon locorum Antistites radiophonia ac televisione iam a primordiis usi sunt, quibus facilius fideles alloquerentur, itidemque suasiones ac normas, data occasione, ferre festinaverunt quibus rectum decorumque usum horum instrumentorum commendarent.[1]

6. E tot sollicitudinis Sacrorum Pastorum documentis patet quantum curae Christifideles impendant oportet ne inconsulte his in rebus se gerant; immo potius Ecclesiae monitis sponte obsequendo, ultro adlaborent ut utilia a periculosis diiudicent, in omnibus bonum sibi eligant malumque respuant, atque suis opibus conferant ut sedes catholicae programmatibus efficiendis constituantur et substineantur.

7. [*Effectorum et publicae auctoritatis munera*]. Effectores omnes atque artifices transmissionum radiophonicarum et televisificarum, imprimisque civilis auctoritas sui ipsorum officii conscii sint; itaque bono communi consulant, auditiones atque spectacula familiis consentanea sollerter praebendo; curent praecipue ut reverentiae pueris debitae prospiciatur, atque grave *periculum diligenter attendant, in quod adduci possent iuvenes qui spectaculis intersint ad provectae aetatis homines pertinentibus.*[2]

8. [*Spectatorum et auditorum partes*]. Monentur fideles ut suam quisque actuosam navitatem, quantum fieri poterit, in parandis transmissionibus radiophonicis et televisificis gerant: scilicet sua aequa optata iustasque reprehensiones (quam positivam criticam vocant) iis qui pro munere transmissionibus praesunt significando, tum de conficiendis programmatibus in genere, tum de qualitate singularum transmissionum, tum denique de reliquis circumstantiis alicuius momenti; idque spectare debet ut in dies augescat, quod bene fit, malum autem coerceatur.

9. Ad iudicium autem recte formandum utiles iudicantur telecirculi, qui

dicuntur, quos frequentare studeant quotquot praesertim curam puerorum iuvenumque habent, ita ut, sub ductu viri periti, omnes recta iudicia sibi de visis et auditis acquirant et promant, simulque christianam publicam opinionem constituant.

10. Deinde consociationes inter catholicos et alios bonae voluntatis viros, qui invigilent in programmata radiophonica et televisifica, valde commendantur.

11. [*De transmissionibus religiosis*]. Peculiare et efficax subsidium ferre oportet transmissionibus religiosis proprie dictis, quibus auditores et televisionis spectatores de vita Ecclesiae ac veritatibus religiosis informentur. Propterea parentur atque adiuventur periti viri qui in hac rerum provincia adlaborant, praesertim si agatur de artificibus christianis qui ipsas transmissiones curant. Necessarium enim est ut electa manus virorum catholicorum rei peritorum, moderatoribus transmissionum praesto sit, ad ipsas transmissiones instaurandas et efficaciter exsequendas atque ad ea omnia quae familiam, fidem ac mores christianos in programmatibus tangunt, ad perfectiorem formam deducenda.

12. [*De preli technici auxilio*]. Perutile denique erit folia et etiam ephemerides catholicas peculiares hac de re excitare atque sustentare, ut fideles omnes circa programmata notitias capere valeant, atque de ipsis programmatibus iudicium certum sibi acquirere tempestive possint.

13. [*De Officiis nationalibus*]. Officiorum nationalium erit, in hac disciplina, munera omnia ad religionem et mores spectantia dirigere ac prosequi; itaque eorum erit christifideles de technicis ipsis radiophonicis ac televisificis edocere atque educare, deinde effectores iuvare ad perfectiora usque programmata redigenda, praesertim ad religiosas transmissiones quod attinet. Curent etiam eadem Officia ut radiophonia ac televisio scholis destinata recte promoveantur, quae — praesertim si cetera instrumenta instructionis deficiant — magnum habent in puerorum ac rudiorum eruditione atque formatione momentum. Quod ut obtineatur, non solum opera danda est programmatibus redigendis, verum etiam peritis et praeceptoribus christianis instruendis. Ut vero tanta Officiorum nationalium munera de re radiophonica ac televisifica uberius in toto orbe expleantur, necesse est ut eadem Officia Consociationi Catholicae internationali sociam operam praestent.

14. [*De operibus missionariis auxiliandis*]. Exoptat praeterea Vaticanum Concilium ut radiophonia et televisio in dies maiorem efficaciam adipiscantur ad auxilia praebenda apostolatui missionariorum, atque mandat ut operae radiophonicae et televisificae catholicorum in egenis regionibus degentium, ab iis qui in ditioribus regionibus sunt, impigre liberaliterque his in technicis adiuventur.

Pariter optandum est ut transmissiones aptae provideantur pro illis regionibus, ubi fideles, aerumnis temporum divexati, proprias acroases christianas efficere vetantur.

NOTAE

[1] Cf. Pius XI: Nuntius Radiophonicus *Qui arcano,* die 12 februarii 1931, *A.A.S.,* XXIII (1931), p. 65 et sqq.

Pius XII: Sermo ad technicos in Radiophonia Italiae operam navantes, die 3 dec. 1944, *Discorsi e Radiomessaggi,* VI, p. 209 et sqq.; Sermo ad viros qui partem habuerunt in Conventu Intern. ad quinquagesimum annum exactum de radiophonia inventa celebrandum, die 3 oct. 1947, *Discorsi e Radiomessaggi,* IX, p. 263 et sqq.; Nuntius Radiophonicus ad rationaria radiophonica paranda ab Associatione Helvetica transmissionis radiophonicae, die 22 apr. 1948, *Discorsi e Radiomessaggi,* X, p. 67 et sqq.; Nuntius televisificus die Paschatis transmissus a Radiotelevisione Galliae, die 17 apr. 1949, *Discorsi e Radiomessaggi,* IX, p. 45 et sqq.; Sermo ad viros qui partem habuerunt in II Conventu Intern. de radiophonica transmissione per altas frequentias, die 5 maii 1950, *Discorsi e Radiomessaggi,* XII, p. 53 et sqq.; Litterae Apostolicae quibus S. Gabriel Archangelus Patronus Coelestis telecommunicationibus addictorum declaratur, die 12 ian. 1951, *A.A.S.,* XLIV (1952), p. 216 et sqq.; Sermo ad instaurandam Stationem radiophonicam catholicam Sutatenzae in Republica Columbiae, die 11 apr. 1953, *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, p. 57 et sqq.; Pontificia Adhortatio ad Episcopos Italiae de instauranda televisione, die 1 ian. 1954, *A.A.S.,* XLVI (1954), p. 18 et sqq.; Nuntius televisificus ad instaurandas transmissiones *Eurovisionis,* die 6 iun. 1954, *A.A.S.,* XLVI (1954), p. 369 et sqq.; Nuntius Radiophonicus ad III Conventum Intern. de communicationibus, die 11 oct. 1955, *A.A.S.,* XLVII (1955), pp. 733 et 736; Sermo ad viros qui partem habuerunt in Conventu generali Unionis Europeae de radiophonicis transmissionibus, die 21 oct. 1955, *A.A.S.,* XLVII (1955), p. 775 et sqq.; Nuntius radiophonicus ad XXV anniversarium *Horae Catholicae* in Civitatibus Foederatis Americae Sept. die 4 dec. 1955, *Discorsi e Radiomessaggi,* XVII, p. 419 et sqq.; *Miranda prorsus,* ibid., p. 765 et sqq.; Sermo ad instaurandas novas machinas emittentes Stationis Radiophonicae Vaticanae apud Sanctam Mariam Galeriae, die 28 oct. 1957, *A.A.S.,* XLIX (1957), p. 961 et sqq.; Litterae Apostolicae quibus Sancta Clara Assisiensis coelestis Patrona televisionis apud Deum declaratur, die 14 febr. 1958, *A.A.S.,* L (1958), p. 512 et sqq.

Ioannes XXIII: Nuntius Radiophonicus ad X annum exactum *Horae Missionariae* Belgicarum celebrandum, *Discorsi e Radiomessaggi,* 1, pp. 257-258; Nuntius Radiophonicus ad novum apparatum Stationis Radiophonicae Sutatenzae in Columbia instaurandum, *Discorsi e Radiomessaggi,* II, pp. 403-405; Allocutio habita ad celebrandum tricesimum exactum annum ex quo Radiophonica Statio Vaticana radioëlectricas undas emittere coepit, die 12 febr. 1961, *A.A.S.,* LIII (1961), pp. 151-153; Sermo ad instaurandum novum apparatum transmittentem stationis radiophonicae Vaticanae, die 7 nov. 1961, *L'Oss. Rom.*

Acta Episcoporum in variis commentariis continentur: magna ex parte publici iuris facta sunt in *Bulletin d'Information* (Commentarium officiale Pontificii Consilii rei Cinematographicae, Radiophonicae et Televisificae praepositi) ab anno 1954 ad 1961; K. Becker und K. A. Siegel, *Rundfunk unf Fernsehen im Blick der Kirche,* Francofurti, 1957.

[2] *Miranda prorsus,* ibid. (in *tabulis abbreviationum*), p. 802.

Caput IV

DE RELIQUIS INSTRUMENTIS

1. [*Generalis descriptio*]. Praeter prelum periodicum, cinematographeum, radiophoniam et televisionem, alia quoque hodie fere innumerae diffusionis formae seu instrumenta orta sunt: cum primis libelli comici et lusorii peculiari nomine in singulis regionibus appellati (*comic books, fumetti,* etc.); deinde disci, taeniolae magneticae ceteraque vocum imaginumque impressarum instrumenta; denique tabellae *publicitariae,* quas dicunt, affixae chartulae murales, litterae seu nuntii *publicitarii* vulgo nuncupati, photographicae imagines et cetera eiusmodi, quae quotidie a quaestuosis hominum ingeniis proferuntur.

2. Non improbat Ecclesia haec temporalia bona; monet tamen iisdem esse ita nobis utendum, ut non solum non amittamus aeterna, verum etiam ut in rebus, quae ad animum pertinent, abunde proficiamus.

3. [*Libelli lusorii*]. Copiosi et quam latissime sparguntur hodie libelli, plerumque novis typographicis artibus impressi, qui, narrationes exhibentes quae sensus valde commovent (vulgo *sensationales*) vel fictas scientias — seu *phantascientiam* quae dicitur — intexentes, liberum tempus hominibus nostrae aetatis concessum fere implent, atque assiduos praecipuosque lectores, seu potius spectatores, sibi adsciscunt praesertim intra pueros et adulescentes.

4. Simul cum id genus libellis honestati sanaeque educationi normis consentaneis, innumerae typis eduntur ac facile emuntur venales pagellae moribus saepissime infensae, animos praesertim iuniorum aura criminum imbuentes, atque oblectamenta praebentes quibus laevitas et vanitas mentis foventur.

5. Quapropter oportet omnes sani iudicii homines horum scriptorum, in universum fere orbem diffusorum, momenti tum psychologici tum moralis et religiosi conscii fiant, atque viribus unitis adlaborent editores, auctores, educatores, religiosae civilesque auctoritates ut eadem hominum cultui virtutique minime noceant, immo prosint. Sacris vero Pastoribus enixe commendatur ut totius nationis nisus, ad hanc rerum provinciam recte moderandam, conferantur.

6. [*Disci et taeniolae magneticae*]. Etiam disci et taeniolae magneticae hodie sine numero excuduntur, quae non tantum ad musica oblectamenta, sed etiam ad quaestiones philosophicas et scientificas enodandas, ad res diurnas, ad sermones, ad nuntios lectionesque conservandas, ceu libri veneunt et procurantur; quae quidem in scholis, in bibliothecis et in ipsis familiarum communitatumque necessitatibus magis magisque in usu futura esse praevidentur.

7. Quoniam magna commoda, dummodo recte adhibeantur, procul dubio haec omnia secumferunt ad cultum et ad vitam intellectualem excitandam atque amplificandam, necnon ad progressum spiritualem promovendum, ca-

tholicos decet hortari ut sua navitate eadem ad bonum animarum vertant. Saepe tamen accidit ut discorum ope, cantilenae inhonestae atque lascivi concentus musici vel noxiae sententiae vulgentur. Omnes igitur de periculis inde orituris edocere oportebit, et invigilare ut horum instrumentorum res significatae, imagines et modi, veritati, honestati cultusque decori semper consulant.

8. Debita vigilantia, in hac rerum parte, ab Ecclesiastica Auctoritate adhibeatur prout singularum nationum condiciones postulaverint, praesertim si textus seu commentarii discis impressi de rebus ad fidem et mores pertinentibus agant.[1]

9. [*Tabellae et chartulae laudativae*]. Veniunt denique tabellae murales, picta folia, chartulae, affixae inscriptiones, volitantes pagellae, idque genus reliqua, quibus passim nostra tempora utuntur tum ad rerum operumque venditionem *publicitariam* quae dicitur, tum ad politicas, *ideologicas* personarumque res commendandas, quae *propaganda* passim appellantur. Haec omnia, sed praesertim murales tabellae totius populi immo et puerorum oculis vi ultroque exhibitae, praeter communem iustitiae, caritatis et veracitatis instantiam, publicos mores gravissime tangunt.[2]

10. Cum igitur tam gravis causa in discrimen vocetur, haec Sancta Synodus omnes Christifideles, reliquosque recti iudicii homines, hortatur ut civili Auctoritati et omnibus quorum interest, moralia pericula inde oritura significentur itemque grave munus quod eis incumbit tempestive defendendi hac in re inviolabile singulorum hominum ius ad sui tutelam et ad sensum moralem perficiendum.

NOTAE

[1] Cf. Can. 1385, § 1, n. 1° et 2°.

[2] Cf. Sermo Pii XII ad Urbis parochos sacrosque per Quadragesimae tempus oratores, die 5 martii 1957, *A.A.S.*, XLIX (1957), p. 208.

ADHORTATIO FINALIS

1. Cum diffusionis seu communicationis socialis instrumenta ad hominum spiritualem profectum multum valere constet, Ecclesia, superna luce et saeculorum usu edocta, perenni iuventutis decore praecellens, nova officia novasque institutiones et opera inire atque explere non cunctatur: *Neque enim mittunt vinum novum in utres veteres... sed vinum novum in utres novos mittunt, ut ambo conserventur.*[1]

2. Postulat igitur Sacrosancta Synodus Vaticana a christifidelibus ut, iuxta monita et praecepta in hisce Litteris data, ad eorum instrumentorum ordinatum progressum adlaborent, scilicet ut eadem conferant ad futuram societatis prosperitatem, ac potissimum ad Ecclesiae dilatationem; ita qui-

dem ut Nomen Domini novissimis instrumentis glorificetur sicut glorificatur priscis artium monumentis, secundum illud Apostoli: *Iesus Christus, heri et hodie, ipse et in saecula.*[2]

3. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus etc.

NOTAE

[1] *Matth.* IX, 16-17.
[2] *Hebr.* XIII, 8.

SECRETARIATUS AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM

I

DE LIBERTATE RELIGIOSA *

Introductio

Mater Ecclesia omnes et singulos homines, qui in adoptionem filiorum Dei praedestinati sunt, solemniter hortatur ut in praesentibus culturae et morum circumstantiis omnia studia sua convertant ad defendendum honorem Dei et dignitatem personae humanae ab Eo creatae et redemptae. Quapropter, reiecto vetere discordiae fermento, in novis azymis sinceritatis et caritatis, aestiment et promoveant veritates et valores inter ipsos communes. Sed insimul, quod spectat ea in quibus unanimis consensus nondum attingitur, non tantummodo attendant ad veritates seu obiecta quae admittenda sunt, sed etiam ad iura et officia personarum seu subiectorum quae veritati adhaerere debent. Haec omnia Dei dona in Verbo hominibus tributa sunt ut in hoc saeculo inveniatur tutamentum mentis et corporis ab omnibus qui viis diversis a Spiritu Sancto moventur ut ad domum Patris communis libere accedant.

Caput I

DE BONIS FIDEI IN CARITATE PROMOVENDIS

1. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), infatigabili cura elaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*II Thess.* 3, 1) et omnes unanimes, uno ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi » (*Rom.* 15, 6).

Hac de causa adiurat filios suos « primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est... coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*I Tim.* 2, 1-4). Sed praeterea ipsos adhortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt (*Col.* 4, 5), vitatis omnibus apertis vel contortis improbi proselytismi molimentis seu

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima et octava congregatione sessionis septimae, diebus 19-20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 676-746.

mediis impropriis vel inhonestis (ut sunt argentum, blanditiae, mendacium, minae vel coactio), « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*II Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant mediis naturalibus et supernaturalibus quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonio veritatis usque ad proprii sanguinis effusionem.

2. Quamdiu tamen sunt in statu viae, discipuli Christi cum officio veritatem annuntiandi et defendendi semper et ubique coniunctam habebunt obligationem amanter, prudenter et patienter agendi cum hominibus qui nondum ad plenam Evangelii cognitionem pervenerunt. Etenim usque ad consummationem saeculi errores circa finem spargentur et fideles indesinenter videre debebunt ne quis eos seducat (*Mt.* 24, 3-15). Sed praeterea, docente Domino, debent sinere semen veritatis et zizania erroris simul crescere usque ad messem (*Mt.* 13, 30). Demum ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus progressivus et humanus quo Deus homines ad suam veritatem et suum amorem adducit. Respiciendum igitur est non tantum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, sed etiam ad iura et mensuram gratiae a Deo tributa personae quae ad fidem libere admittendam invitatur.

Ideo est quod Ecclesia filios suos hortatur ut veritatem facientes in caritate (*Eph.* 4, 15), dum homines ad fidem veram adducere conantur, semper curent ut ab ipsis, qui ad imaginem Dei creati sunt (*Gen.* 1, 27), assensus non detur nisi cum plena libertate et conscientiam habentes bonam (*I Petr.* 3, 16). Ab omni igitur coactione abstinendum est. Persona errantis circa fidem aestimatione digna est eiusque ius ad libertatem religiosam ab Ecclesia semper vindicatur.

Et revera haec libertas religiosa, seu immunitas ab externa coactione natura actus fidei postulatur. Nam homo a Salvatore redemptus et « in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 5) praedestinatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum (*Io.* 6, 44) et ex altera parte rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium. His de causis Ecclesia Catholica praecipit et mandat: « ad amplexendam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (*C.I.C.*, canon 1351).

3. Ius in materia religiosa conscientiam suam sequendi non tantum a credentibus, a quibus constitutiva ipsius actus fidei admitti possunt, sed absolute ab omnibus hominibus et a communi hominum conviventia observandum est.

Humana enim persona, activitate conscia et libera (cf. *Adnotatio 1ª*) praedita, cum voluntatem Dei tantummodo adimplere possit prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur, finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae prudenter efformando eiusque dictamen fideliter exsequendo. Ideo homo qui conscientiae suae sincere oboedit, Deo oboedire intendit. Consideratione (respect) dignus aestimandus est et nulla coactione impediri potest quominus conscientiam suam sequatur.

4. In materia religiosa praedicta externae coactionis exclusio ab Ecclesia Catholica vindicatur non ut mera « libertas opinionis » nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut vera « libertas religiosa » seu ius observandi et proclamandi officia publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur. (Haec libertas religiosa complectitur inter alia ius applicandi et diffundendi principia moralia in re familiari, sociali, hygienica, oeconomica). Ecclesia Catholica affirmat talem libertatem religiosam competere tum singulis personis humanis tum coetibus hominum, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur ut collatis viribus vitam religiosam ducant vel promoveant.

5. Haec iura personalia realiter et effective non agnoscuntur si obiectum iuris in activitate externa implicari non potest. Quare in humana conviventia et in societate civili nemo externo exercitio sui iuris privari potest, dummodo, ut bono communi exigitur, iura quoque aliorum salva remaneant.

Pro omnibus civibus in materia exercitii iurium illud « minimum » in tuto esse debet sine quo ex una parte essentialis autonomia humanae personae non illaesa remaneret, et ex altera parte humana societas, resultans ex conviventia hominum qui, peccato originali eiusque sequelis contaminati, errare possunt, de facto impossibilis redderetur.

Ideo in vita publica exercitium externum libertatis conscientiae impediri non potest nisi bono communi contradicat.

Hac de causa Ecclesia Catholica reprobat discriminationem, iniuriam, persecutionem hominis vel nationis propter solam originem, solum colorem vel sanguinem.

Speciatim in re religiosa asserit ius ad libertatem conscientiae externe exercendam, salvo bono communi, semper et ubique valere et agnoscendum esse.

Nostris autem temporibus ubique terrarum libertas religiosa speciali modo urgenda est, quia in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur (cf. *Adnotatio 2ª*).

Caput II

DE CATHOLICORUM COOPERATIONE CUM EIS QUI NON SUNT CATHOLICI

6. Quum grassante materialismo hodierno fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur, Ecclesia Catholica nuncupata vota facit ut quicumque christiano nomine honorantur, quantum fieri potest secundum exigentias sanae rationis, ordinem naturalem et depositum vitae christianae consertis precibus et viribus tueantur et promoveant, immo ut omnes

homines bonae voluntatis, sive credentes sive nullam religionem profitentes, simul operam dent ad ordinandam societatem secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes.

7. Quae normae quamquam fundamentum commune ad instaurandum ordinem vere humanum praebeant (cf. *Adnotatio 3ª*), a Christifidelibus tamen non ut unica et suprema norma considerandae sunt (cf. *Adnotatio 4ª*). Fide enim constat hominem ad imaginem Dei factum (*Gen.* 1, 17) et in Dei adiutorem constitutum (*I Cor.* 3, 9), in vita sua dirigenda et in labore suo perficiendo, regi posse ac debere praecepto caritatis, quo munus perficiendae creationis (*Gen.* 1, 28; 2, 5 et 15) et servitium sociale, quod omni activitati bona culturae humanae producenti intrinsecum est, in aedificationem Ecclesiae (*I Cor.* 14, 5) et in gloriam Dei (*I Cor.* 10, 31) ordinantur.

8. Ecclesia, « columna et firmamentum veritatis » (*I Tim.* 3, 15), invigilare debet ut collaboratio cum non-catholicis ex una parte debite et generose perficiatur et ex altera parte non obstet officiis quibus tenentur ii qui sunt « corpus Christi et membra de membro » (*I Cor.* 12, 27). Hac de causa iuvat catholicos inscribi in associationibus catholicis in quibus accipiant formationem et protectionem necessariam ut officiis suis fungantur atque utiliter et prudenter auxilium praestare possint non-catholicis sive in organisationibus mixtis sive ad determinata incepta perficienda.

Caput III

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET SOCIETATEM CIVILEM

1) *De Ecclesiae distinctione a societate civili eiusque praestanti excellentia.*

9. In nova salutis oeconomia Ecclesia, ut Israël renovatus novusque Dei populus, non intra fines nationis singularis coangustatur, sed universalem exercet missionem, iuxta verbum Domini: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15). Ipse insuper Dominus, cum reddere quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo praeceperit (*Mt.* 22, 21), explicitam attulit distinctionem inter divina quae Ecclesiae et humana quae societatibus temporalibus competunt. Hoc modo Ecclesia superat praeparationem a Deo factam sub Vetere Lege, quando populus Dei electus, ethnice determinatus, constituebatur ut theocratia, in qua vita nationalis populi vocatione sua religiosa implicabatur et lex civilis missioni religiosae directe inserviebat.

10. Quare omnis Ecclesiae et societatis civilis confusio, qua potestas unius in orbem alterius intruditur, reali distinctioni inter temporalia et divina adversatur, nec altera cum altera coalescere potest in theocratia uti sub Vetere Lege contigit.

11. Ecclesia, licet ut regnum Christi non sit de hoc mundo (*Io.* 18, 36), in mundo tamen est (*Io.* 17, 11) et ibi transcendit ordinem temporalem, quia

missio eius universalis est et quia media, quibus illam exercet, ordinis supernaturalis sunt ideoque facultati et potestati omnis societatis civilis subtracta (cf. *Adnotatio 5ª*). Quapropter societas civilis debet ad ordinem saecularem sese coercere et praestare Ecclesiae libertatem adimplendi missionem suam, non exclusa fidei propagatione.

12. Ecclesia, cum propter universalitatem suam in omnibus gentibus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20) missionem suam religiosam adimpleat, ad limites sic dictae Ecclesiae nationalis reduci nequit. Auctoritas societatis civilis fines suae potestatis excederet et voluntati Christi contradiceret, si cives impediret quominus Ecclesiae universali libere se adiungerent.

2) *De libertate religiosa in societate civili.*

13. Ecclesia Catholica numquam admisit nec admittere potest Statum positivo modo propugnare doctrinam indifferentismi religiosi qua omnes religiones eiusdem esse valoris affirmantur. Omnino autem approbat societates civiles modernas quando, in practice ordinanda vita civili, libertatem religiosam et aequalitatem politicam asseclis cuiusvis religionis tribuendam esse statuunt (cf. *Adnotatio 6ª*).

Quum dignitate personae requiratur ut quivis civis in re religiosa veritatem prosequi et in exercitio vitae religiosae imperio conscientiae suae obtemperare possit, nemo a societate civili impediri potest quominus hoc ius exerceat, dummodo ordo publicus non vulneretur et exigentiis boni communis satis fiat.

Quare laudandum est libertatem et aequalitatem religiosam omnium civium hodie a multis nationibus et ab organisatione internationali in declaratione iurium hominis proclamatam esse.

14. Status nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Status debet esse impartialis et benevolus (loyal, fair) erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae oboediunt.

15. Auctoritati civili competit ut abusibus medeatur ope legum quae exigentiis boni communis temporalis respondent et aequali modo omnibus civibus, absque discrimine professionis religiosae, applicantur.

16. Si auctoritas quaedam civilis aut religiosa, sub specie boni communis, evidenter impugnat libertatem religiosam, ius et officium uniuscuiusque est magis oboedire Deo quam hominibus (*Act.* 5, 29).

3) *De concordia inter communitates religiosas et societatem civilem.*

17. Societas civilis libertatem religiosam, quam civibus agnoscit, ob naturam socialem personae humanae etiam tribuere debet communitatibus religiosis aliisque societatibus quas cives constituunt, dummodo activitates earum cum exigentiis ordinis publici bonique communis congruant. Ne talis

libertas in constitutionibus societatis civilis habeatur ut mera concessio fluxa, iure firmo sanciri et aequalitate civili cultuum exprimi debet.

18. Etsi statutum iuridicum, libertatem religiosam consecrans, secundum diversa adiuncta historica diversos modos assumere potest, exoptandum tamen est ut Ecclesia Catholica in activitatibus suis quae bono communi inserviunt ex parte societatis civilis, in quantum iuxta constitutionis civitatis indolem potest, subsidia recipiat, quae ceteroquin proportionaliter et intra limites boni publici communitatibus, quae non sunt professionis catholicae, similiter concedantur.

19. Societas civilis, uti omnis hominum communitas, tenetur Deo servire. Hoc servitium praestare debet secundum propriam naturam, scilicet attendendo in sua legislatione ad normas legis divinae et fideliter adimplendo missionem propriam quam a Deo accepit. Congruo ordine iuridico dignitatem personalem et virtutem civium protegens et promovens, viam sternet ut omnia instaurentur in Christo (*Eph.* 1, 10).

Adnotationes

1) Omnis homo est subiectum a natura comparatum ad conscie et libere agendum. Ut finem suum ultimum attingat, iudicium conscientiae prudenter efformare et actibus liberis exsequi debet. Sub hoc respectu est inviolabilis et partes conscientiae eius a nullo alio suscipi possunt. Exinde propter dignitatem personae humanae proclamanda est libertas conscientiae. Quae libertas non infert conscientiam obligationibus erga veritatem solutam esse, quia conscientia essentia sua in actibus concretis praeco veritatis est, sed omnem coactionem humanam excludi.

Quapropter Ecclesia docet conscientiam, etiamsi tanquam praeco fallibilis bona fide erret, observantia et aestimatione omnium esse colendam. Hoc principium inconcussum affirmans, errorem non approbat, sed dignitatem personae humanae proclamat. Persona enim humana quae iudicium conscientiae sincere formare et sequi conatur, intentionem fundamentaliter bonam fovet; immo, cum actus conformare nequeat normis obiectivis nisi in quantum illas agnoscit et iudicio conscientiae attingit, non nisi mediante iudicio conscientiae, actus veritati submittere et nonnisi fideliter obsequendo conscientiae ad veritatem accedere potest.

2) Principia allata, cum sint firma et inconcussa, semper ubique valent. Nostris tamen diebus, cum Ecclesia in mundo magis magisque coadunato simul et mixto versetur, momentum eorum modo singulari patet. In omnibus regionibus applicentur necesse est ne bonum commune Ecclesiae universalis detrimentum capiat.

3) Missio terrestris seu temporalis, qua cultura humana augetur, perficienda est mediis naturalibus, activitate scilicet scientifica, technica, oeconomica, artistica, sociali, politica et internationali. Quae tamen activitas, cum sit humana, lege morali regi debet. Opus culturae, ne verae hominum

promotioni obstet, indiget ordinatione iuris naturalis quod in omnibus elementis ordinis profani et temporalis dignitatem personae humanae protegit et vindicat. Principia autem iuris naturalis, cum ope rationis humanae detegi possint, non modo a christianis sed etiam ab illis qui aliam vel nullam religionem profitentur cognosci et observari possunt. Inde consequens est normas iuris naturae fundamentum ponere possibilis concordiae et collaborationis omnium qui, sive sint vel non sint christiani, ordinem vere humanum construere intendunt. « Il existe donc certains principes élémentaires de caractère moral et religieux qui constituent le patrimoine primordial de tous les peuples et sur lequel on suppose une entente comme sur une base inévitable de vie commune pour réussir la construction du véritable ordre social et mondial de justice et de paix » (Card. Roncalli).

4) Ut mundus sit habitabilis et possibilitates vitae verae humanae praestet, homines populique collaborare debent et vires coniungere ut pro omnibus et singulis bona culturae humanae promoveant. Christifideles qui sunt in mundo (*Io.* 17, 15) et sortis humanitatis sunt participes, omni germano progressui culturae humanae operam studiumque conferre debent.

Hoc opus culturae humanae de se saeculare et temporale est, quia perficitur mediis quae non e revelatione sed e donis naturalibus a Creatore hominibus concessis hauriuntur. Attamen christiani sub lumine revelationis, quam fide amplectuntur, in sua cooperatione ad humanam culturam provehendam sensum religiosum significationemque christianam detegere possunt et colere debent.

Quod in primis patet e voluntate Dei Creatoris, qui hominem ad suam imaginem creavit (*Gen.* 1, 17). Cum Deus sit Creator et Dominus creationis, homo, ut est Dei imago, debet esse etiam creator et dominus creationis sub Dei dependentia et in Eius servitio. Revera S. Scriptura narrat Deum homini concredidisse munus procreationis vitae humanae et dominationis terrae, quam debet subiicere (*Gen.* 1, 28), custodire et labore colere (*Gen.* 2, 5 et 15). In ipso homine et in mundo Deus potentias virtutesque deposuit, quae sola mediatione curae laborisque hominum perfectionem et consummationem attingunt. Homo ergo, ut Dei imago, seipsum et mundum labore colens, munus creatoris et domini sub Dei dependentia et mandato adimplet. Quapropter labori sensus religiosus inest et homo, si ut adiutor Dei (*I Cor.* 3, 9) hunc sensum religiosum operis quotidiani suscipit, secundum mandatum Apostoli omnia in gloriam Dei facit (*I Cor.* 10, 31).

Sensus religiosus operis culturae humanae, qui iam in ordine creationis valet, in oeconomia christiana servatur et novis elementis ornatur. Christus praeceptum caritatis ut suum mandatum (*Io.* 14, 34-35) et ut normam iudicii (*Mt.* 25, 31-46) proclamavit. Atqui omnis labor seu activitas, bona culturae humanae producens, virtute finis sui intrinseci est servitium sociale et exinde in vita christiana caritas, quae verum bonum proximi quaerit, fundamentaliter incarnatur in opere quod quotidie in communitate humana praestatur. Christianus, ut sit fidelis praecepto caritatis, in cooperatione ad

bona culturae humanae augenda muneri suo deesse non potest. E contra, quo ardentior est eius voluntas cum Creatore collaborandi et quo actuosior in ipso dynamismus caritatis operatur, eo efficacius solutiones magis magisque humanas pro problematibus culturalibus prosequetur.

5) Propter missionem suam universalem et supernaturalem, Ecclesia praestantem prae se fert excellentiam qua societatibus temporalibus superior est. Altioris enim ordinis iura et obligationes exercet, quae a societate civili nec concedi nec auferri possunt, sed ei ab ipso suo divino Conditore immediate commissa sunt: mediis supernaturalibus sibi exclusive concreditis, potestatibus scilicet hierarchicis et signis sacris cultus sacrificialis et sacramentalis, communionem spiritualem Dei et hominum efficit, cum usque ad consummationem saeculi dona caritatis divinae, quae a Patre per Filium in Spiritu Sancto procedunt, omnibus gentibus communicet.

6) *Status et libertas religiosa.*

Quum verum bonum humanum suorum civium promovere debeat, Status tamquam fundamentum suae activitatis semper habere tenetur agnitionem legis naturalis et iurium civibus innatorum.

a) Debet agnoscere *existentiam* iurium personalium.

Haec iura omnibus (individuis et societatibus) manifestant id quod obiective loquendo exigitur existentia et destinatione hominum. Haec iura sunt inalienabilia (persona ipsa est subiectum horum iurium) et inviolabilia (obiectum horum iurium determinatur per id quod est et id ad quod destinatur persona).

b) Debet tueri et ordinare *exercitium* iurium personalium.

Exercitium iuris consistit in implicatione obiecti iuris in activitate externa. Exemplum: habeo ius formandi conscientiam meam et conformandi meam liberam decisionem cum iudicio conscientiae meae. Hoc ius exerceo quando hanc decisionem actui alicui externo applico. In re religiosa exercitium iuris habetur quando actus externos religionis pono: cultui interesse, convictionem religiosam aliis communicare (praedicando, scribendo, etc.), membrum esse societatis vel operis religiosi, defendere principia religiosa in ordine politico, sociali, oeconomico, etc.

Si exercitium iurium fit actibus externis, necessario limitatum est. Etenim, ubi primum persona aliqua ponit actus externos, agit in mundo ubi vivit in societate cum aliis et actus ipsius necessario modo repercussionem habent super alios. In exercitio iurium suorum limitata est, hoc sensu quod in iuribus exercendis rationem habere debet de exercitio iurium aliorum et exigentiarum boni communis.

Auctoritati civili competit:

1) in tuto ponere pro omnibus civibus exercitium eorum iurium personalium, nam iura fiunt illusoria si non datur occasio illa exercendi;

2) statuendi mensuram exercitii horum iurium ut unusquisque rationem habeat iurium aliorum et exigentiarum boni communis.

Auctoritas civilis suam missionem exercet stabiliendo ordinem iuridicum cuius normae, ut sint iustae, aequali modo omnibus civibus applicari debent (nam omnes habent eamdem dignitatem quoad iura personalia). Sic v. g. in materia religiosa exercitium iurium (libertas religiosa) pro omnibus iisdem legibus submittetur. Hac de causa loquimur de aequalitate *civili* cultuum. Haec verba non significant quod admittimus relativismum religiosum aut quod negamus locum unicum quem Ecclesia Catholica occupat quia ipsa sola est vera Christi Ecclesia, sed solummodo affirmamus quod respectu missionis Status et competentiae ex ea profluente, auctoritas civilis officium habet in tuto ponendi omnium aequalitatem civilem, a. v. pro omnibus individuis et pro omnibus societatibus debet ordinare exercitium iurium *secundum eandem normam civilem,* quae exigere debet unumquemque in exercitio suorum iurium rationem habere iurium aliorum et requisitorum boni communis.

II

NECESSITAS ORATIONIS PRO UNITATE CHRISTIANORUM MAXIME TEMPORIBUS NOSTRIS *

I - *Introductio, seu argumentum de opportunitate alicuius exhortationis ad orationem pro unitate a Concilio faciendae.*

Nemo est qui non videat restaurationem unionis omnium christianorum hucusque ab invicem dissidentium rem esse maximi momenti. Divisio etenim christianorum aperte contradicit voluntati divinae a Redemptore nostro clare revelatae in oratione sua ad Patrem « pridie quam pateretur »; obstaculum insuper non parvum praebet fidei christianae efficaciter praedicandae; audaciam denique iuvat inimicorum Dei qui, hodie magis quam umquam in praeterito, « convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius » (*Ps.* 2, 2).

Qua consideratione permotus, ipse Sanctissimus Dominus Papa Ioannes XXIII pluribus vicibus indicavit futurum Concilium fore « suave invitamentum » pro eis qui ab Apostolica Sede sunt seiuncti « ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus rogavit precibus » (*Acta et Documenta,* Series I, Vol. I, p. 34; *A.A.S.,* 51 [1959], pp. 498 ss.).

In re talis momenti omnia adhibenda sunt media quae natura sua apta sint ad mutuam cordium et mentium propinquationem et reconciliationem ut sunt, inter alia: studium revelatae doctrinae exactius et profundius acquirendae, colloquia peritorum catholicorum cum fratribus separatis de re historica, morali et doctrinali, fraterna collaboratio cum illis fratribus in omnibus quae apta sunt ad pacem et concordiam inter homines vel generaliter ad bonum commune humani generis procurandum secundum legem divinam tam naturalem quam revelatam.

Sed ante et super haec omnia ad fervidam et perseverantem orationem recurrendum est. Cuius orationis urgens necessitas luculenter apparet ratione innumerabilium inveteratarumque difficultatum hucusque prohiben-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis septimae, die 20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 813-834.

tium maiorem fructum conatuum hominum, ratione instigatoris divisionum quem diabolum esse non dubitandum est (quod genus « in nullo potest exire nisi in oratione et ieiunio », *Mc.* 9, 29), ratione praesertim supernaturalis indolis rei optatae quae a solo Deo potest ad finem feliciter perduci.

Sancta Mater Ecclesia, tam in Oriente quam in Occidente, in diversis locis divinae liturgiae, in canone missae, in litaniis sanctorum, in orationibus hebdomadae sanctae etc. orat ut fiat perfecta unitas omnium christianorum. Pro hac unitate obtinenda Leo Papa XIII preces novemdiales ante Pentecosten in perpetuum praecepit. Fere autem ab initio huius saeculi, incipientibus nonnullis fratribus separatis, feliciter contigit ut alia vulgaretur octava seu hebdomada precum mense ianuario celebranda; quibus precibus pro unitate omnium christianorum etiam multi fratres a Sede Apostolica separati suas partes nobiscum habere laudabiliter voluerunt.

Revera, si nostris temporibus apud fere omnes christianorum coetus ubique terrarum sese manifestat sitis tam ardens unitatis christianae restaurandae, hoc, ut aperte testatur in Instructione Ecclesia Catholica a Suprema S. Congregatione Sancti Officii nuper edita (*A.A.S.*, 42 [1950], pp. 142 ss.), ad efficacem inspirationem Spiritus Sancti imputandum est qui et ferventem universalemque orationem pro hac unitate inspiravit et hanc orationem, desiderium augendo et multiplicando, exaudire incepit. Hoc igitur divinae exauditionis initium magnam spem in nobis alere debet et incitamentum praebere ut, non omissa praevia humilique gratiarum actione, ad orationem pro unitate frequentius et ferventius recurramus.

Exauditio autem orationis non solum a frequentia fervoreque dependet orationis. Oportet etiam ut hoc postuletur a Deo quod Ipsi placitum est, secundum illud orantis Ecclesiae: « ut petentibus desiderata concedas, fac ea quae Tibi placita postulare » (*Ad Vesp.* fer. 4^{ae} infra hebdomadam 4^{am} Quadragesimae). Oportet et adhuc ut ad omnia implenda parati simus quae, ex parte nostra, apta erunt sive prohibentia removendo, sive favorabilia promovendo, ad reconciliationem omnium christianorum in unitate fidei, regiminis et vitae sacramentalis unius et unicae Ecclesiae Dei.

Qua in re prae mentis oculis semper habere debemus quod unitas Ecclesiae, Corporis Christi, non constituitur solis elementis visibilibus (quamvis haec elementa ad ordinem sacramentalem et ideo spiritualem diversi modo iam pertineant) sed realitate proprie spirituali et quodammodo transcendentali, cuius archetypum et fundamentum unitas est Ipsarum divinarum Personarum, secundum verba Salvatoris: « ut omnes unum sint *sicut* tu, Pater, in me et ego in Te; ut et ipsi *in nobis* unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, *sicut* et nos unum sumus. Ego in eis et Tu in me, ut sint consummati in unum » (*Io.* 17, 21-23). Ideo, cura de unitate visibili omnium christianorum restauranda iam separari non potest, tam in consideratione theologica quam in oratione ab authentica fide inspirata, a mysterio gratiae divinae non solum adiuvantis sed et sanctificantis. In qua gratia participare possunt et revera

participant multae animae sine personali culpa a canonica communione Romanae Ecclesiae seiunctae.

His perpensis, valde optandum apparet ut sacrosancta synodus opportunum iudicet incitare omnes christianos ad frequentiorem, alacriorem divinaeque voluntati conformiorem orationem pro unitate christiana, caute curando quidem ut verba talis exhortationis spiritu evangelicae humilitatis et caritatis non fictae imbuantur, ne ad detrimentum reconciliationis fraternae vertatur quod ad promotionem unitatis destinatur.

II - *Schema exhortationis*

Haec sacrosancta synodus in mentem omnium revocat gravissima damna ex divisione christianorum oriri. Haec enim deploranda et inveterata dissensio aperte contradicit voluntati divinae, scandalum excitat christianorum et non-christianorum, obstaculum non parvum praebet nuntio salutis omni creaturae praedicando, audaciamque iuvat inimicorum Dei qui, nostris praesertim temporibus « convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius » (*Ps.* 2, 2).

Ideoque, Patres venerabilis concilii, in Spiritu Sancto congregati, gratias agentes Deo pro dono unitatis Ecclesiae suae concesso, instanter exhortantur fideles ut ipsi « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3) saepe saepius ferventes orationes ad Deum dirigant ut omnes nominis christiani Dei cultores hanc unitatem adipiscantur qua Christus Ecclesiam exornari voluit.

Apertae sint, Fratres carissimi, aures mentis nostrae illis ineffabilibus gemitibus quibus orat in nobis Ipse Spiritus Sanctus. Oremus cum plena fiducia de indefectibili promissione Christi qui in eius nomine convenientes et in oratione consentientes de quacumque re petierint promisit exaudire. Oremus omnes uniti cum Christo orante et dicente: « Non pro eis (apostolis) autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia Tu me misisti » (*Io.* 17, 20-21).

Oremus, nos qui in sinu Matris Ecclesiae enutriti fuimus et qui tanto magis de unitate omnium christianorum curare et agere debemus quanto plus a Deo de dono unitatis, quamvis indigni, accepisse confidimus. Et primum quidem Spiritum Sanctum imploremus ut in unoquoque nostrum, pro gravitate muneris in Ecclesia functi, magis ac magis eluceat accuratae fidei intelligentia mysterii Corporis Christi quod est Ecclesia. Veniam a Deo petamus eo quod, in praeterito, pro vitanda divisione vel restauranda unitate non satis egerimus, immo forte saepius fragilitatis exemplo fratribus scandalo et obstaculo fuerimus. Petamus insuper ut fratres nostros a nostra communione seiunctos aequa mente iudicemus, parati etiam gratias agere Deo pro omni veritate revelata quam nobiscum retinent. Petamus ut in

ipsis simul ac in nobis gratia divina desiderium efficax unitatis augeat et multiplicet et sic illis aperiatur via ad illam perfectam unitatem, visibiliter manifestatam, qua Deus suam Ecclesiam supra Petrum aedificatam confortare voluit. Ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Liceat nobis et vos ad orationem pro unitate exhortari, fratres carissimi, qui nobis ad talem orationem non una vice incitamento fuistis; vos qui nomen Christi invocatis et signo baptismatis signati estis sed plenam spiritualem et visibilem communionem nobiscum non habetis; vos, inquamus, qui divisiones inter christianos deplorantes, sincero anhelitu laudabilibusque conatibus persequimini unitatem.

Spiritualiter in oratione coniuncti, perseveremus omnes in intercessione apud Patrem nostrum qui in caelis est et scit bona data humiliter et perseveranter petentibus dare; apud Filium eius unigenitum Dominum nostrum « semper vivens ad interpellandum pro nobis » (*Hebr.* 7, 25); et apud Spiritum Sanctum, vinculum unitatis.

Unanimiter oremus ut « veritatem facientes in caritate crescamus in Illo per omnia qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 15-16).

III

DE OECUMENISMO CATHOLICO *

(Decretum pastorale)

I. *De Ecclesiae unicitate atque unitate*

Christus Iesus, Bonus Pastor, cunctos fideles suos in unum iubet convenire ut fiat unus grex sub uno pastore. Unicus etenim est populus Dei, unica Christi Ecclesia, quae, a Domino instituta et a Spiritu Sancto iugiter vivificata, saeculorum decursu indefectibiliter Dei gratia permanet veluti caritatis unitatisque fulgens « signum levatum in nationes » (*Is.* 11, 12).[1]

Benevolentia Dei Patris inde ab aeterno vocatus, unusquisque fidelium « ex semine... incorruptibili per verbum Dei vivi » (*I Pt.* 1, 23) nascitur; populo Dei incorporatur adhaerendo Salvatori Domino, fidem in Evangelium Eius profitendo necnon baptismatis lavacrum accipiendo, istius incorporationis sacramentale signum. Spiritu Dei animatus in fide, spe et caritate, populus Dei crescit atque augetur, iugiter operante gratia Domini, cuius salutifera media, una cum verbo, sacramenta existunt, inter quae Eucharistiae mysterium, causa et signum unitatis, ut supremum culmen elevatur. Populus iste in sanctitate et veritate per pastores gubernatur, qui eum sacra auctoritate pascunt: episcopi Summo Pontifici tamquam capiti uniti eique subordinati. Ita in organica unitate constitutus, quae elementis visibilibus necnon invisibilibus vitali modo connexis constat, populus Dei peregrinatur in spe ad gloriae supernae metam.[2]

II. *Quaedam Ecclesiae bona seu elementa etiam extra eius saepta inveniuntur*

Ex elementis seu bonis, quibus simul sumptis non tantummodo Ecclesiae patrimonium coalescit, sed etiam ipsa Ecclesia constituitur, quaedam existere possunt etiam extra visibilia eius saepta. Id praeprimis valet de vita gratiae, de interioribus Sancti Spiritus donis, de fidei, spei et caritatis virtutibus. Id etiam de nonnullis elementis exterioris ecclesiasticae compagis verificatur. Eucharistia reapse asservatur, ubicumque augustissimum hoc sacramentum per sacerdotes rite valideque ordinatos celebratur. Pariter baptismi regeneratio revera confertur, ubicumque sacramentum hoc

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis septimae, die 20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 785-812.

iuxta Domini institutionem impertitur. Christianorum separatorum spiritualis vita e fonte sincero ac genuino alitur, quandocumque auditione verbi Dei confortatur. Apud Orientales separatos sacramentalis vita insigne augetur in sacrae liturgiae sollemnibus per hierarchicos ordines celebratis.[3]

Hae christianae religionis actiones sacrae, apud fratres separatos peractae, procul dubio iisdem exstant media salutis, fontes salutis,[4] idque sensu vero, etsi imperfecto. Imperfecto ac incompleto, dicimus ea de causa, quia omni salutis mediorum plenitudine in sola vera Christi Ecclesia, quae ipsa « generale auxilium salutis »[5] est, frui licet. Vero autem sensu, dicimus ea de causa, quia vitam gratiae vere generare possunt, in communitatem salutis ingressum pandere atque ad caelestis Ierusalem gloriam adducere.[6]

Quapropter communitates separatae nequaquam in universalis salutis mysterio omni significatione ac pondere exutae manent. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quibus semetipsum una cum fidei, spei et caritatis donis liberaliter elargitur. In illis quoque adorationis laus ad Patris gloriam conclamatur. Brevi, in ministerio Verbi Evangelii (*Rom.* 15. 16), in celebratione sanctae liturgiae, mysteria christianae salutis exercentur. Unus idemque Deus est, unus idemque Spiritus necnon baptisma et caritas, quibus vita alitur spiritualis in separatis quoque communitatibus, quae proinde Spiritu Christi ducuntur ad illam communionem communitatemque, in qua sola adservantur omnia salutis media, iuxta ipsius Christi institutum, quae unica Eius est sponsa: Ecclesia catholica.[7]

III. *Quomodo oecumenismi opus actu exercendum sit*

Appellatione « fratres separati »[8] opportune vincula illa in lucem ponuntur, quae, nonobstante separatione, nos cum christianis non catholicis coniungunt. Haud aliter ac ea quibus separamur, illa quoque quibus unimur in concreto vitae catholicae usu palam manifestari debent.

a) *Fratres separatos vere cognoscere oportet.*

Prae ceteris heic studium necessarium est, studium vere obiectivum, benevolo animo conductum. Catholici acquirant oportet omnino meliorem fratrum separatorum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitionem, psychologiae religiosae necnon culturae, quae fratribus separatis propria est.[9] Ad id assequendum multum iuvant de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus, dummodo qui in illis partem habent, sub praesulum vigilantia, vere periti sint.[10] Hac via et separatorum fratrum mens melius cognoscitur eisque fides nostra aptius exponitur.

Sacrae theologiae institutio, prout in seminariis et theologicis scholis viget, multum iuvatur ex hac ad veritatis normam melius adaptata cognitione. Multum enim valet futuros pastores ac sacerdotes pollere theologia ita adamussim elaborata, non mere polemica, in iis praeprimis, quae ad fratrum separatorum erga Ecclesiam catholicam relationes spectant. Institutio ac formatio spiritualis fidelium necnon religiosorum etenim e formatione sa-

cerdotum quam maxime pendet. Sed etiam missionales viri, qui in iisdem terris simul ac non catholici operam dant, si umquam, hodie instructi esse debent de sequelis, quae ex oecumenismo in eorum apostolatum effluunt.

b) *Necessitas orationis pro unitate.*

Sollemne est viris catholicis frequenter ad precationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter expostulavit: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21). Ex corde omnes ad eiusmodi manifestationes oecumenismi spiritualis accurrant, qui tamquam anima totius motus oecumenici revera aestimandus est.

In quibusdam occasionibus particularibus, utpote in « octavario pro unitate », in oecumenicis conventibus, licitum, immo et opportunum est catholicos viros fratribus separatis in oratione consociari. Communis adprecatio in eiusmodi adiunctis, seposito quovis cultu officiali, et perefficax medium supplicationis pro unitate est et genuina expressio vinculorum, quibus catholici cum fratribus separatis adhuc coniunguntur,[11] « ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Attamen cum nexus isti, proh dolor, solummodo ex parte ac imperfecte vigent, Eucharistiae sacra mysteria in unum non celebrantur. Eucharistiae sacramentum et sacrificium, utpote unitatis a Christo Domino intentae et institutae proprium signum et fons, celebrandum non est nisi in ea fidelium communitate, in qua ecclesiastica haec unitas revera adest.

c) *Cooperatio cum fratribus separatis.*

Hodiedum in re sociali cooperatio latissime instauratur; omnes prorsus homines ad communem operam vocantur, a fortiori ii, qui in Deum credunt, maxime autem omnes christiani utpote Christi nomine insigniti. Omnium christianorum cooperatio coniunctionem illam, qua iam ad invicem uniuntur, vivo modo exprimit communemque Christianismi notam in pleniorem lucem ponit. Cooperatio haec, in non paucis nationibus iam instaurata, magis magisque perficiatur oportet, in regionibus praesertim, quae in via evolutionis technicae inveniuntur, tam quoad humani consortii fundamenta quam in doctrina sociali Ecclesiae necnon in cuiusvis generis remediis contra nostrae aetatis aerumnas, quales sunt fames et catastrophae, analphabetismus et inopiae, penuria habitationum et bonorum iniusta distributio. In eiusmodi cooperatione christiani ab invicem in fide separati facile addiscere possunt, quomodo alter alterum melius cognoscant, magis aestimare sciant itaque ad unitatem viam sternant.[12]

IV. *Oecumenismi opus* *tamquam genuinae catholicitatis manifestatio et progressus*

Oecumenismi opus nullatenus sola cooperatione et conventibus absolvitur: postulat insuper activitates quasdam in ipsa catholicorum communitate.

a) *Interior Ecclesiae renovatio.*

Omnis interior Ecclesiae renovatio, utpote quae essentialiter in christianorum adaucta fidelitate erga propriam eorum vocationem consistit, profunde in motum versus unitatem influit. Ad id non parum conferre potest dialogus cum fratribus separatis, ex quo rerum adiuncta, in quibus communio nostra de facto versatur, clarius innotescunt. Ecclesiae renovatio, a Summo Pontifice Ioanne XXIII persaepe invocata, procul dubio insigne obtinet momentum oecumenicum. Variae illae sectiones, in quibus renovatio iam in actu est — motus biblicus necnon liturgicus, proclamatio Verbi Dei, laicorum apostolatus, vitae religiosae renovatae formae, matrimonio iunctorum spiritualitas — tamquam arrha sunt et oecumenismo catholico futuros successus fauste ominantur.

b) *Oecumenismus ut catholicitatis exercitium.*

Oecumenismus genuinae catholicitatis exercitium expostulat, immo in eo ipsa catholicitas vere actuatur. Adiuvat enim nos dignoscere et aestimare bona authentica apud fratres separatos, quae de se ad catholicam plenitudinem pertinent. Invitat nos incessanter catholicitatis notam plenius manifestare. Certo certius Deus Ecclesiae suae omnia gratiae media concredidit; non tamen minus verum est, christifideles illa omni die intimiori modo sua facere necnon hominibus omnibus, in quavis rerum condicione positis, accessibilia reddere oportere. Ecclesia catholicitatem suam continuo plenius manifestat, cum valores omnes, qui Dei opera in humana varietate inveniuntur, Spiritu Evangelii informat. Ita coram gentibus omnibus in mirabili illa culturae diversitate, in pietatis et cultus et spiritualitatis diversis formis sistitur: « iisdem quasi amicta varietatibus libentissime exornatur ».[13]

c) *Conversio cordis.*

Oecumenismus verus absque interiore conversione non datur. A Spiritu divino semper imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, fraternae in alios propensionis. Ex corde nostro exstirpare oportet egoismum et superbiam, quippe qui in quavis historiae aetate infaustus discordiarum fons fuere. « Obsecro itaque vos », Apostolus gentium affirmat, « ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 1-3). Exhortatio haec ad illos speciatim spectat, qui ad sacri ordinis dignitatem elevati sunt: Deus enim sacri sacerdotii excelsa dona hominibus misericorditer concedit intuitu continuandae missionis Christi, qui inter nos venit « ministrare non ministrari » (*Mt.* 20, 28).

In suimetipsius abnegatione, in caritatis liberrima effusione, desideria unitatis maturescunt, quae Spiritus Sanctus tam abunde hodie in omnium christianorum cordibus excitat.

NOTAE

[1] Ita declaratur *unicitas* Ecclesiae eiusque *indefectibilitas,* v. g. apud LEONEM XIII, in Epist. Encycl. *Satis cognitum* (29 iunii 1896): « Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidit ac praesignificavit Isaias cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus Domini,* videlicet Ecclesiae, expressam gerebat: *et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium* (*Is.* 2, 2). Atqui *unus* iste mons est in vertice montium locatus: *una* domus Domini ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluerent: *Et fluent ad eam omnes gentes... et dicent*: *venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius* » (*Is.* 2, 3) (*A.S.S.,* XXVIII [1895/96], p. 713).

[2] Ita declaratur Ecclesiae *unitas,* cf. Leonis XIII Epist. Encycl. *Satis cognitum* (29 iunii 1896): « Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit » (*A.S.S.,* XXVIII [1895/96], p. 710).

Item in PII XII Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (29 iunii 1943): « Nam per iuridicam, ut aiunt, missionem qua Divinus Redemptor Apostolos in mundum misit... ipse est, qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit, solvit, ligat, offert, sacrificat. Ea vero altiore donatione, *interna ac sublimi prorsus,* quam supra attigimus, Capitis scilicet rationem describentes influendi in membra sua Christus Dominus Ecclesiam superna sua vita vivere iubet, totum eius Corpus divina virtute sua permeat, et singula membra secundum locum, quem in Corpore occupant, eo fere modo alit ac sustentat, quo cohaerentes sibi palmites vitis nutrit facitque frugiferos » (*A.A.S.,* XXXV [1943], p. 218). Item: « Quamvis enim iuridicae rationes, quibus Ecclesia etiam innititur atque componitur, ex divina oriantur a Christo data constitutione, ad supernumque finem assequendum conferant... Redemptoris nostri Spiritus est, qui ceu fons gratiarum, donorum, ac charismatum omnium, perpetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur... sic socialis chri-

stianae reipublicae structura, quamvis divini Architecti sui sapientiam praedicet, aliquid tamen inferioris omnino ordinis est, ubi cum spiritualibus donis comparatur, quibus eadem ornatur ac vivit, cum eorumque divino fonte » (*Ibid.,* p. 223). Tandem: « Iuridicis autem hisce vinculis, quae iam ratione sui sufficiunt, ut cuiusvis alius, etsi supremae, humanae societatis nexus longe exsuperentur, alia necesse est accedat unitatis ratio ob tres illas virtutes, quibus nos inter et cum Deo *arctissime* copulamur: christianam inquimus fidem, spem caritatemque » (*Ibid.,* p. 227).

[3] a) *De orientalibus.*

« Eo vel magis quod non ingenti discrimine seiunguntur; immo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus » (LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iunii 1894, cf. *A.S.S.,* XXVI [1893/94], p. 707).

« Praesertim cum apud illos populos tanta divinae Revelationis pars religiosissime asservata sit; et sincerum Christi Domini obsequium et in eius Matrem intemeratam amor pietasque singularis, et ipsorum Sacramentorum usus vigeat » (PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Orientalium,* 8 septembris 1928, cf. *A.A.S.,* XX [1928], p. 287).

Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere, peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent » (PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944, cf. *A.A.S.,* XXXVI [1944], p. 137).

b) *De reformatis.*

« ... qui etiamsi eumdem Christum Iesum veluti Redemptorem agnoscant, et in christiano nomine glorientur... » (PIUS IX, Litt. Apost. *Iam vos omnes,* 13 sept. 1868, cf. MANSI, *Amplissima Collectio Conc.,* t. 50, p. 203*).

« ... christianis initiati sacris... » (LEO XIII, *Epist. Longinqua Oceani,* 6 ian. 1895, cf. *A.S.S.,* XXVII [1894/95], p. 399).

« Scotorum nobiscum de fide dissidentium complures quidem Christi nomen ex animo diligunt, eiusque et disciplinam assequi et exempla sanctissima persequi imitando nituntur » (LEO XIII, Epist. Encycl. *Caritatis studium,* 25 iulii 1898, cf. *A.S.S.,* XXXI [1898/99], p. 11).

« Iesum Christum Filium Dei eundemque Servatorem generis humani agnoscunt et fatentur » (LEO XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iunii 1896, cf. *A.S.S.,* XXVIII [1895/96], p. 738).

« ... qui se Christi asseclas esse gloriantur, quique in ipso cum singulorum, tum humanae consortionis spem salutemque reponunt... » (PIUS XII, Litt. Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931, cf. *A.A.S.,* XXIII [1931], p. 510).

« ... sono a Noi vicini per la fede in Dio e in Gesù Cristo » (PIUS XII, Nuntius Radiophon. *Nell'alba,* 24 dec. 1941, cf. *A.A.S.,* XXXIV [1942], p. 21).

c) *De anglicanis.*

« Non timide complectuntur atque etiam asserunt summa Dei et Christi eius iura » (LEO XIII, Epist. Apost. *Amantissime voluntatis,* 14 apr. 1895, cf. *A.S.S.,* XXVII [1894/95], p. 587).

[4] Ita Mgr Ch. Journet: « La transmission ininterrompue de l'exercice valide du pouvoir d'ordre à l'intérieur des Eglises dissidentes sont unt témoignage émouvant des profondeurs de la volonté salvifique de Dieu qui, en continuant de dispenser de cette manière les grâces de contact de son sacrifice et de ses sacrements... nous révèle son étonnant dessein de commencer en quelque sorte à former l'Eglise en dehors de l'Eglise... » (*L'Eglise du Verbe Incarné*, I, *La Hiérarchie Apostolique,* 2ème édit., Desclée, 1955, p. 652). Auctor citat circa illam quaestionem L. Billot, *De Ecclesia Christi,* Roma 1921, p. 339.

[5] Cf. *Epist. S. Officii ad R. J. Cushing,* Archiepiscopum Bostoniensem, 8 aug. 1949: « Idem autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale Ipsa auxilium salutis est » (*The American Ecclesiastical Review,* 127 [oct. 1952], p. 308).

[6] Cf. *Epist. supracit.* ad Archiepiscopum Bostoniensem, ubi legitur: « Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut *reapse* Ecclesiae tamquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eidem *voto* et *desiderio* adhaereat » (*Ibid.,* p. 308).

[7] Id diversis modis et diverso gradu locum obtinet, maxime autem apud Orientales separatos. Quando non pauca Sanctae Sedis documenta de « ecclesiis orientalibus », quae a catholica communione seiunctae sunt, mentionem faciunt, id procul dubio ob gravia illa elementa Ecclesiae, quae separatae communiones adhuc servant, fit, praeprimis, quia episcopalis ordo necnon eucharistica synaxis in eis continuatur, quae omnia ad structuram Ecclesiae particularis primaria ratione pertinent. (Quoad terminos in documentis Sanctae Sedis adhibitos, cf. Y. Congar, in: *Chrétiens Désunis,* Cerf [1937], pp. 381-382, et in: *Irénikon* [1950], pp. 22-24).

[8] Ita Ioannes XXIII in Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram* (29 iunii 1959): « Eos igitur omnes, qui a Nobis seiuncti sunt, tamquam fratres verbis alloquimur S. Augustini dicentis: " velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere: Pater Noster " » (*A.A.S.,* LI [1959], p. 515).

Item in *Allocutione* die 14 nov. 1960 habita in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando: « Verum probe nostis, dilecti filii, ... iussu Nostro Coetum etiam accessisse, cuius erit ... ad interrogata eorum fratrum Nostrorum debito honore dignorum respondere, qui, quamvis sint a Nobis, uti loqui solemus, seiuncti ... de Concilii laboribus resciscere aliquid velint » (*A.A.S.,* LII [1960], p. 1010).

[9] Pius XII in Litt. Encycl. *Sempiternus Rex,* 8 sept. 1951: « Explanat profecto iter, quo assequenda est huiusmodi meta tranquillior sine ira et studio indagatio, qua magis quam exactis aetatibus vetera gesta retexi atque perpendi nunc solent » (*A.A.S.,* XLIII [1951], p. 642).

[10] S. Officii Instructio *De motione oecumenica,* 20 dec. 1949: « Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint » (*A.A.S.,* XLII [1950], p. 145). Haec debent fieri « singulari prorsus Ordinariorum vigilantia » (*Ibid.,* p. 144).

[11] Cf. *Instr. S. Off.* supracit.: « Quamquam in omnibus hisce convenientibus et collationibus quaelibet in sacris communicatio est devitanda, tamen non repro-

batur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et concludantur » (*Ibid.*, p. 146, sub V).

[12] Permittuntur conventus cum acatholicis, quando agitur de via, qua « collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae, vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus » (cf. *Instr. S. Off.* supracit., *Ibid.*, p. 145).

[13] PIUS XII, Epist Apost. *Cupimus imprimis,* 18 ian. 1952: « ... iisdem quasi amicta varietatibus libentissime exornatur » (*A.A.S.*, XLIV [1952], p. 153).

IV

DE VERBO DEI *

(Schema decreti pastoralis)

1. Verbum Dei, quod summo honore pietatisque affectu prosequi numquam desiit, Ecclesia omnibus Christifidelibus tamquam supernum Dei donum et firmissimam fidei arcem ob hodierna rerum adiuncta etiam enixius commendat. Etenim inimicus ille homo, qui in dominico agro zizania superseminare in saeculorum nocte enititur, hodie non tam singulos excitare videtur errores huic vel alteri doctrinae singillatim oppositos, sed maxime ipsum revelationis divinae factum, universum revelationis depositum respuere ac proinde credentium in Dei verbum assensionem enervare conatur. His contra fidem ingravescentibus periculis Ecclesia inter cetera gratiae dona ipsum vivum et vivificans verbum Dei opponit, cui virtus salvifica certissime efficaciter inest.

2. Verbum Dei ea omnia, quae Deus nobis revelando locutus est, comprehendit: Verbum scriptum et traditum, quod in cultu et vita resonat Ecclesiae.

3. Scit enim Ecclesia, verbum Dei nullatenus verbo humano exaequandum esse, cum econtra illud in immensum exsuperet: tanta enim verbo Dei inest vis ac virtus spiritualis, talis vigor caelestis et potentia supernaturalis — est enim asseverante Apostolo « Dei virtus » (*I Cor.* 1, 18), necnon « Verbum salutis » (*Act.* 13, 26) et « vitae » (*Act.* 5, 20) — ut omnibus Christifidelibus vere sit fons vitae spiritualis, cibus animae, robur fidei, sustentamentum et vigor Ecclesiae, et si in actum vitae quotidianae fideliter adducitur, credentibus omnibus fidem germanam, spem inconcussam ingerere potest, tam contra omnia falsi nominis scientiae oblectamenta quam contra vitae huius anxietates, quae innumeros hodie opprimunt animos.

4. « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio... » (*Hebr.* 1, 1-2). Itaque per Verbi incarnati verba nobis Dei mysteria innotescunt, ut in fide homo reapse cum Deo coniungatur. In verbo suo hominem alloquens Deus enim personaliter ad nos accedit, spiritu nobis appropinquatur atque nobis sociatur audientibus, salutariter agendo nobis in persona occurrit et gratia sua tamquam Pater filios suos amplectitur. Verbum Dei credentibus

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis septimae, die 20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 816-834.

est vita et gratia et cibus spiritualis: « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei » (*Mt.* 4, 4). « Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt » (*Io.* 6, 63). Verbum Dei continenter in animis agit, eos ad summam invitans atque disponens de vita electionem, qua homo ad Deum convertitur eumque sequi deliberat ac decidit; qui fide verbum Dei in se recipit, ille iam « habet vitam aeternam et... transiit a morte ad vitam » (*Io.* 5, 24).

5. Verbum Dei ante omnia donum est divinitus Ecclesiae datum: inde autem haud pauca officia ac munera Ecclesiae erga hoc divinum verbum consequuntur.

Verbum Dei donum est Ecclesiae impertitum eo sensu, quod Apostoli, et in eis Ecclesia, ab ipso Iesu Redemptore mandatum acceperunt, simul cum plena potestate, post Domini ascensionem, in Spiritus Sancti virtute, evangelium Christi, iuxta illam quae in Apostolis completur revelationis plenitudinem, omnibus gentibus praedicandi: « qui vos audit, me audit » (*Lc.* 10, 16). Apostolorum sermo igitur nequaquam verbum mere et nude humanum de Christo eiusque salutifero opere erat, sed ministerium verbi Christi ipsius, quod tunc ore Apostolorum nunc voce Ecclesiae transmissum usque ad nos pervenit atque in nobis salutariter et efficaciter operatur: « quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis » (*I Thess.* 2, 13).

6. Haec eadem apostolica vox, « verbum veritatis, evangelium salutis » (*Eph.* 1, 13), insitam sibi vim ac potentiam continet transformandi et regenerandi omnes ut vivant non iam « ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi » (*I Petr.* 1, 23). Eadem haec apostolica vox per volventia resonat saecula, numquam emortua vel languescens, semper vero vivens et operans in catholica et apostolica Ecclesia aedificata « super petram » (*Mt.* 16, 18). Verbum Dei igitur non solum fundamentum doctrinae catholicae praebet, sed insimul, cum per Ecclesiae praedicationem inter nos praesens fit, considerandum est ut modus et medium oeconomiae salutis, quo ipse Deus in verbo suo fidelium animos salutari gratia attingit atque ad divinae vitae consortium adducit. Audire autem Verbum Dei ille capax non est, qui interna animi dispositione ac docilitate, quae per gratiam efficaciter obtinetur, ad id accipiendum paratus non est. Verbum ex auditu acceptum in animis ipse Spiritus Sanctus gratia sua fructiferum reddit.

7. Absque verbo Dei Ecclesia nec esse sed ne cogitari quidem possit. Apostoli autem nil aliud esse voluerunt quam « ministri sermonis » (*Lc.* 1, 2), qui non semetipsos sed Christum annuntiabant: haud aliter Ecclesia apostolica vero quodam sensu est verbi Dei ministra, et supremae auctoritati Dei loquentis submittitur, utpote quae divinae revelationi, in Apostolis completae, nil novi addere nil traditi adimere umquam nec vult nec potest (Cf. DENZ. 1836).

8. Revelantis Dei Verbum non solummodo in dogmaticis veritatibus

ab Ecclesia definitis exprimitur sed insuper continuo fidelibus cibum vitae spiritualis praebet, maxime in Sacrae Scripturae utriusque Testamenti inspiratis eloquiis. Quamobrem Dei verbum huiusque verbi cultus, e Scripturarum sapientia exhausta pietas, veluti formam intime omnibus vere Christifidelibus imprimant oportet omnino: « Ignoratio Scripturarum enim ignoratio Christi est », ut signanter Hieronymus affirmat. Non utique ut cuiusvis libri lectura sacri eloquii auditio aestimanda est sed plane ut viva ac vitalis Patris caelestis et filiorum conversatio. De nullo umquam alio sed de evangelii Verbo dumtaxat Ecclesia agnoscit: « per evangelica dicta deleantur nostra delicta ».

9. Verbum Dei Ecclesia peculiari sollemnitate celebrat in liturgica laudis actione, cuius pars essentialis inde ab exordiis fuerat Scripturarum lectio ad fidelium in fidei mysteriis institutionem. Verbum Dei nequaquam sola Sacrae Scripturae lectione absolvitur, sed procul dubio aliis quoque eisque variis modis nobis praesto est. Ante omnia in praedicatione, dein cum adunata fidelium congregatio « magnalia Dei » (*Act.* 2, 11) gratiarum actione celebrat, Domini mortem commemorando annuntiat « donec veniat » (*I Cor.* 11, 26); sed etiam omne de Christo in Spiritu testimonium (*I Cor.* 12, 3), sacramentorum administratio (cf. *Rom.* 6, 3 ss. de baptismo), et « sana doctrina » (*I Tim.* 1, 10) sunt insimul proclamatio salvifica virtutis Christi et pro tanto virtutem Verbi Dei quadamtenus participant.

10. Verbum Dei in Ecclesiae ministerio tunc summam suam salutarem nanciscitur efficacitatem, cum in constitutionem venit sacramentorum, quae saepe per verba a Scriptura immediate deprompta perficiuntur: quamobrem verbum et sacramentum, numquam dissociandum vel scindendum, sed in unum coalescens intelligatur oportet, cum per utrumque simul idem Christus nostram operetur salutem.

11. Verbum quod accepit a Domino, suo Ecclesia ministerio tuetur et excolit, praedicando illud fidelibus tamquam spiritualem cibum porrigit, quos verbo Dei in vitam aeternam alit: in eo insignis functio spritualis curae animarum consistit. Hac de causa, praelucente nobis Sanctorum Patrum exemplo, homilia ut numquam satis aestimanda praedicationis forma ab omnibus excolenda est. Cum igitur Verbum Dei in salutis oeconomia tam insignem obtinet locum, perutilis est clara de Verbo Dei doctrina, non eo solummodo sensu quod revelatio divina fundamentum est doctrinae et veritatis, sed etiam quatenus verbum Dei in Ecclesia et per Ecclesiam ut « vivus... sermo Dei et efficax » (*Haebr.* 4, 12) actuatur.

12. Assuescant igitur sacerdotes, sed iam sacrorum alumni, a Scripturarum lectura, studio, meditatione numquam recedere, ut sint verbi Dei assidui auditores et sic evadant eius aptissimi praedicatores. Theologicae etiam disciplinae in suis disceptationibus et arcanae veritatis elucubrationibus quam proxime Scripturarum sequi eloquia sibi pro norma habeant: Scriptura videlicet et Traditio « tot tantosque continent thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriantur. Quapropter sacrorum fontium studio

sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum econtra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem negligit, ut experiundo novimus, sterilis evadit » (PIUS XII, Litt. Encycl. *Humani generis, A.A.S.,* 42 [1950], p. 569).

13. Pastorum officium est, fideles omnes quam primum suaviter in frequentem piamque Scripturarum lectionem manuducere, quo consuescant mysteria Dei in eis contemplare atque inde robur spirituale contra omnes impietatis impetus haurire. In id praedicatio dirigenda est ac totus liturgiae cultus digne et competenter instituendus, ut inter Sacramentorum Sollemnia emineat quoque continua verbi Dei proclamatio. Sicuti ex adaucto Eucharistiae cultu Ecclesiae vita incrementum acceperat, haud secus ex adaequata Verbi aestimatione et cultu novum spiritualis vitae impulsum sperare licet. Etenim: Verbum Domini manet in aeternum.

APPENDIX

DE IUDAEIS

Ecclesia, Christi Sponsa, grato animo agnoscit fidei et electionis suae initia, iuxta Dei salutare mysterium, iam in Israël Patriarcharum et Prophetarum adesse. Quapropter omnes Christifideles, Abrahae filios secundum fidem (cf. *Gal.* 3, 7), in ipsius vocatione includi, necnon in populi electi exitu de Aegypto Ecclesiae salutem mystice praesignari (Liturgia Vigiliae Paschatis), confitetur. Nequit Ecclesia, nova in Christo creatura (cf. *Eph.* 2, 15), oblivisci se esse continuationem spiritualem populi huius quocum misericors Deus Antiquum Foedus concludere dignatus est.

Credit enim Ecclesia Christum, Pacem nostram, uno amore Iudaeos atque Gentes complecti et fecisse utraque unum (cf. *Eph.* 2, 14). Gaudet amborum unionem in uno corpore (cf. *Eph.* 2, 17) annuntiare reconciliationem totius orbis terrarum in Christo Iesu. Sed populi Iudaici maxima pars longe manet a Christo; iniuria tamen diceretur populus maledictus, cum Deo maneat carissimus, propter Patres et promissa eis data (cf. *Rom.* 11, 28). Amat Ecclesia hunc populum, ex quo natus est Christus Dominus qui gloriose regnat in coelo, ex quo nata est Virgo Maria, omnium Christianorum Mater, ex quo orti sunt Apostoli, Ecclesiae fundamentum et columnae.

Credit insuper adunationem populi Iudaici cum Ecclesia partem integram spei christianae esse. Ecclesia enim fide inconcussa ac desiderio magno reditum huius populi exspectat. Tempore visitationis solummodo « reliquiae secundum electionem gratiae » (*Rom.* 11, 5), utpote primitiae Ecclesiae, Verbum acceperunt. Tempore autem statuto a Deo plenitudinem filiorum Abrahae secundum carnem tandem aliquando salvam fieri (cf. *Rom.* 11, 12, 26) et assumptionem eorum tamquam vitam ex mortuis fore (cf. *Rom.* 11, 15), cum Apostolo credit Ecclesia.

Ecclesia Mater, severe damnans iniurias innocentibus ubicumque inflictas, deplorat quae contra Iudaeos perpetrata sunt, sive olim sive hisce temporibus. Qui hunc populum contemnit vel persequitur, Ecclesiam Catholicam dolore afficit.

INDEX

COMMISSIO DE SACRA LITURGIA

COMMISSIO DE STUDIIS ET SEMINARIIS

APPENDIX

COMMISSIO DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

COMMISSIO DE MISSIONIBUS

COMMISSIO DE APOSTOLATU LAICORUM

SECRETARIATUS DE SCRIPTIS PRELO EDENDIS ET DE SPECTACULIS MODERANDIS

SECRETARIATUS AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM

APPENDIX